



In Joannis Apostoli & Evangelistae Epistolam Canonicam, Homiliae XXXVII : in ejusdem apostoli duas posteriores epistolas homiliarum sylvae

<https://hdl.handle.net/1874/416667>

2

IN IOANNIS APO-
stoli & Euangelistæ Epistolam
Canonicam, Homiliæ

XXXVII.

IN EIVSDEM APOSTOLI DVAS
POSTERIORES EPISTOLAS, HO-
MILIARVM SYLVÆ.

AUTHORE
RODOLPHO GVALTHERO
TIGVRINO.

Accesit operi Index rerum præcipuarum, quæ in his homilijs continentur.



I E S V S.

*Ecce agnus ille Dei, qui tollit pecca-
tum mundi. Ioann. 1.*

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRISTOPH. FROSCHOVERVS,
Calend. Maij, Anno M. D. LXII.

IN IOANNIS APO
& Euangelistae Epistolam
Canoniam, Homilia

XXXVII

IN RIVDEM APOSTOLI DVAS

EPISTOLAS

AUTHORE

RODOLPHO GVALTHERO

TIGRINO

...



...

...

TIGRINI


...

...

SERENISSIMO ANGLIÆ ET FRANCIAE REGI, HYBERNIAE DOMINO,

WALLIAE ET CORNVBIAE PRINCIPI, CHRISTIANAE

*fidei defensori, EDVARDO eius nominis VI. Gratia & pax à Deo
patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.*



QV M primum huic operi manum admouerē, Serenissime Rex, facile videbam, mihi non modò in scripturæ mysterijs explicandis, verum etiam cum illis negotium fore, qui cū ipsi nihil laude dignum faciant vnquam, in aliorum laboribus insectandis nimium strenui & diligentes sunt. Etiam nunc mihi illos audire videor, qui me & imprudentiæ & temeritatis accusent. Imprudentes etenim videri possum, qui D. Ioannis epistolas post tot tantorumq; virorū labores ipse quoq; interpretari voluerim, operamq; inanem & superuacaneam mihi sumere; Temerarius verò, quòd Regiæ tuæ Maiestati meas lucubrationes offerre ausus sim. Sed facilis erit vtriusq; criminis excusatio apud eos, qui positis cæca carnis affectibus rem ipsam aestimare voluerint. Nam scripturæ sacræ rationem omnem diligenter consideranti, facile patebit, nullius boni labores & studia, quæ in huius explicatione versantur, vel superuacanea vel reprehensione digna videri debere. Tanta siquidem est huius agri fertilitas, tamq; inexhausta in hoc saluberrimarum frugum ubertas, vt si omnium hominū ingenia in eo excolendo laborent, nunquam tamen alicuius labor irritus & inanis erit, qui animam Christianæ veritatis & ecclesiæ studiosum attulerit. Quia enim æternæ sapientiae spiritus scripturæ author est, in eius explicatione nullius hominis industria tantum mysteriorum exhauriet, vt reliquis omnem occasionem altiora & plura scutandi præripiat. Semper etenim monstrabit benignus Dei spiritus (qui laboribus eiusmodi mirifice fauet) quod priores vel non obseruarunt, uel non necessarium duxerūt, in cuius tractatione multum laboris insumerent. Poterat hoc exemplis demonstrari, si verbis opus esset, vbi res ipsa loquitur. Quisquis ergo illorum labores damnat, qui pio sanctoq; studio in scripturarū explicatione versantur & post multorum aliorum interpretationes ea proferunt, quæ spiritu Christi adiuuante didicerunt; is mihi non tam homines accusare, quam diuinæ sapientiae atrocem iniuriam facere videtur; quasi huius vena tam sterilis tamq; exilis sit, ut paucorum hominum studijs tota inuestigari & exhauriri poterit. Accedit huc, quòd cum hominum institutioni datae sint sacræ literæ, illas obiter perstrinxisse, earumq; sensum aliquo modo adumbrasse non sufficiet; sed pro locorum, temporum & personarum ratione easdem accommodari oportet, ut ea singuli inueniant, quæ ipsorum uel institutioni uel consolationi seruire possunt. Et huius interpretationis potissimā rationē Paulum habuisse constat, qui in ministro dexteritatē uerbi Dei secandi potissimum requirit. Quæ sola ratio docere potest, omnium seculorū homines in scripturæ sacræ studijs versari debere, cum singulis seculis sui quasi peculiare morbi sint, quibus ecclesiæ ministros uerbi Dei antidoto mederi oportet. Qui scopus, cum mihi in publico ecclesiæ ministerio uersanti, propositus fuerit, si nō laudem aliquam mereor, saltem reprehensio ne & odio me indignum esse, pijs omnibus demonstrabit. Huius uerò euentus mihi spem maximā facit, quòd uix alia sacræ scripturæ pars nostro seculo utilior est & magis necessaria cognitu, quam Diui Ioannis epistolæ, quibus lucem ali-

AD REGEM ANGLIAE

quam inferre conatus sum. Vt enim his omnē Christianæ fidei & religionis rationem cōprehendit apostolus: ita omnibus ijs fidelissimè medetur, ad quæ multi non sine graui salutis iactura hodie impingunt, dum vel hominum authoritati nimium tribuunt, uel corruptis illorum moribus offenduntur, qui euangelij & Christi nomine falsò gloriari solent. Quos per se nutantes & rerum incertos non leui impulsu prosternūt *ἀποβάται* quidam & noui Theologi, qui Veritatē quandam hucusq; occultam prædicant, cuius cognitionē absolutam ne apostolorum quidem temporibus ac primitiuae ecclesiæ concedunt. Queruntur hi de nostri seculi dissensionibus, quas nec publici conuentus, nec tot annorum disputationes hucusq; dirimere potuerint. Expectant pacem & tranquillitatē, quam in terris huiusce regno Christi à prophetis promissam esse dicunt. Eam quia nondum reagnare vident, Veritatis cognitionem nullam adhuc haberi contendunt. Sed quorsum illi spectent, facilè hoc uno indicio patet, quòd in nullius doctrinam siue religionem inquiri & antmaduerti uolunt. Periculū enim esse aiunt, ne dum rerum adhuc incerti, aliorum sententias damnare studemus, in ipsam ueritatem aliquando iniurijs fuisse deprehendamur. Quod unum si regibus & ecclesijs præscripturos esse uidebimus. At si Ioannem audire libeat, quid nos facere conueniat, non obscurè patebit. Docet enim fidei & salutis rationē certam esse, nec circa obscuras & hucusq; incognitas speculationes uersari, sed in Christi Iesu cognitione, uera fide & uitæ innocentia consistere. De quibus & sufficienter differit, & ad perseverantiam in fide per apostolos tradita studiosè hortatur. Nec quousuis admitti uult, qui Dei spiritu se edoctos esse gloriantur: sed doctrinas, an ex Deo sint, probare iubet. Id quod Regibus quoq; & magistratibus dictū esse, nemo pius & sapiens negauerit. Quia enim horum cura publica salus commissa est, doctrinæ potissimam rationem eos habere conuenit: quæ nisi uera & certa fuerit, & in Dei cultu perniciosè aberrabitur, & in diuersas opiniones distractus populus perpetuis dissidijs, non sine publico regnorum ac rerum publico malo laborabit. Porro ut apostolicæ doctrinæ ueritatem & certitudinem contra falsos doctores Ioannes asserit: ita & pseudochristianos, qui Christum ore professi uita negant, seuerè arguit: ubi de uitæ Christianæ officijs magna diligentia disputat. Adhæc contra mundi inimicitias, dissensionum & contentionum scandala nos fideliter præmunir, dum ex ipsa ecclesia, non contentiosos modo pertinacium disputationū auctores, uerum etiam Antichristos prodire ostendit. Deniq; quæcunq; ad fidei & uitæ Christianæ institutionem spectant, tanta perspicuitate tradidit, ut nemo, qui hunc non oscitanter legerit, de Veritatis uel ignorantia uel incertitudine meritò queri, & quid hoc tam contentioso seculo fieri debeat, ambigere possit. Consentiant huius doctrinæ quæcunq; à prophetis & apostolis alibi tradita habemus. Non est ergo, quòd uel nostri seculi dissensionibus, uel illorum calumnijs moueamur, qui inde occasione arrepta, euangelij doctrinā, quæ hodie singulari Dei beneficio ecclesijs restituta est, suspectā facere student. Persuasum sit nobis, apostolos Christi spiritu edoctos, de salutis ratione leges certas & omnibus numeris absolutas tradidisse. Tumultuatur quidem circa has infelix mundus: sed parua debet esse huius authoritas apud eos, qui Christo & ueritati nomē dederunt. Constat enim proprium hoc mundo esse, quòd ueritatis lucem auersatur & odit. Et scripturæ docent, Christum contradictionis signum fore, & lapidum scandali, ad quem multi offendant. Fatetur Paulus Apostolus, sectas omnino esse oportere, ut electi probentur. Imò ipse Christus contra omnem carnis opinionem, regnum suum de hoc mundo esse negat, & quo propius instat mundi

finis

P R A E F A T I O.

finis, eò maiores mundi turbas contra fidei & Veritatis doctrinam fore prædicit. Frustra ergo in terris sperant homines, quæ in cœlis reposita sunt, ubi πολιτευαε nostrum est, & unde saluatorem nostrum, Iesum Christum, expectamus. Nec tu-
tius quicquam est, quàm in fidei & religionis causa apostolica doctrinæ formu-
lam respicere, cuius auctoritatem & certitudinem D. Ioannes tam studiose asse-
rit. Altiora & hucusq; incognita mysteria scrutentur, quibus diuina simplicitas
sordet, & qui inextricabiles errorum Labyrinthos expeditæ & salutaris ueritatis
doctrinæ præferunt.

Cæterum quòd Regiæ tuæ maiestati labores meos offerre ausus sum, nemo
temeritati uel impudentiæ tribuat. Nam ut hoc facerem, regiæ dignitatis &
potestatis munus, quod feliciter & magna totius orbis admiratione sustines, mo-
uere potius quàm abstertere debuit. Quia enim per Christum reges regnant,
quos hic suæ ecclesiæ nutritios esse uoluit, n̄isdē optimo iure labores suos offerre
debent, quicunq; ab eodem Christo in ecclesia docendi munus susceperūt. Nec
quicquam in terris communi paci & tranquillitati seruandæ utilius est, sancta &
religiosa principum & ministrorū Verbi cōiunctione; qua fit, ut unanimi studio
& ardore ad gloriæ Christi illustrationē, purioris doctrinæ studium, & ecclesiæ
conservationem magno & felici successu contendant. Quapropter minimè au-
diendi sunt, qui Reges ad altiora quædam magisq; necessaria uocatos esse clami-
tant: cum uerbi diuini maiestate nihil altius fingi, nec eiusdem doctrina quicquā
salutarius magisq; necessarium excogitari possit. Per hanc enim Reges edocti,
& sanctè & feliciter regnant; qui cum uel priuatos affectus, uel diuinæ ueritatis
hostes, in consilium admittunt, non sine publico malo & memorabili regnorum
calamitate aberrare solent. Quæ cum probè intelligas Serenissime Rex, ideoq;
regnum tuum syncerioris doctrinæ & religionis asyllum esse uolueris; minimè
mihi committendū putauī, ut inter eos, qui Regiæ tuæ Maiestati literaria dona
offerunt, sanctisq; cœptis tuis gratulantur, solus ego deessem. Nam præter id,
quòd Maiestatis tuæ indolem, propter singulare pietatis studium, iustitiam san-
ctam, & prudentiam ætate maiorem, amo & ueneror; Angliam tuam, quæ me
olim humanissime exceptum fauore summo profecuta est, hoc officium abs me
optimo iure postulare arbitrabar. Quapropter Regiæ tuæ Maiestati gratulor,
quòd illam Deus ultimo hoc mundi ad extremum interitum uergentis seculo
salutari uerbi sui cognitione illustrare uoluit. Qua factum est, ut Maiestas tua o-
pus susceperit uerè regium, ecclesiæ nimirum reformationem & purioris doctri-
næ restitutionem, quæ iam seculis aliquot Antichristianis tenebris immersa late-
bat. Fauit hucusq; tam sanctis conatibus diuinum numen, eò quòd huius uerbū
instituti tui formam & regulam esse uoluisti. Nec deerit suo auxilio deinceps, si
quod pio & felici auspicio cœptum est, constanter urgere & ad finem diuinitus
præscriptum deducere pergas. Dei enim promissio est: Honore prosequar eos,
qui me honore prosequuntur. Et exempla omnium seculorū probant, solos eos
principes feliciter in regnorū suorū administratione esse uersatos, qui Christum
Iesum, Regem & Sacerdotem ab aeterno destinatum, agnouerunt, & suæ fidei
commissum populum huic unī consecratum atq; addictum esse uoluere. Quod
si Regia tua Maiestas sedulo, ut cœpit, facere pergat, studiū huius fructum immor-
talem percipiet. Fauent conatibus istis omnes boni, & eosdem sanctis precibus
apud Deum iuuare satagunt. Excitabit is per spiritum suum ubique locorum
causæ tam sanctæ patronos, qui ore & calamo (quibus armis Christi regnum feli-
cissimè propagatur) communem salutem iuuabunt. Inter quos, si & meum labo-
rem aliquid profuisse sensero, Deo Opt. Max. me id debere agnosco, qui succes-

AD REGEM ANG. PRAEFATIO.

sum, quem unice quaesivi, tribuit. Quod si minus profecero, animi tamen studium, quo in communi ecclesiae Christi causa afficior, publice testari volui, quod pijs & bonis omnibus puto nequaquam displicere posse. DOMINVS & saluator noster IESVS CHRITVS, Rex regum & Dominus dominantium, concedat Regiae tuae Maiestati spiritum sapientiae, fortitudinis & constantiae, idemq; regnum tuum regat, tueatur & conseruet, Amen. Datae Tiguro, primariae Helvetiorum vrbe. VIII. Ianuarij. Anno incarnati filij Dei M. D. LIII. Quando ante annos bis mille, ducentos & nouem, Iosias sanctissimus Iudaeorum rex, doctrinae & religionis reformationem instituit: cuius studium spiritus sanctus aeternae memoriae consecrauit, ac vniuersis regibus commune ecclesiam reformandi exemplum esse uoluit.

R. T. M.

deditissimus, Rodolphus
Gualtherus Tigurinus.

CHRISTIANO LECTORI.

LABOREM hunc non eo animo suscepimus, Christiane Lector, quasi eorum studia, qui ante nos D. Iohannis epistolae interpretati sunt, improbemus. Veneramur enim & exosculamur omnes, qui in hoc scribendi genere pie & religiosè uersantur, & aliorum lucubrationibus nos non parum adiutos esse, ingenuè fatemur. Quia tamen plerique, dum breuitati student, ita scripsere, ut doctioribus scripsisse uideantur: non inanem operam me sumpturum putavi, si ipse mihi rudiores instituendos deligerem, qui fusiori rerum tractatione opus habent. Feci itaque, quantum per domini gratiam licuit. Nihil ad ostentationem, nihil inuidiae uel odij causa, nihil lucri studio scripsimus. Neminem ledere, sed omnibus prodesse studuimus. Id si non assequor, solatio mihi est, quod nostra haec nemini obfutura esse sat scio, cum ab orthodoxa & catholica prophetarum ac Apostolorum doctrina in fidei articulis nusquam deflexerim. Volui autem in duo posteria D. Iohannis epistola non Homilias prolixiores dare, sed Homiliarum syluam siue materiae proponere, quam quiuis in literis mediocriter uersatus latius diducat. Exhibemus illic nostrarum lucubrationum specimen, quibus & alios noui Testamenti libros illustrare conabimur, si primum hunc conatum nostrum pijs & bonis probari uideamus. Tuum est Christiane Lector, ijs fauere, qui publicae utilitati consultum uolunt, & eorundem labores precibus iuuare apud Dominum. Vale.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM

QVAE IN HIS HOMILIIS IN IOANNIS

EPISTOLAS CONTINENTVR.

A RON quamuis summus pontifex esset, tamen errauit	52	Bonitatis diuinæ usus	33.b
Adiaphora nō sunt quæ Christo con- tradiciunt	53	Bonum & malum quid	91.b
Adolescentes	21	Bonorum diuisio	24
Adulatores accusantur	46	Bonorum fons	86
Adulterium quam graue peccatum	36.b		
Aemulari	91.b	C.	
Amare ne aliquis Deum possit & fratrem odisse sol.	65.b	C Ain exemplar eorū qui alieni à charitate	63
Ambitiosi sunt ministrorum hostes	91	Caini exemplum	42
Ambulandum in fide	87.b	Caius Christiani hominis exemplar	90
Amor Dei in ueritate	86.b	Calamitarum publicarum causæ	49.b
Amor Dei in Christo solo cernitur	60.b	Calumniatores	91
Amor Dei quo indicio probandus sit	68	Ceremoniæ cur olim à Deo institutæ	58.b
Amoris uis	66.b	Cerinthus fuit Antichristus	25
Anabaptistæ nunquā uerè fuerūt oues Christi	26	Certitudo gloriæ & salutis	34
<i>Antipia</i>		Certitudo salutis unde pendeat	75
Antichristus magnus	36	Charitas Dei erga nos	56.b
Antichristus mendax est	25	Charitas Dei & proximi coniunguntur	64.b
Antichristus negat patrem & filium	27.b	Charitas ethnicorum	60.b
Antichristus non expectādus ex Babylone	28	Charitas fraterna	41
Antichristus quis	25.b	Charitas & fides coniunguntur	59.66.b
Antichristus supra Deum eleuatur	25	Charitas & fides nō possunt separari	49.b
Antichristi cognitio necessaria est	25	Charitas ex Deo est	56
Antichristi & Christi collatio	ibid.	Charitas metu iudicij liberat	62.b
Antichristi notæ	27.b	Charitas non constituit operum iustitiam	63.b
Antichristi ex ecclesia prodeunt	25.b	Charitas non euertit iustificationem fidei	59
Antichristi tempore Apostolorum	25	Charitas non exigit ut pro facinorosis moriā- mur	45
Antichristianorum doctorum nota	26	Charitas non fauet seductoribus	88.b
Apostatarum pena	88	Charitas non respicit personas	67.b
Apostolicæ doctrinæ certitudo & usus	259	Charitas omnes fere uirtutes in sese complectitur sol.	44
Apostolicæ doctrinæ fructus	30	Charitas proximi coniungit nos Deo	58
Apostolicæ doctrinæ summa	29	Charitas quomodo accendatur	56
Apostolicæ doctrinæ ueritas	2	Charitas reddit Dei similes	62
Apostoli cur ecclesias obierint	88.b	Charitas requirit opera & ueritatem	46
Apostoli non ore modo, sed scriptis quoque do- cuerunt	10	Charitatis causa	85.b
Apostoli quomodo gratis prædicarint	90.b	Charitas causa efficiens fides est	60
Apostolorum doctrina certa & perfecta	31	Charitatis fons ex Deo	63
Apostolorum scripta non omnia extant	91	Charitatis fraternæ fructus	19.b.46.b.61
Auari in charitatem peccant	44	Charitatis limites	44.b
Aqua pro baptismo Christi	70.b	Charitatis notæ	67.b
Authoritas hominū nō est quærenda in fide	72.b	Charitatis obiectum Deus	67.b
B.		Charitatis officium	19
Benedictio Apostolica	86	Charitatis proprium	85.b
Benefactores laudandi publice	89.b	Charitatis studium necessarium	43
Benefactoribus gratitudo debetur	90	Charitati uiscera tribuuntur	45
Beneficentia	19	Charitatem quæ res impediunt	57.b
Beneficentia opus fidei	90	Charitate destituti quales sint	56.b
Beneficentiæ præmium	ibidem	Christianæ fidei dignitas	72
Bona opera requiruntur, quamuis salus sit gra- tuita	81.b	Christianæ fidei præstantia	22
Bona uera quæ nam sint	86	Christianæ religionis summa	66
Bonitatis diuinæ consideratio	33	Christianæ uitæ conuersatio	30
		Christianæ uitæ institutio quibus capitibus con- tineatur	80
		Christianus non peccat	37
		Christiani aliorum salutem consulant	77

I N D E X.

Christiani Christi exemplum sequantur	15	Concupiscentia carnis	23. b
Christiani in doctrina olim tradita perseverent fol.	28. b	Confessio auricularis	8. b
Christiani non peccant	39. b	Confessio Christi qualis esse debeat	59. b
Christiani peccatores & tamen à peccato immu- nes sunt	8	Confessio fidei necessaria	8. b
Christiani omnes fratres sunt	90	Confessio peccatorum	73
Christianorum certamina	54	Confessionis peccatorum fructus	47
Christianorum gaudia	89. b	Conscientia non quiescit extra Christum	47. b
Christianorum officia	29. b	Conscientiæ pax fructus est charitatis	61. b
Christianorum uictoria	34	Conscientiæ pax quantum bonum	64. b
Christus	49	Conscientiæ tranquillitas	61. b
Christus æternus cum patre	3. b	Consolatio perēda ex amore Dei erga nos	51. b
Christus Deus & homo	59. b	Consortiū cum Deo est fructus charitatis	3. b
Christus uerus Deus	82. b	Consuetudo non uetur errores	65
Christus est filius Dei	70. b	Contemptis sui uerbi mysteria reuelat Deus	80
Christus est fidei nostræ basis	66. b	Corruptio hominis stupenda	65
Christus quomodo Dei cognitionem conferat fol.	81. b	Corruptio mundi non obest fidelibus	74. b
Christus quomodo unctus	27	Creaturæ omnes homini inserviunt	48. b
Christus rex	14	Credentes nihilominus institui debent	34
Christus sacerdos	14	Credere in filium Dei quid sit	42. b
Christus saluator uniuersalis	12, 59. b	Crux parata est pñs in mundo	42. b
Christus est promissus saluator	80. b	Crucis dignitas	65
Christus unus & solus soluat	29	Crucis ostendiculum	14. b
Christus sapientiam confert	81. b	Cultus Dei à charitate alienus illi displicet	29. b
Christus tollit peccata	36. b	Cultus Dei externus in quibus consistat	58. b
Christus uerbum dicitur	1. b	Cultus Dei spiritualis	
Christi aduentum impij horrent	61. b	Cultus Dei uerus	
Christi aduentum pijs auide expectant	32		
Christi causa quibus testibus defendenda	71. b	D	
Christi cognitio lux est	18	Dauid charitatis & fiduciæ exemplar	62. b
Christi cognitio unde Apostolis innotuerit	3	Decalogi præceptum de imaginibus	83. b
Christi doctrina	88. b	Deficientium à fide pœna	73
Christi & Antichristi collatio	25	Desperatio facit monachos	61
Christi exemplum norma est charitatis	44. b	Desperationis doctores qui de salute dubitant docent	81
Christi iustitia non terreat peccatores	11. b	Deus cur filium miserit	56
Christi negotium plenum offensione	12. b	Deus est charitas	58
Christi officium	14	Deus est inuisibilis	8. b
Christi passio quomodo testetur illius diuinita- tem	71	Deus fidelis est	8. b
de Christi persona quid credendum	13. b	Deus iustus est	5
Christi præcepta è scripturis petenda	ibidem	Deus lux est	84. b
Christi præcones commendantur	90. b	Deus quomodo fortis dicatur	91. b
Christi regnum per totum mundum extenditur fol.	12	Deus semper causæ suæ patronos dat	60. b
Christo contradicere quam graue peccatum	72	Dei amor in Christo solo cernitur	64. b
in Christo manere	31. b 37	Dei amor in nos uehementissimus	68
Christo Iesu non ponenda imago	83. b	Dei amor quo indicio probandus sit	56. b
Christū in carne uenisse, quomodo credēdū	52. b	Dei charitas erga homines	57
Cœna dominica	52. b, 58. b	Dei charitas nobis imitanda	86. b
Cœtus sacri	14. b	Dei dilectio uera	extra
Cognitio Christi	12. b	Dei cognitionem ueram nemo unquam Christum consecutus est	81. b
Cognitio nostris ipsius	7. b	Dei & hominis comparatio	33
Cognitio coniuncta est cum fide	61	Dei imagines	65. b
Commiseratio quid	46	Dei præcepta dupliciter considerantur	68. b
Communicare cum falsa doctrina	88. b	Dei præcepta quibus non sint graua	69. b
Communio cum Deo	30	Dei similes reddit charitas	62
Communio fidelium qualis	4	Dei uoluntas est precandi regula	76
Conciliatores diuersorum dogmatum	29	Dei uerus cultus	58. b
		Deo placere qui possint	48
		Deo uero non fingenda imago aliqua	83. b
		Deum mendacij qui insimulent	73
		Deū ne amare aliquis possit & fratrem odisse	65. b
		Deum	

I N D E X.

Deum quomodo negent homines	23	Euangelij doctrina non noua	16
Diabolus non tangit fideles	79.b	Euangelij finis & scopus	32
Diabolus uincendus	21	Excommunicantur impenitentes	37
Diaboli filij	38.b	F.	
Dilectio cōprehendit omnem beneficentiā	19	Falsi doctores cauendi	88.b
Dilectio Dei & proximi coniunguntur	64.b	Falsorum doctorum conditio	54.b
Dilectio Dei & obedientia coniunguntur	68	Factus uitæ	23.b
Dilectionis Dei fructus	15.63.b	Felicitatis consequendæ ratio	49.b
Dilectionis præceptum	49	Fideles in iudicio Christi subsistunt	31.b
Dionephes	91	Fideles non læduntur à diabolo	79.b
Diuinæ bonitatis consideratio	33	Fideles non mouentur mundi iudicio	34
Diuinæ bonitatis usus	33.b	Fideles nō offenduntur mundi corruptione	79.b
Diuinitatis Christi testes	70.b	Fideles non peccant	78.b
Diuini nominis abusus graue peccatum	36.b	Fideles purificationi studeant	34.b
Diuinæ donum Dei	45.b	Fideles quomodo mundum uincant	70
Diuinarum usus	ibid.	Fideles soli ex Deo nati sunt	78.b
Diuorum intercessio	11	Fides est causa efficiens charitatis	60
Doctores falsi cauendi	88.b	Fides & charitas non possunt separari	49.b
Doctorum ueritatis conditio	55	Fides & charitas coniunguntur	66.b
Doctrina	14.b	Fides facit Dei filios	67
Doctrina Apostolorum certa & perfecta	31	Fides falsa consequitur falsam doctrinam	54.b
Doctrina Christi	88.b	Fides in Christum	29.b
Doctrina falsa nihil est perniciosus	26.b	Fides in Christum certa est	72.b
Doctrinæ præceptorum Dei	68.b	Fides preces Deo acceptas facit	75.b
Doctrinæ Apostolicæ certitudo & usus	59	Fides non est posita in notitia nuda	55.b
Doctrinæ Apostolicæ fructus	30	Fides nota fidelium	13
Doctrinæ Apostolicæ summa	29	Fides quomodo operetur per dilectionē	49.b
Doctrinæ Christianæ uetustas	2	Fides uictoria fidelium	70
Doctrinæ falsæ studium	55	Fides uirtutum omnium fons	60
Doctrinæ pontificiæ grauitas & onus	69.b	Fides uni Christo inniuitur	75.b
Doctrinam falsam consequitur falsa fides	54.b	Fidei causa quibus retribus defendenda	71.b
Doctrinam falsam pij cauere possunt	53.b	Fidei certa cognitio iungitur	61
Doctrinæ ad iudicari debent	51.b	Fidei Christi dignitas	3.b.32.50.b.72.79.b.87.
Doctrinæ non probandæ propter multitudinem & successus sectarum	54.b	Fidei confessio necessaria	59.b
Doctrinæ quomodo probandæ sint	52	Fidei constantia	30
Doctrinis falsis non offendamur	51	Fidei cur tribuatur iustificatio & salus	73.b
Dubitatio de salute	61	Fidei & charitatis coniunctio	59
Dubiandum non est de salute	13	Fidei obedientia est nota filiorum Dei	55.b
E.		Fidei obiectum ac fundamentū Christus	66.b
Ecclesia erroribus nunquam caruit	1.b	Fidei præceptum	48.b.69.87.
Ecclesia quomodo non possit errare	86	Fidei professio externa non sufficit ut Deo probe	
Ecclesiæ hostes grauissimi unde exurgant	26	mur	42
Educatio puerorum	22	Fidei purificamur	35.b
Epicurei	7	Fiducia uana nostrarum uirium	70
Epiphanius imagines repudiavit	84	Filius Dei cur uenerit	80.b
Episcopi falsi	28	Filius Dei cur à mūdo tales nō agnoscuntur	35.b
Error qui nam exitialis aut non	66.b	Filius Dei quomodo reddamur	33
Errores in prima ecclesia uarij	1	Filiorum Dei & diaboli collatio	38.b
Errores uetustate non debent defendi	51.b	Filiorum Dei notæ	40.b
Euangelicæ prædicationis finis	29.b	Filiorum Dei semen	39.b
Euangelicæ prædicationis scopus	3.b	Filiorū appellatione cur Ioan. sæpe utatur	82.b
Euangelium est promissio	5	Filij doctorum sunt auditores	9.b
Euangelium omnibus hominibus congruit	21	Flagitiosi quomodo sint corripiendi	39
Euangelij peccādi licentiā nō concedit	10.37.b	Fraternitas duplex	18.b
Euangelium quomodo in uisum reddant	20	Fratres qui	18.b
Euangelium tempus lucis affert	18	Fratres quicunq; sunt nostri sunt	19
Euangelij certitudo	21	G.	
Euangelij compendium	12.b	Gaudium Christianorum	4.b
Euangelij doctrina certa & perspicua	16	Gaudia Christianorum	89.b
		Gaudia piorum	86.b

I N D E X,

Gloria hominis uera	89.b	Iustitia erga Deum	40.b
Gloriæ paratæ pijs certitudo	34	Iustitia erga homines	41
Gnostici imagines Christi habuerunt	84	Iustitia operum non constituitur doctrina chari-	63.b
Gratia Dei	86	tatis	7
Gratia Dei causa est efficiens nos filios Dei	33.b	Iustitiarj	36
Gratitudo	90		
H.			
H æreses cur ex ecclesia prodire Deus patiat		L ex quare regula dicatur	L.
fol.	26.b	Legis obseruatio pendet ex dilectione	48.b
Hæreses non sunt impurandæ euangelio	26	Legis summum præceptum	64.b
Hæreses ueterū fuerunt anuchristi præludia	53	Lux Christi cognitio dicitur	18
Hebion Antichristus fuit	25	Lux est Deus	5
Homicida non habet uitam æternam	43.b		
Homo totus purificatione opus habet	35		
Hominis corruptio stupenda	65		
Hominis uera incolumitas	89.b		
Homini omnes creaturæ inseruiunt	75		
Homini quænam sint propria	33		
Hominum autoritas non est quærenda in cau-			
sa fidei	72.b		
Hora nouissima	24.b		
Humanarum uirium uana fiducia	70		
Hypocritæ charitatem simulantes sunt filij dia-			
boli	47		
I.			
I esus	48.b		
Iesus credatur esse Christus	66.b		
Iesum negare Christum quid sit	27.b		
Idololatria punita	84.b		
Idololatriæ eadem ratio apud gentiles & Chri-			
stianos	83		
Idolum & simulachrum an differant	ibid.		
de Imaginibus	ibid.		
Imagines Dei	65.b		
Imagines non habendæ ut doceant	84		
Imagines quatenus nec fieri nec haberi debeant			
fol.	84		
Impij quare persequantur pios	42		
Impiorum successibus non offendamur	91.b		
Increduli Deum mendacij accusant	73		
Ingratitudo nostri seculi	69.b		
Inimici diligendi	41.b		
Iniquitas quid sit	36		
Intercessio diuorum	11		
Inuidia	18.b		
Ioannes frequenter utitur antithesi	37		
Ioannes quare senior nominetur	85		
Ioannis Apostoli locus	1		
Iudicium extremum	31.b		
Iudicium extremum timentes non sunt perfecti			
in fide	63		
Iudicij extremi signa pios non terrent	32		
Iustificatio operum	53		
Iustificatio quare aliquando charitati tribuatur			
fol.	59		
Iustificacionis ordo	32.b		
Iustitia Christianorum qua in re consistat	38.b		
Iustitia Christi peccatores non terreat	11.b		
Iustitia Dei peccatorum remissionem adiuuat			
fol.	9		
			40.b
			41
			63.b
			7
			36
			48.b
			64.b
			18
			5
			91.b
			31.b.37
			21.b
			11.b
			10.b
			33.b
			14.49
			44
			36.b
			39
			91
			85.b
			3.b
			91
			86
			67.b
			38
			39
			28
			85
			44
			15
			69
			62.b
			85.b
			54.b
			24
			6
			ibidem
			22.b
			33.b
			69.b
			13
			42.b
			55
			79.b
			80
			22.b
			12
			22.b.33.b
			23.b
			24.b
			Mundum

I N D E X.

Mundum quomodo uincant fideles	70	Peccandi atrocitas	6.b
Nazaræi	N.	Peccati discrimen ubi quærendum	77.b
Nazaræi Antichristi fuere	1	Peccati ratio	78
Negare Deum	25	Peccata delentur propter Christum	6.b
Nobilitas summa est filium Dei esse	28	Peccata extenuantur à seductoribus	38
Nota externa fidelium	67	Peccata non esse paria	36
Nota non est doctrina euangelij	13	Peccatorum confessio	8
Nota qua ratione euangelica doctrina dici pos-	20	Peccatorum remissio	8.b
si		Peccatorū remissio in solo Christo habetur	74
Novi testamenti uocabulum	17.b	Persecutionis quam piij patiuntur causa	42
Novitas doctrinæ	17	Persequutores fidei	20
Novitatis falso doctrina nostra accusatur	16.b	Perseuerantia in sana doctrina	29.30
		Perseuerantia opus est	87.b
Obedientia	O.	Perseuerantiæ Christianæ modus	31
Obedientia & dilectio Dei coniunguntur	63.b	Personarū respectus charitatis uenenū est	67.b
Obedientia fidei est nota filiorum Dei	68	Petrus aliquando errauit	52
Obedientiæ Christianæ fructus	55.b	Philautia	58
Obedientiæ præmia	49.b	Philautiæ malum	63.b
Oculorum concupiscentia	69	Pietatis studium quomodo accendatur	61
Odisse & non diligere pro eodem habentur	23.b	Pij Deum redamare debent	63.b
Odiū	43	Pij falsam doctrinam cauere possunt	53.b
Odiū fraternum nota est diabolici animi	18.b	Pij quomodo uincant	54
Odiij effectus	42	Piorum conditio stabilis	24
Odiij fructus	18.b	Piorum & impiorum discrimen	32.61.b
Odiū grauior culpa est quàm iræ	19.b	Piorum gaudia quæ	86.b
Odiū habens fratrem est homicida	43.b	Pijs crux in mundo parata est	34
Odiū laborantium misera conditio	ibid.	Pijs nec benefactores nec malefactores desunt.	89
Officium hominis	44	Pijs nunquam desunt aduersarij	91
Omnes homines sunt peccatores	18	Pontificia doctrina quam gratis fit	69.b
Omnes saluare uult Christus	20.b	Præceptum Dei unum simul & multiplex	48.b
Opera bona requiruntur quamuis salus sit gra-	12	Præceptum fidei	69
uita		Præceptum præcipuum	87
Opera carnis	81.b	Præcepta Dei quibus non sint grauiora	69.b
Opera lucis	5.b	Præcepta Dei quomodo facilia sint	68.b
Opera non sunt causæ sed signa filiorū Dei	ibid.	Præcepta externi cultus	69
Opera tenebrarum	40	Præceptorum Christi obseruatio signum dile-	
Operum uana fiducia	5.b	ctionis Dei	15
Opum inæqualitas quare à Deo cõstituta	70	Præceptorum Christi ordo	13.b
Opum usus	45.b	Præceptorum Dei methodus	68.b
Orandum in fide & perseueranter	ibid.	Præmia obedientiæ	69
Orandum pro omnibus	76	Precandi fiducia	75.b
Orationes exaudire exemplis probatur	77	Precandi regula	76
Orationes pro fratribus exaudiuntur	76.b	Preces	14.b
	ibid.	Preces acceptæ Deo fiunt per fidem	75.b
Parabolæ scripturarum	11.b	Preces cur aliquando non exaudiantur	48
Pastoris boni officium	30.85	Preces exaudiri	47.b.76
Patientia	64	Promissio est Euangelium	5
Patres sunt doctores	9.b	Promissio quod preces nostræ exaudiatur	48.b
Paulus exemplum charitatis & fiduciæ	62.b	Promissio uniuersalis	59.b
Pax	86	Promissiones quare præceptis additæ	62
Peccare non debent Christiani	47	Promissiones sunt uniuersales	12
Peccati uerbū nō semp eodē modo accipitur	10.36.b	Propitiatio pro peccatis est Christus	11.b
Peccantium portus	79	Pseudochristianorū peccatis nemo offendatur	6
Peccatores sunt omnes homines	10.b	Pseudoeuangelicorum confutatio	32
Peccatores sunt & à peccato mundi fideles	7.20.b	Pseudoprophetæ quomodo agnoscendi sint	51
Peccatum quid	8.9	Pueri	21.b
Peccatum ad mortem	36.40.b.77.b	Pugna contra diabolium	21
Peccatum & iniquitas an differant	77.b	Purgatorium	53
Peccatum omne est mortale	36	Purificatio necessaria homini	38
	77.b	Purificationis finis & modus	ibid.

I N D E X.

Purificationis organum	35.b	Socratis dictum, hoc unū scio me nihil scire	42.b
Puritas uitæ quomodo exigitur	35	Spei fidelium certitudo	39.b
R.		Spiritualis cultus	59
R egeneratio	67	Spiritus arra salutis	73.b
Regeneratio primum locum obtinet in iustificatione	22.b	Spiritus fidei	51
Regis officia	49	Spiritus sancti cura & fides erga nos	71
Regnum Christi quale	12	Spiritus testis diuinitatis Christi	ibid.
Religio quæuis an Deo placeat	36	Spiritus ueritatis	27
Religionis Christianæ summa	66	Spiritus fidelium doctor uerus	51
Religiones gentium uanæ	28.b	Spiritus pro doctrinis uel doctoribus	45
Religiones omnes Deo placere falsum est	81	Στοργη	61
Remissio peccatorum	6.20.b	Studium pietatis quomodo accendatur	
Remissionem peccatorū adiuuat iustitia Dei	9	T.	
S.		T emporis præscriptio non ualet in religionis causa	54.b
S acerdotum munus	49	Testamenti noui ceremoniæ	58.b
Sacramenta	14.b.58.b	Testamenti noui uocabulum	27
Saluator promissus uenit	80.b	Testamenti ueteris & noui differentia	17.b
Saluari unūquēq; in sua religione falsum est	81	Testimoniorum pondus	72
Salus fidelium certa est	75	Thrasycararchæ	79.b
Salus in uno Christo	29	Timor Dei cum dilectione coniunctus	68
Salus nostra gratuita est	81.b	Timor quomodo enjciatur à charitate	62.b
Salus nostra nō uersatur in nuda opinione.	74.b	Traditiones humanæ	58.b
Salus nostra Spiritus testimonio cōfirmatur	50	Traditiones humanæ explosæ	13.16.b
Salus nulla extra Christum	74	Traditiones nouæ non necessariæ	31
Salus propter Christum obtingit	20.b	Tranquillitas conscientiæ	61.b
Salus quare merces appelleretur	81.b	Trinitatis mysterium	71.b
Salutis Apostolorum & nostræ eadem ratio	4	Tyranni persequutores	20
Salutis certitudo est fructus charitatis	46.b	V.	
Salutis custodia proprie Dei est	79	V erbum Dei semen est filiorum Dei	39.b
Salutis modus & ratio	20.b.57.59.b	Verbum Dei semel audiuisse nō sufficit	27
Salutis notitia certa	13	Verbum uitæ	1.b
Salutis nostræ summa	73.b	Verbi Dei natura	40
Salutē cur nō omnes homines cōsequantur	59.b	Verbi hostes palam arguendi	91
Salutationes	89	Veritas æterna & stabilis	85.b
Sanguis cuius rei typus	71	Veritas doctrinæ Apostolicæ	2
Sanguis pro morte Christi	71	Veritatis regula	51.b
Sanguinis nomine quæuis atrocitas flagitia designantur	43.b	Verustas doctrinæ Apostolicæ	31.b
Satisfactio Christi admonet nos nostri officij	21	Verustas non defendit errores	54
Saul exemplum eorum qui charitate carent	63	Victoria uera	60
Scientia fidelium	80	Victoria piorum	54
Scortatio quàm graue peccatum	36.b	Virtutum omnium fons	3.b
Scripturarū lectione interdicens tyrāni sunt	22	Viscerum nomen quid significet	80
Securitas procul abest à filijs Dei	79	Vita in Christo	3
Seductores arguendi	87.b	Vitæ Christianæ institutio	1.b
Seductores cauendi	24.b	Vitæ manifestatio gratuita	77
Seductores quinam dicantur	38	Vitæ uerbum Christus	27
Seductores non fouendi titulo charitatis	88.b	Vitia nostri seculi	33
Senes	21	Vnctio quid	59.b
Simulachrum & idolum an differant	83	Vocari idem est quod esse	24
Simulachra Christianorum prohibita	ibid.	Vocatio uniuersalis	44
Simulachra quatenus nec fieri nec haberi debeant fol.	84	Voluntas Dei quæ	
Simon magus	1	Vsurarij alieni à charitate	
Simon magus fuit Antichristus	25	Z.	
		Zelotes quomodo Deus dicatur	84.b

IN EPISTOLAM D. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELII

LISTAE CANONICAM I. RODOLPHI

Gualtheri Tigurini Homiliae.

C A P V T I.

H O M I L I A I.

QUOD erat ab initio, quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod spectauimus, quod manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae [annunciamus uobis.]



SOLENT qui uel sacros uel prophanos libros exponere instituerunt, praefationis loco authorum, qui eos scripserunt, laudes multis celebrare. At id mihi in praesenti superuacaneum uidetur. Notus enim est huius sanctissimi scripti author Ioannes Apostolus, dilectus ille Iesu Christi saluatoris nostri discipulus, cuius laudes si quis narrare uelit, dicendi finem non facile inueniet. Sufficiat nobis, quod a Christo unice dilectus fuit: quod in ultima caena super Christi discumbentis pectus recubuit: quod Christo morienti astitit, & salutiferi illius liquoris, qui ex mortui latere aperte promanauit, testis fuit oculatus: quod denique ipsi Christus moriens matrem Virginitatis uis adducere poterit, ut diuinum scriptorem admiretur, eiusque scriptis fidem habeat. Nos potius occasione, quae ipsum ad scribendum impulit, & totius epistolae argumentum explicemus.

D. Ioannis laude

Eadem uero Ioanni, quae & alijs apostolis, data fuit scribendi occasio: Errores nimirum uarij & multiplices, qui inter primordia ecclesiae, per pseudoapostolos, impostores & haereticos, non sine multorum scandalo & interitu disseminabantur. Si enim cum Apostolorum scriptis primae ecclesiae historia conferamus, inuenire licebit, ipsis adhuc uiuentibus & commisso sibi munere fungentibus diligenter, horribiles haereses & sectas pullulauisse. Iam tunc enim operabatur iniquitatis mysterium satan in Simone Mago, qui praeter quam religionem sibi quaestum facere uoluit, diuinos honores sibi conferri passus est, & Magna Dei uirtus a quibusdam appellabatur. Exorta quoque iam erat Hebionis & Cerinthi uasania, qui Christum merum hominem praedicantes, eiusdem diuinam naturam prorsus abnegabant. Legem Euangelio miscebant Nazaraei, & legali iustitia gratuitam per Christi meritum iustificationem plane confundebant. Comitabantur corruptam doctrinam & peruersa dogmata errores multi circa externos cultus. Inueniebantur enim qui a simulachris Deorum gentilium minus abhorrebant, imo qui & carnibus immolatitij uesci consueuerant. Et quod apud Corinthios in Caena domini peccatum fuit, credibile est non apud illos duntaxat locum inuenisse. Adhaec tot & tam uarijs uitij circa doctrinam fidei & religionis externa usum, effrenis eorum licentia accedebat, qui sub Christi merito & Christianae libertatis praetextu peccandi impunitatem quaerebant: quorum improbitate fiebat, ut euangelij doctrina male audiret apud gentes, & uniuersum Christianae religionis negotium multis suspectum esset.

Scribendi occasio.

His ergo malis praesenti epistola Ioannes medetur. Primo enim omnem nostrae salutis rationem, & summam fidei Christianae, paucis comprehensam proponit, docens quales nostrae naturae uocare, uel in illa remorare possunt: qualia sunt mundi huius corrupti studium, & falsa uel Antichristiana doctrina. Tandem contra falsos Christiani nominis & fidei professores de uitae Christianae officijs, purificatione animorum, innocentia, fraterna charitate & alijs eius generis uirtutibus differit: subinde tamen ea interserens, quae nos misteriorum Christi admonere, & ad inuictam in uera fide constantiam adhortari possunt, quae singula suis locis uidebimus. Constat autem ex his, epistolae huius cognitionem nostro seculo cum primis necessariam esse, quando & falsa de Christo & Christiana fide dogmata quotidie oriuntur, & omnis tam interna quam externa reli-

Argumentum epistolae.

gio friget, florentibus interim & regnantibus teterrimis uitij & effreni scelerum licentia, quam multi fidei Christianæ prætextu uelare student.

*Ecclesia nunquã
caruit erroribus.*

Cæterum priusquam hinc digrediamur, opere precium est obseruasse, quod cum superstites adhuc essent apostoli, ac docendi munus strenue obirent, hæc errorum portenta inter Christiani nominis professores oborta sunt. Adeo uerum est, quod Christus monet, dormientibus hominibus malignum illum humani generis hostem euangelico semini zizania & infelix lolium super-
feminare. Matth. 13. Non dormitarunt quidem in suo officio apostoli, quorum labores & studia pro ecclesiæ conseruatione satis nota sunt. Sed quia qui ab his instituebantur, oscitantes fuerunt, non tantum proficere potuit apostolorum sedulitas, quantum illorum ignauia & socordia obfuit. Neminem igitur offendat, si hodie quoq; in ecclesijs errores horrendi, graues abusus & incurabiles ferè morbi oboriantur. Quin potius uigilemus omnes, ne & ipsi per incogitantiam inuoluamur. Intelligent ecclesiarum ministri, quantis curis & laboribus opus sit, si feliciter in hoc munere uersari uelint, & in hoc sint toti, ne quis ipsorum culpa pereat. Intelligent singuli, non sufficere ut in religione semel instituti sint, sed propter naturæ nostræ corruptione & hostis satanæ improbitatē assiduas uigilias & preces, studium item indefessū, unā cum crebris admonitionibus requiri, siquidē ex Christiana religione fructū salutarem auferre cupiant. Possent hic nos erudire quotidiana exempla, nisi ad omnē mali sensū toti obsurduissemus. Sed his præmissis ad initium epistolæ explicandum accedamus. Sic enim hanc exorditur Apostolus.

Propositio.

Quod erat ab initio, quod audiimus, quod uidimus &c. Inest uerbis his primo intuitu quædam obsecuritas, sed singula penitius inspicienti sensus facile patebit. Est enim hæc totius epistolæ propositio, quæ ita resolui poterit: SCRIBAM de uerbo uitæ, hoc ipsum quod ab initio fuit à patre decre-
tum, & cuius ipsi non auriti modo, sed oculati quoq; testes fuimus: cuius deniq; ueritas tam probe nobis constat, quàm eorum, quæ manibus nostris contrectantur. Duo igitur huius propositionis membra sunt: primum, quæ de re Ioannes scripturus sit, docet: alterum, quid de illa dicere uelit, pollicetur. Nos utrumq; paulò diligentius excutiemus.

Verbum uitæ.

I. DE Verbo uitæ se scripturū dicit. Sunt, qui Verbum Hebraico more pro *Causa*, negotio siue ratione positum putent, ut idem sit ac si dixisset: De uniuerso uitæ & salutis negotio, ueraq; hanc consequendi ratione dicturus sum. Pius hic sensus est, nec à re præsentis negotio alienus. Sed simplicior & Ioannis institutio cōuenientior uidetur, ut per Verbum uitæ ipsum Christum Dei filium intelligamus, quem & in principio euangelicæ historiæ Verbum nominauit. Est enim is æternum illud & omnipotens Dei uerbum, per quod Deus omnia & iubet & facit. De hoc Dauid testatur: Verbo domini cœli facti sunt. Psal. 33. Et Apostolus hic noster eam sententiam quasi explicans ait: Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, &c. Ioan. 1. Præterea, ut uerbum uel oratio animi index est, ita Christus dei filius expressa est substantiæ dei imago, in qua deus pater cognoscitur. Heb. 1. VERBUM uitæ uerò dicitur, quia (ut eodē loco Apostolus scribit) in quo uita est: & sic quidem, ut non ipse modo, quoad suam personam, uiuat, sed uitam omnibus alijs conferat. Porrò uitam hic dicimus, non animalem illam, quam in hisce terris uersantes agimus (quamuis & huius authorem Deum patrem per filium suum agnoscamus) sed eam quæ cū animarum salute coniuncta omnem hominis beatitudinem complectitur, & in æternum durat. Huius uitæ uerbum, id est, causa, author, largitor, uia & ratio unica est, & in æternum nos homo fieri dignatus est, ut uitam hanc nobis conferre possit. Ipse enim tulit infirmitates nostras, et peccata, quæ à patris conspectu nos arcebat, in corpore suo pertulit super lignum, id est acerbo Crucis supplicio expiauit. Isa. 53. 1. Pet. 2. Idem resurrectione sua gloriosa mortem uicit, ne posthac nobis dominari possit, eandemq; transitū fecit in uitam æternam. Ioan. 5. Idem in cœlos euectus ad dextrā patris confidet, ac inde in nos dona spiritus & uitæ conferens, simul etiam pro nobis intercedit, ut per illum ad thronū gratiæ nobis aditus pateat. Ephes. 4. 1. Ioan. 2. &c. Deniq; solus est, in quo pater omnes suæ gratiæ & salutis nostræ thesauros conclusit, sic ut extrahere iuxta Petri Apostoli testimonium, salus non sit aliqua. Act. 4. Quid ergo maius & salutaris Ioannes polliceri poterat, quàm quod Christum Iesum, uitæ & salutis nostræ unicum authorem se descripturum dicit? Comprehendit hæc promissio non Cræsi aut Mydæ infelices diuitias, non incertam Solomonici regni gloriam, non tristes & sanguinarias contra homines uictorias: sed regni cœlorum beatissimas opes, & eiusdem nunquam intermorituram gloriam, lætamq; filij Dei contra omnem aduersariam potestatem uictoriam, & salutiferi de his triumphum lætum honorem complectitur. Quàm ergo chara nobis est salus nostra, tam chara & grata esse debet huius epistolæ meditatio, quæ bona hæc cœlestia nō modo in Christo ceu digito monstrat, sed & uiam hæc assequendi perspicue docet.

QVID vero de Verbo vitæ, Christo Iesu, dicturus est? Sunt enim qui de rebus magnis & arduis sermones instituunt, sed ea dicunt, quæ vel manifeste falsa sunt, vel saltem ipsis mihi comperta: quæ causa est, vt fidem minime mereantur. Sed nihil tale de Ioanne suspicandum erit. Dicit enim: **Quod** erat ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, quod manus nostræ contrectauerunt, annunciamus vobis. Continent hæc verba insignem certitudinem doctrinæ dignitatem, quæ duobus argumentis, vetustate nimirum, & veritate siue certitudine commendatur. Vtrumque, propter nostri seculi homines, qui doctrinam de fide in Christum nouitatis & vanitatis accusant, non oscitanter inspicere conuenit.

Quid scribat Io.

Vetustatem exprimit, dicens: **Quod** erat ab initio. Sed initij vox ad Dei æternitatem, & æternam eiusdem de redemptione nostra consilium referri debet. Vt enim Iesus Christus, quoad dictam naturam, patri coæternus est: ita æternum hoc fuit Dei patris consilium, vt filius præfinito tempore incarnatus infelices homines à peccato & peccati pœna redimeret. Ideo D. Petrus ipsum præordinatum fuisse scribit, priusquam mundus hic conderetur. 1. Pet. 1. Sensus ergo verborum Ioannis est: De verbo vitæ, Iesu Christo redemptore & saluatore nostro, non noua & antea inaudita, non item vel mea vel aliorum hominum figmenta tradere institui: sed hoc ipsum, quod cœlestis pater ab æterno decreuit, quodque à prima mundi huius origine promissionibus & oraculis suis reuelauit, & tandem misso in mundum filio fidelissime præstitit. **Quod** si veteris testamenti scripturas cum Ioannis & aliorum Apostolorum doctrina conferas, verissimum esse videbis, quod hic pollicetur. Certe ipse Christus & Moyses & Prophetas & diuinos Psaltes de se testimonium tulisse, non semel fatetur. Luc. 24. Ioan. 5.

Vetustas doctrinæ Apostolicæ.

Obseruanda autem est Ioannis fides in tradendis Christi mysterijs. Fuit is, vt antea diximus, Christo præ alijs omnibus familiaris, ab eodem tonitru filius dicitur, adhæc omnium diutissime vixit & docuit in Christi ecclesia. Non tamen sibi tantum permittit, vt noua quædam de Christo & salutis nostræ negotio tradere instituat, vel quæ olim tradita erant aliquo modo inuertat & commutat. **Quin** eternum illud Dei patris de salute humani generis consilium, quale ab initio reuelatum est, sincerè prædicat. Eandem fidem in reliquis Apostolis est videre. Certè Paulus non veretur dicere: Etiam si nos, aut angelus è cœlo prædicauerit vobis euangelium, præter id quod accepistis, anathema sit. Galat. 1. Et alibi nihil aliud se nouisse testatur, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Corinth. 2. Conferantur cum hac Apostolorum fide, qui hodie illorum successores dici & haberi volunt, & quantum ab illis differant, luce clarius patebit. Non contenti enim nouos fidei articulos fingere, & in salutis negotio præter Iesum Christum multa alia comminisci, insuper in manifestis scripturæ oraculis, in expressis Christi præceptis, & antiquissimis ecclesiæ Christianæ & Apostolicæ doctrinæ Constitutionibus pro suo arbitrio dispensare, & illis contraria sub pena excommunicationis & æternæ damnationis obtrudere audent. **Quod** si verò dilectis Christi discipulis non licuit alia, quàm quæ à Christo acceperant, tradere, multò minus hoc illis licere credemus, qui quotidianis vitijs & sceleribus satis declarant, quàm à Christi spiritu & Apostolorum fide alieni sint.

Apostolorum in docendo fides.

Alterum, quod ad huius doctrinæ veritatem & certitudinem pertinet, sic enunciat: **Quod** audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, quod manus nostræ contrectauerunt, annunciamus vobis. Omnium horum hæc sententia est, se non nisi cognita & modis omnibus comperta loqui, eamque esse suæ prædicationis certitudinem, vt nemo putare debeat, vel ipsos apostolos aliorum astu deceptos fuisse, vel alios astu & dolo fallere voluisse. Sed quàm diligenter hoc agit? Omnes ferè sensus adducit, vt intelligant tam certo constare apostolis euangelij certitudinem, vt hanc non mente modò & ingenij speculationibus inuestigare, verum etiam externis sensibus deprehendere potuerint. Primum, audiuius inquit. Audiuerunt autè hæc salutis & Christiani mysteria non ab hominibus dubiæ fidei, sed ab ipso Christo Dei filio, quo cum familiarissime aliquot annis conuixerunt. Pertinet huc quod alibi habemus: Deum nemo vidit vnquam: sed vni genitus Dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Ioan. 1. Hunc concionantem audiuerunt apostoli. Idem doctrinæ suæ mysteria, quæ alios iusto Dei iudicio cœlabantur apostolis reuelare dignatus est. Matth. 13. Nec Christum modò sed Deum patrem de Christo concionantem audiuit Ioannes, voce cœlitus delata: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est: ipsum audite. Matth. 17. **Quis** ergo de illorum fide, ex quibus ista hauserunt apostoli, dubitet? Sed addit minus diligenter affirmasse videretur. Et quia multa obiter vident homines, & proinde visu falsatur, addit: **Quod** spectauimus, intus videlicet & in cute, vt illius veritas certò nobis pateret. **Verissime** autem hoc dicit Ioannes. Viderunt enim Dei filium incarnatum apostoli. Viderunt eius

Apostolica doctrinæ veritas et certitudo.

C A P V T I.

dem miracula certa diuinitatis ipsius testimonia. Viderunt eiusdem vincula. Vidit in Cruce suspensum Ioannes. Vidit morientē. Vidit in latere eius apertum vitæ & redemptionis nostræ fontem saluberrimum. Vidit euidētia Christi resuscitati in monumento indicia. Vidit deniq; à mortuis resuscitatum ambulare, edere et omnia ea obire, quæ ad corporis veritatē comprobendam pertinent. Vidit lætum ascensionis Christi spectaculum, & triumphum illum splendidissimum, quo excellentius orbis hic totus nihil vnquam habuit. Nec tamen, vt plures alij, hæc viderunt Apostoli, sed spectarunt non oculis modò, sed animis quoque intenti, vt qui in his salutis mysteria scrutabantur. At ne quis oculos illorum fascinatos & incatationum præstigij delusos putaret, addit Quod manus nostræ contrectauerunt. Infallibile veritatis argumentum communi ferè sensu homines ex manuum contrectatione capiunt. Quis enim de eo dubitare potest, quod manibus proprijs contrectat? Id verò in Christo fecerunt Apostoli, quibus is nò modò mortale & mundi huius miserij obnoxium corpus, sed illud ipsum clarificatum iam & omni corruptibilitate exutum contrectandum præbuit. Legantur quæ Luc. 24. & Ioan. 20. euangelica historia narrat, & certum habebis huius rei testimonium. Huc etiam referri debet, quod D. Petrus scribit: Non arte compositionis fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem & aduentum: sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem, &c. 2. Pet. 1. Prodest hæc diligenter obseruasse, cum omnibus seculis inuenti fuerint, qui Apostolicam doctrinam in dubiū vocare ausi fuerunt. Constat enim ex his, ipsos potuisse vera de Christo prædicare, cum omnium rerum oculati testes, imò etiam pars magna fuerint. De fide verò & integritate eorundem non dubitabit, qui cogitauerit, ipsos quæ ore & scriptis docuerunt, proprio etiam sanguine obsignauisse. Vitam enim potius deponere, quàm fidei veritatem, à se traditam, deserere voluerunt.

Præcipuum ergo huius tractationis nostræ Caput esto, vt de euangelij doctrina & eius dignitate recte iudicare discamus. Habet enim hæc omnia, quæ ad alicuius doctrinæ commendationem faciunt. Argumentum eius siue subiectum, circa quod versatur, Iesus Christus est, verbum vitæ, salutis nostræ author & largitor vnicus. Deinde non noua, sed omnium doctrinarum veritatis summa est. Concepit enim hanc nostræ salutis rationem ab æterno suprema illa & æterna mens, eandemq; à primo mundi exordio & promissionibus & typis prophetarumq; oraculis reuelauit, & tandem Apostolorum prædicatione illustrauit perfectissime. Adhæc de Apostolorum, qui hæc tradiderunt, fide nemini dubium esse potest. Ea enim tradiderunt, quæ ipsis fuerunt compertissima. Accedit omnibus istis, quod Christus Iesus iam mortem aditurus pro illis orat ardentissime: nec pro illis modò, sed & pro omnibus qui in ipsum iuxta illorum doctrinam crediderint, Ioan. 17. Amplectamur ergo æternæ veritatis verbum, vt vera fide Christo Iesu infiti, cum eodem viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

H O M I L I A I I.

ET uita manifestata est: & uidimus & testamur, & annunciamus uobis uitam illam, æternam inquam: quæ erat apud patrem, & manifestata est nobis. Quod uidimus & audiuius, annunciamus uobis: ut & uos communionem habeatis nobiscum. Communicatio autem nostra est cum patre & cum filio eius, Iesu Christo. Et hæc scribimus uobis, ut gaudium uestrum sit plenum.

Dominus noster & saluator Iesus Christus, cælos ascensurus, discipulis suis ait: Vos eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, verum etiam in Iudæa vniuersa & Samaria, denique usque ad extrema terræ, Act. 1. Quibus verbis non illos modò sui officij admonere, verum etiam omnes homines docere voluit, quæ debeat Apostolicæ doctrinæ esse autoritas. Si enim iuratis testibus fides habetur, ijs inquam, quos in iudicijs nostri aduersarij legitime sistunt, magna vitæ est eorum temeritas & impietas, qui testibus filij Dei, quæ is nostræ salutis ergò producit, contradicere audent. Animauit certe huius rei consideratio ipsos Apostolos, qui nullis rationibus vnquam adduci potuerunt, quò minus Christo testimonium constanter & fideliter ferrent. Vidimus idem in principio huius epistolæ, quo D. Ioannes sui testimonij & totius Apostolicæ doctrinæ de Christo autoritatem & certitudinem, paucis quidem, sed solidis rationibus asseruit. *Cæterum*

Cæterum quia de Verbo vitæ, qui Christus est, sermonem se instituisse dixerat, nunc de eodem clarius & copiosius differit. Et primo quidem suę doctrinæ rationem denuo reddens, ostendit, vnde ipsi & alijs Apostolis huius verbi cognitio innotuerit. Deinde quæ nam & qualis hæc vita sit, explicat. Tertiò finem & scopum Apostolicæ prædicationis proponit. De his, quod Dominus dederit, ordine dicemus.

Argumentū præsentis loci.

Vita (inquit) *manifestata est: & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam illam, &c.* Christum, quem antea verbum vitæ dixerat, nunc ipsam vitam nominat. Quia (vt in præcedenti sermone diximus) per ipsum viuimus, & solus ipse fidelium vita est. Christum enim, si auferas, morti & damnationi totus homo subiaceret. Hoc rursus præsentem, viuunt & valet, imò exultat, qui antea desperationis telo quasi confossus iacebat. Rom. 7. Idem quoque exemplum vitæ est, & virtus illa, per quam in Dei conspectu viuere & subsistere possumus. Cæterum Ioannes hisce verbis plenam suę doctrinæ de Christo & salutis negotio rationem reddit. Perinde enim est, ac si dicat: iam olim quidem Deus omnem vitæ & salutis viam in filio suo conclusit, & eundem varijs pronuntiationibus & typis, quasi per transfennam, spectandum proposuit. Plena tamen & absoluta cognitio temporis plenitudini & præfinito illi seculo reseruata fuit. Hoc igitur euoluto, vita illa manifestata est, id est, Verbum illud Dei caro factum est (sic enim ipse Apostolus interpretatur. Ioan. 1.) & nobis discipulis suis sese manifestauit familiariter quàm reliquis, qui exhibitum minoris quàm decebat, æstimauerunt. Hunc quia nos vidimus operantem salutis mysteria, & sermones vitæ docentem audiuimus, & ab eodem rerum suarum testes sumus constituti, nõ possumus non de illo testari, & salutis rationem ab ipso traditam, vobis exponere. Acto. 4. Faciunt verò & hæc ad Apostolicæ doctrinæ autoritatem asserendam, quòd Apostoli diuina & legitima dispensatione vel manu ductione in filij Dei notitiam peruenierunt. Porro in hac prima huius loci parte quædam diligentius excutienda veniunt.

Vnde apostolis Christi cognitio obtrigetur.

Primum inquit: Vita manifestata est, vtique à Deo patre. Nec enim homines hanc propriij ingenij viribus inuestigare poterant, cum (vt Paulus inquit) animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei. I. ad Corinthios, secundo capite. Sed & ipse Christus, Nemo (ait) venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Ioannis capite sexto. At quo officio Deum, vt nos trahat & illuminet, demerebimur, qui priusquam illuminemur, vitam non modò non cernimus, sed nec de illa aliquo modo sumus solliciti? Solidum ergo & merum est diuinæ gratiæ beneficium, Christi manifestatio & cognitio eiusdem. Nullam hic laudem vel ingenij nostri acumen, vel humanæ philosophiæ caliginosa lucernula, vel scholarũ ambrosiæ disputationes merentur. Diuina luce opus est, & spiritus sancti afflatu, qui vbi vult spirare consuevit. Ioan. 3. Patet verò hic paternus in nos Dei amor, qui salutis & vitæ donum non proponit modò, sed idem manifestat, & nos vt illius capaces simus, illuminat. Verè ergo is est, qui homines vult saluos fieri, & in veritatis cognitionem peruenire. I. Tim. 2. Nemo tamen hinc socordix & oscitantix occasionem siue patrocinium quærat. Orari vult pro donis suis Dominus, & nostrum est, vt diuinarum rerum studio flagrantem, dato diuinitus talento rectè fœneremur. Clamemus ergo cum Dauide: Vias tuas mihi notas fac Domine & assuefacito me semitis tuis, &c. Psal. 25. Et cum Apostolis dicamus: Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17. Hęc qui dignè expendunt, nec sibi insolenter arrogabunt salutis suæ & redemptionis gloriam, nec in eiusdem studio animos suos torpere patientur.

Vita manifestatio gratuita.

Secundò obseruandum, quòd licet Deus Christum communem humani generis saluatorem dederit, eundem tamen Apostolis potius quàm alijs primum manifestare, & illorum opera in erudiendis alijs hominibus vti voluit. Quòd si Apostolos carnis & mundi iudicio æstimes, nihil in illis videbis, quod aliqua prærogatiua dignum censeas. Præter quàm enim pauperes fuerunt & contemti, rudes quoque & mysteriorum regni Dei tam ignaros fuisse constat, vt quantumuis assidue institutiones carnalem de terreno Christi regno opinionem illis vix excutere potuerint. Sed hoc sapienti Dei patris consilio factum est, qui per tales filij sui regnũ propagare voluit, vt omnes hoc non humanum, sed diuinæ potentiæ opus esse intelligerent. Ideo Christus in euangelio ait: Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus & reuelaris ea paruulis. Certè pater, sic fuit bona voluntas apud te. Matth. 11. Et Paulus diuini consilij rationem planius exponens inquit: Videte vocationem vestram fratres, quòd non multi sapientes secundum mundum, delegit Deus, vt pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecillia in mundo, delegit Deus, vt pudefaceret ea quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo, delegit Deus, & ea quæ non erant, vt ea quæ sunt obliteraret: vt ne gloriaretur vlla caro coram ipso. I. Corinth. 1. Habes ergo quod illis respondeas, quibus hodie nimium insolens & absurdum vide-

Cur apostolis primum manifestata vita?

tur, si nobis & nostris hominibus, quorum nulla ferè est apud mundum authoritas, veritatem innotuisse dicamus, errantibus interim & in tenebris miserè palpantibus tot scholis, tot episcopis, tot principibus, quos propter insignem sapientiæ, eruditionis & potentiæ existimationem totus mundus admiratur. Nec enim ab hominum dignitate verbi Dei & regni cœlorum authoritas dependet. Imò si his rebus illud prouheretur, quis non illud humanum potius, quàm diuinum opus esse crederet?

*Ministorum fun-
ctio in quo uerje-
tur.*

Tertiò obseruemus, quòd vitam à se & reliquis Apostolis prædicari, subinde repetit & inculcat. At per vitam Christum intelligi, modò diximus. Docet ergo hic locus in quo præcipuè omnium ministrorum uerbi functio uerbetur. Ut nimirum Christum Iesum, unicum uitæ auctorem, adeoq; ipsam uitam humani generis prædicent. Hunc ita prædicauit Ioannes, ut illi nihil coniungat, quòd cū Christo nostræ redemptionis gloriam comunè habeat. Petr. eundem sic proponit, ut neget aliud nomen sub sole hominibus datū esse, per quod possint salui fieri. Act. 4. Et Paulus se nihil præter Iesum Christum, & hunc crucifixum, nouisse fatetur. 1. Cor. 2. Peccant ergo contra Apostolorum exemplum, imò contra Christi præceptum, qui dum uitam in Christo prædicare debebant, ea proferunt, quæ animum hominis horribilibus conscientiæ terroribus occidit: qui ferè proprius omnium humanarum traditionū fructus est. Peccant item, qui uitam quidem pollicentur, sed eandem alibi, quàm in Christo, monstrant. Sic enim miseros homines à fonte aquæ uiuentis ad cisternas uacuas abducunt. Iere. 2. Imò illi ipsi (ut Apostolus ait) fontes sunt sine aqua, & nubes uenti procella agitatur, quæ salutarem illam doctrinæ & consolationis pluuiam minime afferūt. 2. Pet. 2. Sed hæc de prima huius loci parte dicta sufficiant. Transseamus ad secundam, quæ explicatur qualis nam hæc uita sit, quam Apostoli prædicant. Sic enim ait:

*Christus æternus
cum patre.*

Vita erat apud patrem, & manifestata est nobis. Vult his non locum in quo Christus ante incarnationem fuerit, sed essentiam potius & diuinam illius naturam, exprimere. Idem enim dicit, quòd alibi: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & Deus erat illud uerbum. Ioã. 1. Illic enim principij uox, quia Deo tribuitur (qui nec principium nec finem habet) æternitatis, non ordinis, nota est: & in hunc modum Ioannes argumentatur: Quicquid ab æterno est, Deus est. Christus est ab æterno. Ergo Christus Deus est. At Christum ab æterno fuisse, probatur per adiectam sententiam: Et uerbum, id est Christus ille, erat apud Deum. Apud Deum enim esse dicitur, non ut angeli & sancti, qui in eius conspectu fatietate gaudiorum fruuntur: sed quia cū Deo eiusmodi unione coniungitur, ut alter sine altero esse non possit. Relatiua quippe sunt, pater & filius. Si enim pater ab æterno est Deus, ab æterno quoq; filium habeat, oportet. Huc illud Christi dictum pertinet: Credite mihi, quòd ego in patre sum, & pater in me. Ioan. 14. Et alibi: Ego & pater unum sumus. Ioannis 10. Non temere autem Ioannes tam in euangelica historia, quàm in hoc scripto Christi diuinitatem asserit, id quòd omnes & Apostoli & prophete magno studio faciunt. Facit enim hæc ad demonstrandum fidei nostræ dignitatem. Contemnitur hæc à Iudeis & Turcis hoc nomine, quòd nos Christo, quem illi nihil nisi hominem fuisse putant, fidamus: & inde illud propheticum nobis obijciunt: Maledictus, qui confidit in homine. Ieremiæ 17. Sed si iudeo agnoscerent, eum qui præfinito tempore in carne manifestatus est, ab æterno apud patrem esse, & proinde uerum esse Deum, patri cœternum & consubstantialem, uiderent maledictionem hanc nullo modo in nos competere. Quòd si uerò Deus est, Iesus Christus, num de illius potestate quicquã dubitabimus? Deo certè nihil impossibile esse Gabriel angelus fatetur. Luc. 1. At de eiusdè uoluntate minus dubitare licebit, si eundem nullo nostro merito prouocatum, nostræ salutis causa in carnem uenisse, & in hac omnes huius mundi molestias, uenã cum dira & infami Crucis morte subiisse, cogitemus. Est ergo unicum & inuictum fidei nostræ fundamentum, hæc Christi cognitio, qua illum & Deum & hominè esse certò credimus. De hac cognitione ipse loquitur: Hæc est uita æterna, ò pater, ut cognoscant te solū Deum uerum, & quem tu misisti, Iesum Christum. Ioan. 17. Porro his expositis, Ioannes prædicationis suæ & totius apostolicæ doctrinæ finem uel scopum subiungit, qui tertius huius tractationis locus est.

Scopus prædicationis euangelicæ.

Quod uidimus & audiimus, annunciamus uobis: ut & uos communionem habeatis nobiscum. Communio autem nostra est cum patre & cum filio eius, Iesu Christo. Et hæc scribimus uobis, ut gaudium uestrum sit plenum. Docet his Ioannes, quid in doctrina Apostolorum maximè spectari & queri debeat, si mulque suæ prædicationi fidem conciliare studet. Quotquot enim unquam inter homines nouarum religionum authores fuerunt, eas proprij emolumenti causa commenti sunt, ut vel ipsi maioris fierent apud posteros, uel in officio facilius retinerent, quos sibi subiectos esse uolebant. Sic apud Romanos Numa Pompilius sibi cum Aegeria Nympha arcanos congressus esse dicebat, ut rudes & feroces animos, qui sub Romulo armis & sanguini assueuerant, sibi obsequentiores redderet. Et

deret. Et inter papisticarum superstitionum patronos multi sunt, qui persuasionibus varijs opus esse aiunt, ad eos retinendos, qui alioqui nimium ferocirent. At quia fraudes eiusmodi diu latere non possunt, sit vt quicumque antehac inaudita & incognita docent, hoc nomine cuius cordato & prudenti suspecti sint. Hanc ergo suspicionem ab apostolica doctrina & Christiana religione Ioannes remouet, quasi dicat: Si docendo vel vestras opes venarer, vel mundanæ gloriæ auram captarem, vel villo alio modo priuati commodi studium præ me ferrem, meritò quidem doctrina hæc mea vobis suspecta esse poterat. Sed longè alia mihi mens est, o fratres. Tam enim abest, vt vestras opes nobis vendicare, sed cælestes opes, quæ in nos collatæ sunt, vobis communicare studemus. Habemus nos cum Deo patre & eius filio communionem arctissimam. Nos enim pro filijs & hæredibus agnoscit. Nobis præparauit regnum in cælis ab exordio mundi. Huius hæredes, vt & vos nobiscum esse possitis, quærimus, & sic vestrum gaudium, vt & nostrum, plenum, syncerum & perfectum sit. Sunt hæc Apostoli verba fidei meditatione dignissima, vt quæ multa continent ad nostram institutionem & consolationem cum primis necessaria.

Primum, in hoc est Ioannes, vt nos tam cum ipso, quàm cum omnibus alijs Apostolis, communionem habeamus. Est hoc argumentum synceræ charitatis, qua sancti Dei cultores erga orationum homines flagrant. Quia enim fide vera præditi sunt, quæ Dei gloriam omnium suarum actionum scopum sibi præfixum habet, non possunt non in hoc incumbere, vt in eius fidei conformem alios quoque pertrahant, vt per ipsos etiam Dei gloria propagetur. Simul quoque docemur, vt vna & eadē nostræ et apostolorum salutis ratio. Vt enim salus in vno Christo comprehensa est: ita per Christum saluentur oportet, quotquot hanc assensum & eandem esse salutis rationem, tam Apostolis quàm nobis omnibus propositam. Vt enim qui cupiunt. Ideo Christus omnes laborantes & oneratos, omnes esurientes, omnes sitientes ad se vocat. Matthæi vndecimo, Ioannis sexto & septimo capite. Et infra audiemus, Christum non modo pro Apostolorum, sed totius mundi peccatis mortuum esse. i. Ioannis 2. Et Paulus apostolus, Deum sibi propitium & clementem ideo fuisse testatur, vt ijs exemplar proponeret, qui simili modo in ipsum credunt. i. Timoth. 1. Non est ergo, quod Apostolos quidem per Iesu Christi meritum saluatos esse, nos vero ipsorum meritis saluari oportere putemus. Nam & ipse Christus nos in salutis ratione cum Apostolis coniungit, quando pro illis orans, addit: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Ioannis capite decimo septimo. Vt ergo Petrus, Ioannes, Paulus, Iacobus & omnes alij apostoli, per solius Christi meritum saluari sunt: ita nos in solo hoc salutem nobis repositam esse intelligamus. Vt Paulus & Ioannes vnum mediatorem inter se & Deum patrem agnouerunt. i. Timoth. 2. i. Ioannis 2. ita nobis quoque nullum alium datum esse credamus. Vt Paulus in sola Christi cruce gloriatur, Galat. sexto capite: Ita nos in vna hac nostræ fidei gloriam & redemptionis spem sitam putemus. Vt vnicam corporis & sanguinis Christi hostiam, in ara Crucis pro peccatis mundi immolatam, agnouerunt Apostoli: Ita nos eadē contenti, nouas pro peccatis nostris satisfactiones minimè quæramus. Nec enim euacuari potest Christi meritum, nec ipse mutatur in horas, vt de suo Vertumno vel Proteo poetæ fabulantur. Sed idem est Christus heri, & hodie, & etiam in secula. Heb. 13.

Secundò, quæ & qualis hæc sit communio, explicat. Meritò enim de hac quærat aliquis, quando Apostolos Christi in hoc mundo miserimos & calamitosissimos mortalium, & tanquam oues mactationi destinatas fuisse audit. Et ea est carnis nostræ natura, vt cum talibus communio nem habere nequaquam cupiat, quos toti mundo exosos, & quorum amicitiam periculosam esse videt. Ostendit ergo quousque extendatur ista communio siue societas. Ea (inquit) est cum Deo patre, & cum filio eius, Iesu Christo. Non ergo in ijs hærendum, quæ oculis nostris & reliquis corporeis sensibus offeruntur. Quia enim nos è mundo selectos sibi & patri suo consecrauit Christus, quicumque in hunc credunt, non inter seipos modo per fidei communionem vniuntur, sed in ipso. Ioan. 6. At quia Christus in patre manet, & pater in ipso, fieri nequit, quin Deo patri vni & eius consortes sint, quicumque per fidem Christo inferti sunt. Comprehendit hoc omnium bonorum, quæ in Christo sunt, promissionem, adeoque omnis boni, quod in Deo continetur, consortiū. Nobis enim omnipotens est Deus, vt nimirum nos sua illa omnipotentia tueatur & conseruet. Nobis bonus & misericors est, vt suæ gratiæ thesauros in nos conferat. Nobis verax est, vt promissiones salutis impleat. Nobis iustus est, vt contra calumniatorem satanam protegat, & ex illius potestate liberet. Nobis sapiens est, vt suo spiritu nos dirigat, & vias nostras in mundi huius tenebris moderetur. Nobis diues & inexhaustus est, vt omnium nostrum votis possit sufficere. Similiter nobis iustitia à Deo patre factus est Christus, nobis factus est sapientia, satisfactio, sanctificatio & redemptio. i.

C A P V T I.

Corinth. 1. Et hæc quidem non ad vnum modò & alterum, sed ad omnes ex æquo spectant. Omnibus fidelibus communia sunt. Non obest nobis eorum, qui ante nos huius communionis confortes facti sunt, multitudo. Nam in domo patris mei (inquit Christus) mansiones multæ sunt. Ioan. 14. Quis ergo non exclamet: O profunditatem diuitiarum Dei. O fontem perennem gratiæ & bonitatis. Debent verò hæc nostræ & consolationi & institutioni seruire. Docent enim, quid in apostolorum doctrina & fide Christiana queri debeat: nimirum, non opes mundi huius, non gloria huius seculi, non voluptatis carnalis illecebræ, non malesuadum otium, non infelix carnis securitas, sed communio hæc Christi, Dei patris & bonorum ipsius. Hanc qui vnicè quaerunt, ijs quæ præfenti vitæ seruiunt, non deerunt vnquam. Matth. 6. Habebunt ijdem consolationem in aduersis omnibus. Quomodo enim paupertatis metu deijcientur, qui cum Deo opulentissimo se communionem habere norunt, qui cum aperit manum suam, omnia implet benedictione, qui dat pascua, & pullis coruorum inuocantibus se escam suam? Psal. 145. & 147. Quomodo mundi infamia terretur, qui in cœlis gloriæ Christi se consortem fore nouit? Luc. 22. Cur exilium timet, qui patriam in cœlis repositam habet, à qua nulla mundi tyrannis arcere poterit? Vel num mortis horrore se superari patietur, qui vitam suam in Christo absconditam esse, & illius merito mortis vim omnem deuictam esse intelligit? 2. Corinth. 15. Harum rerum consideratione abreptus Paulus exclamat: Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Imò in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos, &c. Rom. 8.

Gaudij Christianorum.

Huc referri debet, quod de fine huius communionis Ioannes addit. Et hæc scribimus vobis, vt gaudium vestrum plenum sit. Varia sunt hominum in hoc seculo gaudia, & trahit sua quemque voluptas. Sunt qui auaritia excæcati in pecuniarum acerbis gaudent, dum nummos contemplantur in arca. Alij commestationibus gaudent & gulæ studio. Quosdam Veneris insana voluptas exhilarat. Inueniuntur etiam belluini quidam, non hominum nomine digni, qui armis gaudet & sanguine. Accedunt & alij, quos gloria & adulatorum ambitiosi applausus stulto gaudio quasi inebriant. Sed nullum ex his gaudijs plenum, perfectum & syncerum dici potest. Quia enim illorum causa inest instabilis & incertis fortunæ vicibus obnoxia sunt, certum & stabile gaudium esse nequit, quod illis nititur. Præterea, infiniti sunt casus, qui gaudia hæc doloribus acerbissimis inficiunt, quod experientia satis docet. At Christianis gaudium plenum, syncerum & omnibus numeris absolutum Apostolus pollicetur. Huius fundamentum Christus est, qui cum peccatis nos liberet, cōscientiarum stimulos sedat, qui quoad nos pungunt, gaudij omnis causam planè auferunt. De hoc gaudio Christus loquitur: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollit à vobis. Ioan. 16. Et Paulus apostolus fideles semper gaudere iubet. Phil. 4. Ea enim est fidei conditio, vt in afflictionibus quoque gaudeat, dum has gloriæ Dei seruire, & patienter eadem ferentibus amplissimam in cœlis mercedem propositam esse nouit. Matth. 5. Rom. 5. Accedit his perpetua & æterna huius gaudij continuatio, quam nullus casus interrompet. Isa. 64. & 66. Matth. 25. &c. Felices certe sunt, qui pro hoc potius, quàm incerto mundi gaudio, laborare solent. Didicimus hucusque, quid de filio suo Iesu Christo apostolis suis Deus pater manifestare dignatus sit. Audiuius hunc esse vitam & salutem eorum, qui in ipsum credunt. Vidimus denique salutarem euangelicæ prædicationis scopum, communionem scilicet cum Deo patre & filio eius Iesu Christo. Comprehendit hæc in se omnes gratiæ & salutis nostræ thesauros. Leues facit omnes huius vitæ molestias. Et contra aduersariam potestatem armis insuperabilibus instruit. Hæc ergo vera fide amplectamur, vt tam sanctæ & salutaris communionis membra facti, solido & æterno gaudio fruamur in eo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

H O M I L I A I I I.

ET hæc est promissio, quam audiuius ex ipso, & annunciamus vobis: quod Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dicamus, quod communionem habemus cū eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus inter nos, & sanguis Iesu Christi, filij eius emundat nos ab omni peccato.

EXPO.

Expofuit hucusque D. Ioannes ea, quæ ad Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ commendationem faciunt. Ostendit enim eius subiectum siue argumentum esse Dei filium, Iesum Christum, quem verbum vitæ, imò ipsam vitam vocat, quia in ipso omnis nostræ salutis ratio cõsistit. Deinde eius veritatem & certitudinem multis argumentis, adductis etiam in eius testimonium externis sensibus, demonstravit. Tandem lætissimum & salutarem eius finem siue scopum proposuit, communionem cum Deo patre & filio ipsius Iesu Christo, quæ sola tã præsentis quàm futuræ vitæ bona vniuersa complectitur. Cæterum, licet hæc mera sint diuinæ gratiæ dona, & nullis nostrorum operum meritis acquiri possint (quid enim Deo, qui nostri minime indiget exhibebimus, quod tantis ipsius beneficijs respondeat?) eam tamen à nobis gratiã requirit, vt quò facilitate sua & beneficentia impuram carnis licentiam & peccandi impunitatem plantauisse videtur possit. De hoc igitur in præfenti loco diligenter Ioannes differit. Primo enim argumento à Dei natura ducto docet, quam viuendi rationem hic ab illis requirat, quos per filium suos confortes fecit. Deinde falsos Christiani nominis professores arguit, qui vita Christum, quem ore profiterentur, abnegant. Tertiò vberimos fructus & amplissima præmia eorum recenset, qui diuinæ naturæ & voluntati sese conformes reddere studēt. Faxit Deus, vt in tanta nostri seculi licentia, de his cognitu perquam necessarijs, vtiliter & multorum cum fructu differamus.

Argumentū præ
sentis loci.

I. Hæc est promissio, quam audiimus ex ipso, & annunciamus vobis. Priusquam rem ipsam aggreddatur, hæc præfationis loco præmittit, quibus doctrinæ suæ certitudinem magis commendari debet, quod huic confirmandæ & stabilendæ tribuitur. Cæterum non oscitanter prætereundum est, quòd doctrinam suam modò promissionem nominat. Euangelium ergo nõ nuda rerum à Christo gestarum prædicatio est, sed quæcunq; in illo prædicat, nobis, propter quos ille missus est, pollicetur, vt ea nõ à nobis aliena esse, sed eũ primis ad nos pertinere intelligamus. Potest hoc facillè torius scripturæ testimonijs comprobari. Isaïas certè Christi mysteria describens ait: Cognitione sui multos iustificabit seruus meus, &c. Isa. 53. Quæ verba manifestam promissionem habent. Taceo nunc quod promissiones patriarchis datæ, nihil aliud quàm Christi & mysteriorum ipsius descriptionem, adeo q; ipsissimum euangelium continent. Quòd si Christum concionantem audiæs, quid aliud quàm promissiones sonat? Venite (inquit) ad me qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Matth. 11. Qui credit in me, habet vitam æternam. Ioannis 5. & 6. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Et quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternam, &c. Ioannis 7. & 4. Nec verò olim duntaxat, euangelicas promissiones, cum ipsius Christi ore proferrentur, ratas fuisse putabimus. Manent enim firmæ & solidæ in æternum erga omnes, qui ipsas vera fide susceperint. Docent hoc Christi uerba, qui docendi munus Apostolis committens inquit: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar. 16. Et Baptistæ eandem promissionem uniuersalem facit, dicens: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet vitam æternam, &c. Ioannis 3. Similiter Petrus apud Cornelium Centurionem de Christo differens, ait: Huic omnes prophætæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit, per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Acto. 10. Sed quid testimoniorum multitudine opus est in re clarißima? Vsum potius huius nominis probè expendamus. Euangelium promissio vitæ & salutis est, ab ipso Christo per Apostolos tradita. Credamus ergo promissioni huic, ne in Christum iniurijs & ingrati deprehendamus. Illam enim spreuisse & in dubium vocare, quid obsecro aliud est, quàm Dei filium mendacij insimulare?

Euangelium est
promissio.

Videamus nunc quam viuendi rationem à nobis Deus exigat. Paucis hanc innuit Ioannes, & (vt diximus) argumento à Dei natura desumpto eandem nobis commendat. Deus (inquit) lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Quid verò hinc aliud sequetur, quàm in luce ambulandum, & opera lucis faciendæ esse ijs, qui cum Deo communionem habere volunt? Sic enim argumentum integrum constitues: Quicumque cum Deo communionem & consortium expetit, illius ingenio & naturæ sese accommodare & conformem reddere debet. At Deus lux est. Lucis ergo opera faciant, qui Dei consortes esse cupiunt. Lux verò dicitur Deus per comparisonem. Vt enim luce nihil purius est: ita Deus ipsa est puritas & integritas in attributis suis omnib. Siue enim eius iustitiã, siue bonitatem, siue sapientiã, siue veritatem, aut alias virtutes inspicias, omnes illæ sine omni imperfectionis & pollutionis macula cõparebunt. Deinde, vt lux & ipsa videtur, & reliqua vt videri possint illustrat (est enim medium visus, sine quo is vim suam exercere non potest:)

Ratio & leges
vitæ Christianæ.

Deus lux est.

ita Deus solus est, qui vbi animis nostris innotuit, nos illuminat, vt quę salutis nostrę sunt, cernere possimus. Vnde apud Prophetam dicitur: In luce tua videbimus lucem. Psal. 36. Rursum, vt lux animos serenat, & tristitiam propter tenebrarum caliginem obortam pellit: ita Deus, vbi nobis propitiuss affulget, ita animos recreat & exhilarat, vt nullis aduersis amplius concuti possint. Rectę igitur Dauid exclamat: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Psal. 27. Pręterea, vt lux gressus nostros dirigit & tutò nos facit incedere: ita Deus suo verbo & spiritu illuminatos ducit & regit, ne in densissimis mundi huius tenebris impingamus. Quare verbum eius lucernam pedum nostrorum Dauid appellare voluit. Psal. 119. Talis ergo lux cum sit Deus, necessario vtique lucis opera ab ijs exiguntur, qui cum illo communionem habere desiderant. Quę vero illa sint, collatione & aliquot scripturę locis discemus.

Opera lucis.

Christus Ioan. 3. de mundo dicit, quòd tenebras dilexerit magis quàm lucem. Et addit rationem: Erant enim opera eius mala. Lucis ergo opera erunt, quę malis opponuntur. Item Paulus apostolus Christianos sui officij admonens, Rom. 13. scribit: Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die compositę ambulemus, non in comestationibus & ebrietatibus, non cubilibus & lasciujs, non contentione & æmulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum. Et carnis curam ne agatis ad concupiscentias. Coniungit ergo opera tenebrarum cum carnis operibus apostolus, imò eadem facit. At idem carnis opera alibi per enumerationem plenius exponit, dicens: Manifesta sunt opera carnis, quę sunt hæc: adulterium, scortatio, immunditia, lasciuia, simulachrorum cultus, veneficium, inimitiã, lis, æmulationes, irã, concertationes, seditiones, sectę, inuidię, cędes, ebrietates, comestationes, & his similia, &c. Galat. 5. Quę omnia si in certos ordines distribuere velis, opera carnis & tenebrarum dices, quęcumque cum fidei & religionis puritate, cum vitę & morum innocentia, cum veritate, cum temperantia & charitate fraterna pugnant. E contra lucis opera erunt, fides vera in Deum patrem per Christum Iesum, religio pura secundum Dei verbum instituta, vitę puritas & sanctimonia, veritatis studium à fraude doloq; alienum, Christiana vel fraterna Charitas, quę sola totam legem implere dicitur. His ergo studeat oportet, qui vere Christianus & bonorum cęlestium consors censerit. Dauid certę communionem nostram cum Deo describens, Psalm. 15. sic ait: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Quis in monte tuo sancto requiescet? Qui ambulat integer, & quod iustum est operatur, quiq; in corde suo veritatem loquitur. Non obtreçtat lingua sua, nec malefacit proximo suo, nec sustinet probro indigne affici vicinũ suum, &c. Et apud Isaiam cap. 33. cum ardoribus æternis diuinę iustitię habitaturus dicitur: Qui ambulat in iustitijs, & loquitur quę recta sunt, &c. Et ad libi externum cultum spiritus sanctus, ceu inutilem, damnans addit: Indicaui tibi homo, quid bonum sit, & quid à te requirat Deus: nempe facere iudicium, diligere benignitatem, & submissum ambulare cũ Domino Deo tuo. Mich. 6. Similiter Christus in euangelio inquit: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. Idem pedes, id est, affectus quotidie ablui vult, ne contra patris ipsius legem transuersi abripiamur. Ioan. 13. Et Iacobus cap. 1. dicit: Religio pura & immaculata apud Deum & patrem hæc est: Inuifere orphanos & viduas in afflictione sua, immaculatum seipsum seruare à mundo. Sed quid hisce testimonijs commemorandis immoror, cum sacra legenti passim sint obuia? Imis animis potius Ioannis argumentum recondere decet, vt intelligamus, hæc non philosophorum placita, non humanarum traditionum figmenta, sed spiritus sancti inuolabilia decreta esse, quę nisi obseruauerimus, cum luce æterna communionem habere nunquam poterimus, sed tenebrarum filij in tenebras externas eijciemur. Et de his quidem in sequentibus Ioannes agit, quę secunda huius loci pars est.

Cõtra pseudochristianos.

I I. Si dicamus, quòd communionem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus. Si dicamus, nos cum Deo communionem habere, id est, si nomine Christi & filiorum Dei gloriemur, si nos Deo coniunctos esse, & regni cęlorum hæreditatem ad nos pertinere, contendamus: interim in tenebris ambulamus, id est, opera tenebrarũ facimus, carnis & mundi studijs per omnia dediti, tam abest, vt profit nobis hæc gloriatio, vt potius reos grauissimi peccati coram Deo faciat, & à regno ipsius in vniuersum excludat. Mendaces etenim nos esse, palam testamur, & proinde non Dei, sed diaboli (qui in veritate non stetit. Ioan. 8.) filij sumus. Quę enim communio luci cum tenebris? 2. Corinth. 6. Aut ergo tenebrarum opera deferamus oportet, aut frustra Dei & Christi ipsius nomine gloriabimur. Qui enim Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs. Galat. 5.

Non prodest nuda Christiana professio.

Sunt hæc diligenti consideratione dignissima. Licet enim omnes pro corrupto carnis ingenio quotidie peccemus, paucos tamen inuenire licet, qui non Dei cultores & amici haberi velint. Arbitrantur

Arbitrantur autem plerique, ad huius nominis gloriam externa symbola & fidei professionem sufficere. Hinc fit, ut sub nominis Christiani prætextu, in omnem carnis licentiam abrepti, omnia ea faciant, quæ olim falsos Israelitas sub templi & sacrificiorum velo fecisse legimus. Isa. I. Psal. 50. Ier. 7. &c. Est hæc multorum & grauissimorum offendiculorum causa. Sic enim multis persuadent studiosiores sunt, ab hac doctrina, tanquam bonis moribus inimica, sibi abstinendum putant. Et qui eiusdem aperti hostes sunt, eò quòd illis luce ipsorum arguitur improbitas, hinc occasione arrepta, in illam insana linguæ rabie liberius grassantur. Nemini igitur leuiculum videatur, Christianomen falsò profiteri. Mendaces non fert, qui æterna est veritas. Minus ergo eos feret, qui mendacijs suis & ipsius gloriæ & multorù saluti officiant. In hos stringi debet, quod Christus Matth. 7. ait. Multi dicent mihi in illo die: Domine domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum multa virtutes præstitimus? At tunc constitebor illis: Nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem, &c. Hæc vtinam serio expenderent, qui Christianam libertatem carnalis licentiæ prætextum faciunt.

Interea habent hic, quo sese confirmare simplices, dum propter multos licentiosius peccantes sub Christianæ fidei prætextu, de huius veritate dubitare incipiunt. Nisi enim tales futuri fuissent, frustra contra hos per prophetas & apostolos pugnauisset spiritus sanctus, & frustra nos de illis admonuisset. Habes etiam quod illis respondeas, qui impuros hosce Epicuri de grege porcos nobis obijciunt, quasi talia scelerum portenta prædicatio gratiæ Dei pariat. Sed eadem ratione illi Christum damnabunt, qui in suo cœtu Iudam habuit, furem & proditorem impijsimum. Damnabunt omnem veterem ecclesiam, quam non modò prophani homines, carnis affectibus et flagitijs dediti, verumetiam hæreticorum phalanges miserè vexauerunt. Sed stultum est, euangelio paucorum licentiam acceptam ferre, cum nullus hominum ordo tam sanctus sit & integer, in quo non plures reperire liceat, qui carni & prauis cupiditatibus plus æ quo indulgeant. Nos certum & infallibile axioma esse credamus, nõ Christianos & Dei filios, sed mendaces & diaboli prolem esse, qui Christiano nomine gloriantur, cum nihilominus in tenebris ambulent. Sequitur loqui huius pars vltima, quæ fructus & præmia eorum recenset, qui vitam Christiano nomine dignam & communioni diuinæ respondentem viuunt.

III. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus inter nos, & sanguis Iesu Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato. Duo pollicetur vere fidelibus & Christianis Ioannes. Primum est: Communionem habemus inter nos. Vbi non putabimus, communionis huius iura inter homines tantum consistere. Quia enim fideles Christo insiti sunt, qui eosdem vnum faciunt cum patre, imò illis spiritum filiorum Dei largitur, ad ipsum Deum hæc communio extenditur. Vult ergo dicere Apostolus: Si opera lucis sectemur, & vitam viuamus æterna luce dignam, in communionem & confortium filiorum Dei verè adoptabimur, vt diuinæ gratiæ omniumque bonorum eius participes fieri possimus. Continet hæc promissio, quæcunque ad veram hominis beatitudinem faciunt. Nihil etenim ei deesse potest, cui cum Deo, omnis boni fonte & copiæ congerere, superuacaneum est.

Alterum præmium est, quòd sanguis filij Dei, Iesu Christi, nos emundat ab omni peccato. Habet hoc turbatæ conscientiæ solatium. Licet enim per fidem Christo inferamur, & is spiritu suo innocentiae & sanctimoniae studium in nobis accendat, manent tamen peccati reliquiæ, & corruptæ naturæ ingenium: quod nunquam tam plenè reprimetur, quin vires suas proferat, & caussa sit, vt iustus quoque in die cadat septies. Prouerb. 24. Hic ergo, qui infirmior est, facilè tentabitur, vt se communionem filiorum Dei excidisse, & omni spe cœlestis hæreditatis spoliatum putet. Huic tentationi occurrens Ioannes, in fidelibus, qui in luce ambulant, adhuc peccata superesse fatetur, quæ emundatione opus habeant. Et quia emundationis meminit, eandemque simul pollicetur, docet eiusmodi infirmitatis nostræ lapsus vero fideli nequaquam officere posse. Est ergo hoc amplissimum vitæ Christianæ præmium, liberatio nimirum à peccato, cuius solius culpa fit, vt à regno Dei excludamur. Hoc sublato, quid restat, quàm vt filij Dei, regni eius hæreditatem consequamur, vt pollicitus est.

Porro, quòd nam illud medium est, quo à peccatis emundamur? Sanguis filij Dei, Iesu Christi. Hunc quia nominat Ioannes, solum hunc emundationi nostræ sufficere, nec aliam peccatorum nostrorù expiationem vsquam extare, certò credamus. De ijs enim hic loquitur, qui veri filij Dei in luce ambulant, operibus lucis student, innocentiae & charitatis leges pro virili sectantur. Et tamen illos, sanguine filij Dei emundari & expiari, dicit. Quam ergo in suis operibus & meritis spem

*Pseudochristiana
rum peccatis ne-
mo offendatur.*

*Vere fideliu præ-
mia.*

*1. Cõmunio cum
sanctis & Deo.*

*2. Emundatio à
peccatis.*

*Mediu, per quod
mundamur.*

habebunt reliqui, si ad Christi meritum, qui reuera filij Dei sunt, relegantur? Quam commo-
dam hoc loco nostra opera & merita extollendi occasionem habuisset, si illa aliquam in redemp-
tionis nostræ causa laudem mererentur? Nam dicere poterat: Si in luce ambulemus, communi-
onem cum sanctis & Deo habebimus, simulq; propter opera lucis, quæ à nobis fiunt, iustificati sa-
lutem merebimur. Sed nihil tale cogitans, Sanguis (inquit) filij Dei nos emundat ab omni pecca-
to. Et vt vnus sanguinis Christi meminit, ita vicissim omne peccatū nominat, ne alia quidē pec-
cata sanguine Christi, alia verò nostris meritis expiari putaremus. Omnes ergo peccatorum expi-
ationes, extra Christi meritum institutas, Ioannes breui hac & vere apostolica sententia iugu-
lat. Quid enim homo faciat, qui ex semetipso non est idoneus, vt vel cogitet quod bonum est? 2.
ad Corinthios tertio. Stultum est ijs gloriari, quæ accepisti. At quid habes o homo, quod non ac-
ceperis? 1. ad Corinthios quarto. Dei opus est, quod abs te bene fit. Et cum illi mercedem
pro hoc pollicetur, non meriti tui, sed gratiæ Dei hæc promissio est, qui opus suum in te coro-
nare dignatur. Est hæc concors & vnanimis totius scripturæ doctrina. Apud prophetam Do-
minus clamat: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, **ID QVE PROPTER**
ME, & peccatorum tuorum non recordabor. Isa. 43. Item: Ego deleui transgressiones tuas, vt den-
fas nebulas, & vt nubem peccata tua, &c. Isa. 44. Et rursus: Ego ego sum dominus, & præter me
nō est seruator. Isa. 43. Similiter apud eundem prophetā: Ego dominus, & hoc est nomen meū, &
gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42. At quomodo gloriam suam alteri non dat, si nos in nostræ
redemptionis gloriæ locum aliquem obtinemus? Sensit idem Dauid, qui cum peccati à propria
conscientia accusaretur, non ad sua opera, quæ plurima & sanctissima habebat, confugit, sed ad do-
minum conuersus clamat: Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Ex pia me hy-
sopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior, &c. Psal. 51. Et hæc quidem veterum fuit sen-
tentia, penes quos multus legis & sacrificiorum vsus erat. In nouo Testamento, primus eius mi-
nister Christum digito monstrans disertè pronunciat: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatū mun-
di. Ioan. 1. Si is tollit, quid nobis agendum superest? Et Petrus, Christum super lignū peccata no-
stra tulisse fatetur. 1. Pet. 2. Idem in nullo alio salutem esse, constanter affirmat. Acto. 4. Sed dies me
deficeret, si quæcunq; in hanc sententiam dicuntur in sacris literis, recensere vellem. Nos prophe-
tarum & apostolorum doctrinam secuti, solius Christi sanguine nos à peccatis ablui, credamus:
qui & Petro dixit: Nisi ego lauero te, non habebis partem mecum. Ioan. 13. Lauat autem in se cre-

Quanta sit peccata
atrocitas.

Licet ex his æstimare quanta sit peccati atrocitas. Si enim peccata solius filij Dei sanguine e-
mundari & expiari possunt, horribilem eorum culpam esse oportet, nisi Deum, vel imprudenter
prodigum in filij sui sanguine fundendo, vel certe crudelem dicere velimus. Expendant hoc, qui
peccati blanditias tam facile admittunt, vt de omnibus flagitijs suis nimium leuiter pronunciant.
Sed dic obsecro, quisquis es. Num Christum pro te passum, & in Cruce mortuum esse credis? Fa-
teberis scio, nisi te à regno Christi & salute alienum dicere velis. At quæ causa est, vt propter te fi-
lius Dei in tam atrocem & diram mortem traditus sit? Non alia vtiq; quàm peccata nostra. Sic
enim scriptura pronunciat: Propter transgressiones nostras ipse vulneratus est, & attritus debeba-
tur, & qua nos corrigi oportebat, ei imposita est, &c. Isa. 53. Tua ergo peccata, qualiacunq; tu illa
æstimes, Christo tam acerbæ passionis causa fuerunt. Tua concupiscentia, tuo odio, tua libidine,
tua seortatione, tuis adulterijs, tuis vsuris & fraudibus, tuis dolis & mendacijs, tuis periurijs &
blasphemijs, tuis homicidijs, tua idololatria, tua impietate, tuis denique transgressionibus, quæ
abs te qualescunq; contra Dei legem commissæ sunt, factum est, vt tam crudele Crucis supplici-
um Dei filium subire oportuerit, cuius aspectum nec Sol sustinere, nec eiusdem indignitatem pe-
træ ferre potuerunt. In nunc & tibi ipsi blandire, quando iisdem denuo te immergis, & omni admo-
nitione ac pœnitentia spreta incurabilem te præbes pertinaciter.

Discamus fratres imis animis, quæ hucusque dicta sunt, recondere. Res magna & grauis est,
Christiani nominis professio. Ea cum gloriari libeat, curemus ne falsò & frustra hac gloriemur.
Ambulemus in luce, & eius opera sectemur. Sic enim fiet, vt cõmunionis cum deo & sanctis eius
vere participes & sanguine filij Dei à peccatis abluti, cum eodem æternum viuamus, cui debetur
benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A I I I I.

SI dixerimus, peccatum non habemus: nos ipsos fallimus, &
veritas

ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, non peccauimus; mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis.

Quandoquidem Deo patri nostro visum fuit, nostræ salutis causa filium suum dilectum carne sumpta in mundum mittere, in eodem comprehensa esse voluit, quæcunq; ad salutem & redemptionem humani generis necessaria sunt. Sunt hæc multa & eximia bona, in quibus explicandis scripturæ crebrò versantur. Ioannes tamen, miræ & perspicuæ breuitatis studiosus, omnia ea duobus generibus complectitur. Primò enim per Christum nobis communionem vel societatem cum Deo obtingere docet. At cui cum Deo conuenit, qui omnis boni fons est vberius, ei nihil deesse poterit. Idem etiam contra omnem mundi & satanæ tyrannidem satis munitus & instructus est. Si enim Deus nobiscum, quis contra nos? Rom. 8. Deinde, sanguine Christi nos à peccatis ablui dicit. In Christo igitur omnem salutis rationem monstrat. Nec enim aliud est quod à salute abstrahat, præterquam peccatum, quod iræ filios & Dei inimicos reddit. Verè ergo Paulus in Christo omnem plenitudinem, gratiæ nimirum & salutis, habitare dicit. Col. 1. Cæterum ubi hæc prædicantur, duo prodeunt hominum genera, quæ utraq; doctrinæ huic inimica sunt. Primum hypocritarum est uel iustitiorum, quales olim Pharisei fuerunt. Quia enim isti proprijs satisfactionibus & meritis nituntur, Christi sanguinem & meritum eius magnificare non possunt; imò prædicationem omnem de huius merito superuacaneam esse putant. Alterum filios huius seculi habet, Epicureos, carnis & mundi studijs per omnia addictos homines. Hi, quia autem ipsi uidentur, ut tam graui & pretiosa satisfactione opus fuerit. Rident igitur quæcunq; de Christi mysterijs, de peccatorum emundatione, de satisfactione Christi, de pœnitentia & reliquis pijs officijs dici audiunt. Vtrisque in præsentem D. Ioannes Apostolus mederi studet. Primò enim docet, omnes homines peccatores esse, & proinde gratia Dei per Christum collata opus habere, si saluari uelimus. Secundò, quid nos facere deceat, exponit, ut à peccatis liberemur. Postremò repetit grauioribus uerbis quod initio dixerat, quo & in hypocritis priuatæ fiduciæ insolentiam reprimat, & alteris illis perniciosam illam carnis securitatem excutiat. De his quantum Dei gratia dederit, in præsentem dicemus.

*Argumentum præ
sentis loci.*

I. Si dixerimus, peccatum non habemus: nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Coheret hæc præcedenti sententiæ, & præoccupationis speciei habent. Dixerat enim, Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Quia uero emundatio ista, nec hypocritis propriæ iustitiæ meritis nitentibus, nec mundi filijs securè peccatibus, necessaria uidetur, hanc sententiã subiungit Apostolus, quasi dicat: Non temere factum est, quòd inter beneficia Christi, quæ fide percipiuntur, emundationi à peccatis primò quodammodo locum tribuit. Quia enim omnes peccatores sumus, ea omnibus est perquam necessaria, nec quisquã hac se minus indigere putabit, qui uel peccati atrocitatè, uel propriæ iustitiæ imperfectionem cõsiderare uelit. Vehementiori autè dicèdi genere utitur, ut sententiã suã, nobis cognitu necessariam, magis commendat. Nec enim contentus est dixisse: Omnes peccatum habemus, & proinde indigemus gratia & merito Christi, qui nostra peccata abluat. Sed ait: Si aliquid ea fuerit præsumptio, cõfidentia, siue temeritas, ut se à peccato omni immunem & liberum dicere ausit, hic seipsum fallit. At omnis fallacia in salutis negotio damnabilis & exitiosa est. Addit uerò & grauius quiddam: Veritas in eo nõ est. Impossibile ergo, ut idem cum Deo, qui æterna ueritas est, commercium habeat. Nemo autem solum Ioannem in hac sententiã esse existimet, quòd omnes nos peccatores simus. Est enim hæc cõcors totius scripturæ doctrina. Deus certè, figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua esse, dicit. Gen. 8. Dauid in peccatis se conceptum esse censet? Propheta clamat: Omnes tanquã oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit. Isa. 53. Sancti omnes orare cõsueuerunt: Ne ambules in ius cum seruis tuis, quia nõ iustificabitur apud te ulla caro. Et si iniquitates obseruare uelis, Domine, quis subsistet? Psal. 143. et 130. Paulus, per unum hominem peccatum & peccati pœnã, mortem, in mundum introiisse, testatur Rom. 5. Sed & ipse Christus, neminè, præter unum & solum Deum, bonum esse pronunciat. Matt. 19. Porro rationes quoq; sunt, quibus hoc ipsum doceri potest. Peccatum est quicquid contra legem Dei fit. At cõtra legem Dei multa omnes nos facimus, nec aliquis reperitur, qui omnia legis capita se obseruasse gloriari possit, eum & animum totum Deus requirat, & concupiscentias in nobis repressas uelit.

Omnes sumus peccatores.

Verè igitur Ioanes, nos omnes peccata habere affirmat. Verè etiam ueritatem in nobis esse negat, si nos peccatores esse negare audeamus. Quomodo enim ueritas in eo locum habere poterit, qui tot tamq; perspicuis æternæ ueritatis oraculis contradicere nõ ueretur? Sed priusquã hinc discimus, quædam paulò diligentius excutienda sunt.

*Ordo, quo in nobis
strippsius cogni-
tionẽ uenire pos-
sumus.*

Primò ordinẽ, quo Ioannes in hac doctrina utitur, obseruare oportet. Dixerat in præcedentibus de Deo, qui lux est mera sine tenebris. Ostenderat itẽ, in luce ambulandum esse ijs, qui cũ Deo communionem habere expetunt. His modò doctrinã eam subiicit, qua omnes nos peccati accusat & conuincit. Habes hic, qua via in tui ipsius cognitionem peruenire possis: quæ ut nobis perquàm necessaria, ita acquisitu difficilis est. Quare apud gentes olim præcipua sapientiæ pars iudicata fuit, se ipsum nouisse, & Chilonis illud *γνώθι σεαυτόν* in columna Delphica consecratũ & quecunq; gemus. Quia enim philautiæ fascino excæcati sumus, nobis ipsis mirè placemus, placet & quecunq; que facimus. Et ut amatores deformia multa & turpes habitus in personis, quas amant, obseruare non possunt: ita nec nobis uitiosa apparent, quæ à nobis sunt, licet uitiosissima sint. Accedit his, quòd aliorũ de nobis iudicia indignè ferimus, & tam abest, ut aliorũ uerbis uelimus argui, ut uerbum Dei eo nomine nobis exosum sit, quòd nostrã corruptelam arguit. Ut ergo propria faciem nemo uidet, nisi in speculo: ita nec nos nostræ naturæ imperfectionẽ sine speculo aliquo unquam cognoscemus. Speculũ hoc ipse Deus est, uel Dei cognitio. Ut primũ enim animis nostris Deus innotescit, qui lux est pura & integra, mox quantæ in nobis tenebræ sint, animaduertimus. Vbi Dei uoluntatem cernimus supremè sanctam & puram, quàm horribilis sit nostræ uoluntatis corruptio apparet. Sic cum Dei iudicia, quæ iustitia sunt & ueritas, nobis ob oculos ponimus, mox fatebimur, nos corã isto iudice cõparare nullo modo posse, nisi aliena iustitia adiutos. In Dei ergo luce uidemus lucem. Psal. 36. Dei enim cognitio, quid nobis adhuc desit, & quid fieri à nobis conueniat, sola docere potest. Eadẽ, ut nobis ipsis displiceamus, facit, & studiũ Deo placendi in nobis accedit. Ex hoc loco igitur de illis iudicare discite, qui corruptionẽ suã & uitia argui nolunt. Ea ceterè re euidens de se testimoniũ ferunt, quòd in Dei cognitionẽ nondũ peruenerint, nec aliquo diuinæ illius lucis lumine perfunsi sint, utcunq; cognitione Dei, eiusdẽ cultu, & uera fide gloriẽtur.

*Quid profit nobis
strippsius cogni-
tio.*

Secundò usum huius doctrinæ obseruemus, qui triplex est. Primò pharisaicã propriã iustitiæ & meritorũ nostrorũ fiduciam reprimat, id quod factu cum primis est necessariũ. Ut enim merito non bonus haberi uult & talis sibi ipsi uidetur: ita operibus nostris corã Deo quoq; nitimur, quasi his illius beneficentiã mereri possimus. At quàm diu hæc nos inflat fiducia, tã diu Christi meritũ, quo solo saluamur, nõ amplectimur. Quare in salutis negotio nihil perniciosius est, quàm cæca hæc propriæ iustitiæ gloriatio. Dementiæ enim esse uidetur, si extra nos querere uellemus, quæ penes nos putamus esse reposita. Vbi uerò nos natura peccatores esse intelligimus, de nostrã iustitia desperantes, iustitiã, quæ in Christo pponitur, cupidi apprehendimus. Hinc fit, quòd Paulus, quotiescunq; de iustificatione nostra sermonem instituit, tãto studio omnes homines peccati conuincit, ut tum alibi, tum in epistola ad Romanos cernitur. Quàm enim cum Christi merito pugnet propriæ iustitiæ fiducia, pharisaeorum exemplo abunde docemur. Licet enim multorum inimicitia & insidijs Christus in terris agens oppugnatus sit, nullos tamẽ in hoc oppugnãdo acerbiores & pertinaciores fuisse legimus, quàm phariseos, quos propriæ iustitiæ fiducia demẽtabat. Deinde prodest nobis ipsius cognitio, ut peccandi desiderium nobis excutiat, & studiũ ueræ purificationis apud nos excitet. Ut enim lauari nõ uult, nisi qui faciẽ maculis & sordibus pollutam esse nouit: ita de purificatione parũ sollicitus erit, qui quàm ea opus habeat, nondũ intellexit. Et sanè hæc una causa est, quòd multos pertinaciter in peccatis pergere uidemus, quòd se peccare ignorat, uel saltem peccata sua leuiora esse putant, quàm ut de his remouẽdis multum laborare debeãt. Exemplũ huius rei Dauid est, qui tũ demum de emendatione cogitat, & preces pro peccatorum remissione ad Deum fundit, quando ex Dei uerbo, se peccauisse audit. 2. Sam. 12.

Postremus huius doctrinæ usus circa consolationẽ versatur. Quia enim perfectionem à nobis exigit Deus, facillè terrebitur infirma conscientia, si se tot uitijs pollutum uiderit. Erigitur tamen & cõfirmatur, si non se solum, sed vnã omnes homines, ab hac perfectione multis parasangis distare uiderit. Audiet enim pro Dei amicis habitos fuisse olim plures, qui & ipsi multis in rebus impingere soliti fuerunt. Discet item, imperfectionem nostrã Christi perfectione curari, & in hoc nos incubere debere, ut quando in uniuersum à peccato liberari non possumus, illud saltem non regnet in mortali nostro corpore. Rom. 6. Tam magnus ergo & multiplex cum sit huius cognitionis usus, non temere Ioannes tanta uerborũ uehementia illam inculcat. Discamus nos doctrinam hanc in ecclesijs retinere, ut uel priuata cõscientiæ testimonio conuincantur, quicunq; in sua iustitia aliquam salutis spem reponere incipiunt.

Restat, ut quod hic obijci potest, diluamus. Dicat enim quispiam: Ioannes, omnes nos peccatores esse, constat affirmat. Idem verò infra à Christi cognitione & fide alienos pronútiabit, qui cunq; peccat. 1. Ioan. 3. Adhęc, Christianos homines populum sanctũ & immaculatũ dici legimus. Paulus enim de ecclesia loquens, uocat eã gloriosam, nõ habentem rugam uel maculam, sanctam item & irreprehensibilem. Ephes. 5. Et Petrus fideles genus electum, regale sacerdotiũ, & gentem sanctam nominat. 1. Pet. 2. Quid ergo ad hæc dicemus. Idem ne est peccare, & non peccare? Vel idem ne erit, peccatorem esse, & sanctum siue immaculatum censerì? Putant hæc multi paradoxa, & Apostoli sibiipsis contradicere videntur: sed penitus remi inspicientibus plana & perspicua sunt omnia. Porrò quod Ioannes locum attinet, qui Christianos esse negat, eos qui peccant, quo sensu id accipi debeat, infra dicemus. Hic respondisse sufficiat, Christianos homines bifariam considerari debere: partim quidẽ, quoad homines sunt, peccati naturã sibi insitã habent, qua interdũ superantur, vt ex semetipsis iusti & mudi nullo modo censerì possint. Quatenus verò Christiani, & Christi Iesu membra per fidem facti sunt, iusti, sancti, immaculati & irreprehensibiles dicuntur: nõ propria quidem iustitia, sed Christi, quæ propter fidem ipsis imputatur. Quotquot enim baptizati estis (inquit Paulus) Christum induistis. Galat. 5. Et alibi: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat: quis ille qui condemnet? Rom. 8. Licet ergo propter inhærentia naturæ nostræ vitia, meritò & accusari & dånari possemus, Christi tamen iustitia & merito quasi tacti & velati, sumus irreprehensibiles. Vt ergo Christi meritum afflietas conscientias solatur, ne in desperationem inclinent: ita non obest, quò minus in peccatis fugiendis laboremus, & adherentes nobis sordes abluamus. Vtrumq; Christus complectitur, quando discipulorũ pedes abluens inquit: Qui lotus est, non opus habet, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Ioan. 13. Lotus vocat omnes in se credentes, qui & propter fidem illam toti mudi dicuntur, Quia tamen iudem à carnis affectibus, quoad in carne viuunt, alieni esse non possunt, & mudi conuersatione facilè & crebrò contaminantur, quotidiana pedum, id est, affectuũ & studiorũ ablutione opus habet. Sed hæc de prima huius loci parte dicta sufficiant. Tempus postulat, vt ad secundam transeamus.

II. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Docet quid à nobis fieri debeat, quando nos peccatores esse videmus, simulq; sui consilij siue præcepti fructum salutari promissione comprehendit. Præscribit verò peccatorũ nostrorum confessionem, qua ipsi nos peccatores esse testemur. Causa huius consilij, est nostræ salutis ratio. Vt enim de medicina non cogitant, qui se egrotos esse ignorant: ita de peccatorum remissione solliciti non erunt, qui peccatis se laborare nesciunt. Itẽ ut medicum non admittunt, qui ægroti videri nolunt, & morbos dissimulare student: ita nec Christum admittent, nec ad salutarẽ euangelij medicinam cõfugient, qui animi morbos, peccata, dissimulare solent, ne pro peccatoribus habeantur. Huc illud Solomonis dictũ pertinet: Qui transgressiones celat, huic non proferre cedit: qui verò confitetur & deserit, is misericordiam consequetur. Quã ob rem ipse Christus se ægrotantium medicum esse dicit, & publicanis, qui se peccare fatebantur, potius quàm pharisæis, familiarẽ sese facit. Matth. 9. Cæterũ, quia de Confessione peccatorum, multa hodie concertatio est, paucis quæ ad hunc locum pertinent, proferemus.

Confessio, est peccati, cuius nobis probè conscij sumus, ingenua agnitio, qua Deo gloriã, nobis verò confusionem tribuimus, & culpam supplices deprecamur. Distribuitur hæc in priuatam & publicam. Priuata à singulis fit, quando se peccauisse agnoscunt, Deo id confitetur & remissionem postulant. Requirit hæc diligentem singulorum peccatorũ pensationẽ, vt ardentius in nobis excitetur pœnitentiæ studium. Publica à toto cœtu fit, quando palàm in nobis peccata esse, nosq; diuina gratia per Christũ indigere testamur. Vtraq; autem soli Deo fieri debet, quia solus est, qui peccata remittit, quod & pharisæos, vtcunq; excæcos, vidisse constat. Matth. 9. De confessione, quæ apud proximum fit, nihil hic dicimus, eò quòd hæc mutux amicitix & cõdonationis causa fit, non quòd gratiam aliquam coràm Deo mereatur. Comprehendit cõfessio hæc, quæ cunq; ad pœnitentiã uerã & studiũ salutis pertinent. Oportet enim præcedat peccati agnitio, quia sine hac, quod confitearis, non habes. Peccati agnitionem cordis cõtritio sequitur. Qui enim fiat, vt nõ totus animo frangatur, qui in tã benignum patrẽ tot tamq; indignis modis sese peccauisse cogitet? Non potest ab hac abesse certa & solida gratiæ Dei fiducia, quæ Christo nititur. Vt enim medico morbũ latentem nõ prodis, nisi huius arte te curari posse cõfidas: ita nec Deo culpã nostrã verè fatebimur, nisi eũ esse credamus, qui omnem culpã remittere & velit & possit. Quod enim Cainus, Iudas Iscariotes & alij eius farinae homines sese peccauisse clamãt, nõ tam Cõfessio, quàm propriæ cõsciẽtię accusatio & animi in desperationẽ vergẽtis volũtaria dånatio dici debet.

vt Christiani peccatores & tamen à peccato mundi sint?

Pij peccata fateantur debent.

De Cõfessione peccatorum.

*Vera Confessio-
nis exempla.*

Veræ Confessionis exempla multa in scripturis proponuntur. Huc enim referri debet, quæ Israelitæ temporibus Iudicum fecerunt, quoties vndiq; vrgentibus malis edocti, peccata agnosce-
re, eadem Deo fateri & remissionem postulare cœperunt. Eiusdem exemplar perfectum David est, qui vt se à Nathan peccati conuictum videt, exclamat: Peccaui domino: nec breui hac formula contentus postea copiose omnem suam imperfectionem fatetur & deplorat. 2. Sam. 12. Psal. 51. Cōfitemur qui ad Ioannem Baptistam egressi pœnitentiæ doctrinam & aduentus Christi prædicationem non oscitantibus animis audiuerunt. Mar. 1. Idem verè faciunt, qui cum Petrum apostolum concionan-
tem audiissent, totis animis cōpuncti consiliū postulant. Act. 2. Confitemur publice Ephesij, non verbis modò, verum etiam factis, dum libros magicos publicè exurunt. Act. 19.

*Confessio auricu-
laris.*

Cum his si Confessionem auricula rem conferas, nihil simile videbis. Primò equidem nullo scripturæ sacræ vel præcepto vel exemplo confirmatur. Quæ enim aduersarij ex scripturis in hu-
ius defensionem proferunt, partim tam inepta sunt, vt risum potius quàm confutationem merentur: partim manifestè detorta, sic vt nemo non dolū & temeritatē videat. Deinde non Deo fit, sed ho-
minibus, à quibus quæ solius Dei sunt petere, manifesto impietatis & apostasiæ scelere non caret. Præterea nec veram peccati agnitionem, nec cordis contritionem, & multò minus fidem eius atro-
citatem maiorem esse, quàm vt priuata alicuius auctoritate remitti possit: Si animo verè contriti sunt, cur à Confessione eadem flagitia iterant, quod plerisque facere videmus? Si fide solida Deo ni-
tuntur per Christum, cur ad homines potius, quàm hunc, confugiunt? cur suis potius quàm Chri-
sti meritis satisfactionis gloriā tribuunt? cur deniq; horribiles conscientie angustias sentiunt, & nouis satisfactionibus sese indies excruciant? Non est ergo, vt de ista Confessione verè hypocriti-
ca quicquam cogitemus. Eam Ioannes requirit, quæ peccatorum agnitionem, cordis contritio-
nem, emendationis studium & fidem in Iesum Christum, seu fidam & indiuisas comites, sibi con-
iunctas habet. Huius exempla in scripturis & primitiue ecclesiæ historijs passim obuia sunt. Ha-
bet eadem amplissimos fructus, de quibus hic quoq; Ioannes loquitur.

*Vere Confessio-
nis fructus.*

Si (inquit) *confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emun-
det nos ab omni iniquitate.* Quid verò amplius polliceri poterat? Remittentur peccata, quibus iram
Dei in nos prouocauimus. Nec remittetur modò, sed accedet emundatio ab omni iniquitate. At
vbi peccata remissa, imò deleta sunt, ibidem Dei iram cedere oportet, quæ solis peccatis, seu fomite
quodam nutrirī solet. Testatur idem David, qui post multas & varias conscientie suæ dimicationes
inquit: Vbi peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non celaui, cum cogitarem: Fate-
bor contra me transgressionem meam Domino: protinus remisisti iniquitatem peccati mei. Psal. 32. Hoc
ipsum parabolis aliquot Christus illustrat. Seruo enim, qui debebat decem millia talentorum, nec
erat soluendo, donatur omne hoc & remittitur, cum debitum confessus domini gratiam implo-
raret. Matth. 18. Et publicanus, qui in extrema templi parte oculos ad Deum attollere non audes
dicebat: Domine, propitius esto mihi peccatori: iustior pharisæo domum redit. Luc. 18. Non te-
mere ergo D. Ioannes tanta diuinæ gratiæ dona verè confitentibus pollicetur.

Deus fidelis est.

Verūtamen ratione firma & solida, à Dei natura siue ingenio desumpta, promissionem hanc
confirmat, ne quid dubitemus. Deus (inquit) fidelis & iustus est. Remittet ergo peccata ijs, qui se
peccauisse cōfiterentur suam misericordiam implorant. Fidelem verò vocat Deum pro verace, qui promissis
suis neminē fallat. Quare sensus est: Deus cum verax sit, promissa præstat. Promisit autem ad se
cōfugientibus peccatorum omnium remissionem, quod scripturæ omnes testantur. Nam apud Prophe-
tam ait: Si peccata vestra fuerint vt purpura, supra niuem dealbabuntur: si rubent instar cocci, si-
cut natiua lana fient. Isa. 1. Item: Ego deleui transgressionem tuam, vt densas nebulas, & vt nubem
peccata tua. Isa. 44. Et rursum: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressionem tuam, idque pro-
pter me, & peccatorum tuorum non amplius recordabor. Isa. 43. Similiter: Conuertimini (ait)
ad me, & ego conuertar ad vos. Zach. 1. Præterea: Num desidero aut volo mortem peccatoris,
dicit dominus Deus? Annon magis, vt conuertatur, & recedat à vijs suis, & viuat? Ezech. 18.
An ergo Deum, qui ipsa est veritas, tot & tantis promissionibus suis defuturum putabimus?
Non opinor.

Deus iustus est.

Facit verò huc, quod iustitiam quoq; Dei allegat. Sed qua ratione (inquis) concludit Ioan-
nes: Deus iustus est: Ergo remittet peccata nostra? Quis non potius, peccata punitorum dicat, cum
iustus sit? Admirabilis sanè ratio, sed plana & perspicua, si Christum solem iustitiæ huic infera-
mus, supra enim diximus, à Confessione vera fidem in Christum non posse abesse. At qui hanc
habent, Christi merito iustificati sunt. Iustificatis ergo debetur iustitiæ præmiū, gratiæ nimirum
diuinæ hæreditas. Adhæc filium suum in hoc dedit, vt per hunc reconciliaret sibi cuncta paci-
ficatis.

ficatis per sanguinem crucis eius per eundem siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis. Col. 1. Eos ergo, qui peccata sua agnoscentes per filium suum ipsi reconciliari cupiunt, non potest non recipere, nisi in filium suum iniustus fieri velit. Sed & filio suo omnem potestatem tradidit in cælis & in terra. Marth. 28. Inuitat verò hic ad se laborantes atq; oneratos, & venientibus requiem pollicetur. Eosdem ergo pater repellere non potest, nisi potestatem, filio iustè & legitimè traditam, iniusto modo eripiat. Qua enim culpa hac spoliari meruit, qui humiliavit se patri obediens factus usque ad mortem Crucis: Phil. 2.

Sed ò stupendam Dei bonitatem. O admirabilem nostræ salutis certitudinem. O sapiëntiam diuinæ mentis inscrutabilem. Iustitia Dei ad mortem, ad damnationem, ad æterna inferorum supplicia omnes uocabamur. At Christi merito factum est, ut ideo nos exaudire & in gratiam recipere uelit, quia iustus est. Quid ergo ad hunc patrem accedere metuimus? Quid ò peccator trepidas? An deum tam tibi infensum credis, ut propter te in filium suum dilectum iniustus uideri & esse uelut? Imò ut huic quod debet exoluat, tibi benignus erit & propitius. Hæc tã admiranda salutis mysteria qui ignorant, eò cæcitatibus deueniunt, ut nouis mediatoribus extra Christum opus esse existimant, & Confessione peccatorum, quæ soli Deo debetur, non contenti, nescio quem scenicum ludum ex penitentia Christiana faciant. Sed copiosius de his dicendi locus fortassis alibi dabitur commodior. Restat adhuc postrema præsentis loci pars, quæ modò paucis absoluetur.

Iustitia Dei peccatorum remissionem adiuvat.

I I I. Si dixerimus, non peccauimus: mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Redit ad propositionem ante præmissam, ut penitius in nostræ infirmitatis cognitionem nos perducatur.

Repetitio propositionis.

Non contentus autem eos, qui se peccatores esse negant, mendacij accusauisse, grauius iam loqui incipit. Duo enim absurda hinc sequi docet. Primum est: Si nos peccauisse negemus, mendacem facimus Deum. Horribilis quidem, sed uera & certa sententia. Deus enim inquit: Figmenta cordis humani praua sunt ab ineunte ætate. Gen. 8. Idem in filio suo omnes peccati arguit. Si enim non peccauimus, cur ille in mundum missus est? cur multam nostræ correctionis sustinuit? cur in cruce suspensus mortis genus Dei sententia maledictum subiit? Si non ægrotabamus, quid medicum mittere opus erat? Vides ergo non ueritatem modò Dei, sed & eiusdem iustitiam, & sapiëntiam periclitari, si nos peccatores esse negemus. Alterum absurdum est, quod uerbum eius in nobis esse negat. Verbum Dei enim clamat: Nos omnes tanquã ouis errauimus, unusquisq; uia suam sectatus est. Isa. 53. Verbum Dei est, quod legitur: Dominus è cælis super filios hominũ prospexit, ut uideret num sit, qui aut saperet, aut Dei studiosus esset. Sed cuncti defecerant, omnes pariter corrupti erant, nullus erat qui quod bonum est faceret, ne unus quidem. P. sal. 13. Verbum Dei inquit est: Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, &c. Rom. 3. Quis ergo uerbum dei in illo esse dicit, qui tam claris Dei sententijs & pronunciatis contradicere aufit? At nisi sermonem ipsius in nobis manentem habuerimus, nec ipsum diligemus nos, nec ab ipso diligemur. Ioan. 14.

Iam ergo luce clarius constat, quas ob causas apostolus tam seriò in hoc sit, ut nos peccatores esse demonstraret. Qui enim hoc negant, non ipsi modò mendaces sunt, sed & Deum (quod dictum horrendum est) mendacij arguere conantur. Idem seipsos à merito Christi & gratia Dei separant. Sternunt hæc uæsanam Anabaptistarum insolentiã, qui innocentia perfecta gloriari audent. Cadit, imò ruit, superba propriæ iustitiæ fiducia. Exploditur & exhibitur meritorum supererogationis diabolica gloriatio. Si enim peccatores sumus omnes, quo merito apud Deum gloriabimur? An uerò nostri Deus indiget? Quæ uerò insania est, in alios deriuare uel transfundere, quæ ipse feceris? An te plus præstitisse putare audes, quàm Deo debeas? Agnoscamus ergo fratres imperfectionem & infirmitatem nostram. Confiteamur peccata nostra domino, mente contrita & humiliata. Imploremus eiusdem gratiam. Sic enim fiet, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate nostra, per sanguinem & meritum Iesu Christi filij sui, cui debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

C A P V T I I.

H O M I L I A V.

FILIOLI mei, hæc scribo uobis, ne peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi.



VT homines externis Dei donis, quæ ad corporum incolumitatem seruandam pertinent, pro corrupto carnis ingenio ad suam perniciem crebro abutuntur: ita hoc ipsum in ijs facere consueuerunt, quæ ut animarum saluti inferuiant, diuinitus data sunt. Possent exempli loco nobis esse Iudæi, qui templo & toto illo Leuitici sacerdotij cultu uarie abusi sunt, dum alij omnem salutis rationem in hoc consistere putauerunt, alij uero eundem omnium suorum scelerum & flagitiorum prætextum habuere. Sed quid opus est exempla longè petita producere, cum inter nos, qui Christi nomine gloriamur, idem quotidie fiat? Si enim per euangelij doctrinam uitæ innocentia, charitatis studium, & quæcunque alia fideles decet, exgantur: mox iustitiarum hypocritæ, uel pharisæi operum iustitiam asseri contendunt. Quod si contra illos Christi meritum urgeas, & nos omnes natura peccatores esse, ac solius Christi merito saluari prædices, statim cum huius seculi filijs dimicandum erit, qui hoc prætextu effrenem carnis licentiam quærunt. Non ignorarunt hoc Apostoli, qui magno studio doctrinam suam sic moderantur, ut neutra pars, quod inde uenetur, habere possit. Est autem huic rei cum primis accommodus præsens hic locus, quo quicquid in hac causa dici potest, dilectus Christi discipulus summam comprehendit. Primò enim, quia omnes nos peccatores esse dixerat, ne quis inde maiorem peccandi licentiam nobis concedi putaret, docet longè alium huius doctrinæ uisum esse, ut nimirum peccandi consuetudinem seriò studeamus deponere. Deinde peccatoribus opem & salutem in Christo Iesu monstrat, cuius officium sufficienter describit. Nos de singulis, quantum spiritus domini dare dignatus fuerit, ordine dicemus.

Argumentum præsentis loci.

I. *Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis.* Breuis quidem, sed perquam necessaria admonitio. Dicat enim aliquis: Si confiteri debemus nos peccatores esse, agedum peccemus pro carnis arbitrio, ut quod confiteri possimus, semper nobis ad manum sit. Negat ergo hanc esse suæ doctrinæ consequentiam, nec ideo se illa dixisse, ut carni habenas laxaret: sed ut afflictis cōscientijs uiam & medium salutis ostenderet. Adhæc cum peccatum præcipuam iræ Dei causam esse constat, per quam omnis generis calamitates, adeo quæ ipsa mors, nobis imminet, quis non uidet, nobis cum peccati accusamur, purificatione potius & emendatione, quam nouis peccatis opus esse? Sed prodest singula uerba, quibus hic utitur, excutere.

Auditores doctorum filij.

Filiolos suos uocat, quibus hæc scribit. Est hæc summi amoris uox, quo omnes pastores erga commissum sibi gregem affectos esse decet. Quia enim per ministros uerbi Dei prædicatione generantur fideles, non immerito eorundem filij dici possunt. Sic Paulus Galatas suos filios nominat, quos denuo parturiat, donec in ipsis Christus formetur. Gal. 4. Et Corinthios plures quidem prædicos habere posse fatetur, patrem uero ipsorum se esse, quia per euangelium ipsos genuerit. I. Corinth. 4. Neque hoc cum Christi præcepto pugnat, qui ne patrem nobis in terra uocemus, prohibet. De ijs enim loquitur, qui sectas nouas professi, ab hominibus, quos sibi tanquam patres salutis imitandos proposuerant, denominari uolebant. Apostoli uero non nisi ministerij respectu patres haberi uolunt, seque regenerationis huius duntaxat ministros agnoscunt, omnè uero eius uirtutem & effectum æterno semini, uerbo Dei, & spiritui sancto, qui illud in nobis uiuificat, tribuunt. I. Pet. 1. Cæterum habent quod hic obseruet tam ministri quam qui ipsorum curæ commisi sunt. Vident enim ministri paterno affectu in ecclesia administranda opus esse, ut ab ouibus, perinde ut à filiis parentes, audiatur. Quo iure autem hoc ab ipsis postulabunt, si ipsi non fidei patres, sed securæ, aut etiam tyranni, esse soleant? Discit populus, ministris eum amorem & reuerentiã debere, quem naturaliter & diuina lege parentibus nostris debemus. Quod homines nati sumus, parentum ministerio factum est. At quod regenerati in filiorum & hæredum Dei numerum adoptamur, præcipue quidem diuinæ gratiæ & bonitatis opus est, sed eadem pastorum ministerio utitur, quibus honorem suum negare non possumus, nisi in ipsum Deum, qui per hos nos regenerari uoluit, iniuriæ esse uelimus.

Hæc scri-

Hæc scribo uobis. Apostoli ad prædicandum missi fuerunt. Christus enim illis ait: Ite in orbem uniuersum, & prædicare Euangelium omni creaturæ. Marci 16. Non tamen adeo rigidi uerborum uel literæ obseruatores fuerunt, ut ore tantum prædicare, & à scribendo abstinere uoluerint. Quin sui ministerij scopum diligenter obseruarunt, qui is erat, ut Christi cognitionem longè lateq; propagarent, de illo ubiq; testarentur, & eidem ex omnibus gentibus discipulos adducerent. Acto- rum 1. Matth. 28. Huic rei cum missas hinc inde literas cum primis seruire uiderent, suo officio nequaquam deesse uoluerunt, sed scriptis suis fideles crebro monuerunt de ijs, quæ diligentiori obseruatione indigebant. Deinde posteris quoque profuit, imò ualde necessaria fuit, hæc industria. Si enim tenebriones quidam, extantibus Apostolorum scriptis, infinitas nugas & constitutiones plañe impijs ipsorum nomine ecclesijs obtrudere ausi sunt, quid non facturos putamus, si nulla apostolicorum scriptorum autoritate fuissent prohibiti? Nobis uero imitanda est hæc ipsorum se- dulitas & industria, ut omnem uiam ingrediamur, quæ euangelicæ doctrinæ propagationi seruire potest. Nec enim audiendi sunt, qui nostro seculo nihil scribi uolunt, eò quòd scriptis eiusmo- di aduersariorum animi magis exacerbentur. An uero, ut paucorum gratiam uenemur, aut iram declinemus, multorum fratrum, quorum infirmitas consolationem & institutionem exigit, salu- tatem negligere conuenit? Næ isti homines egregiè sapiunt, qui euangelium ita doceri posse pu- tant, ut nemini bilem commoueat, cum nec ipsum Christum ea felicitate usum esse cõstet. Aut er- go Christum abnegent & euangelium omne explodant, aut cum Christo & pro Christi gloria cru- cem & aduersa ferre discant. Paulus quauis occasione Christum prædicari gaudebat. Phil. 1. Idem opportunè & importunè instare iubet. 2. Tim. 4. Et nos illud medium nobis eripi patiamur, quo euangelij doctrina omnibus seculis felicissimè disseminata est? Imò Apostolorum exemplo lin- guam, manus, pedes, omnia denique membra mouere & omnes neruos intendere decet, ut quàm plurimos Christo lucrifaciamus.

Apostoli non or- modo, sed scriptis quoque docuerunt.

Ne peccetis. Generale hoc præceptum est, quod omnibus scripturis præcipitur. Quia enim Deus non nisi cum sanctis & puris communionem habere potest, peccato autem prophanari so- lent homines, illud ubique impugnatur. Apud Isaiam certè peccata maceriam illam esse dicit, quæ inter Deum & nos erecta, ne uultu gratiæ ipsius fruamur, prohibet. Isa. 59. Et alibi preces exaudi- ri negat, quòd manus sanguine pollutas ad ipsum extendant. Isa. 1. Præterea, ut primis parentibus ob peccatum omnis generis miseriæ decernuntur, quales sunt, agriculturæ labores, sterilitas, mor- bi, dolores partus, curæ, sollicitudines, paupertas, & si quæ alia sunt aduersa: ita in lege sua domi- nus eadem mala transgressoribus mandatorum suorum nunquam non interminatur: gratiã uero & beneficentiam ijs promittit, qui præceptis eius obtemperauerint. Eodem referri debet, quod in euangelio dominus adulteræ, quã à lapidationis supplicio liberauerat, Vade (inquit) & posthac ne peccaueris. Ioan. 8. Idem paralytico, quem à morbo annorũ triginta & octo curauerat, ait: Ec- ce sanus factus es: ne posthac pecces, ne quid deterius tibi cõtingat. Ioan. 5. Ut ergo adulterã non ideo liberat dominus, ut adulterijs nouis sese polluat: nec paralytico medetur, ut peccãdi studiũ rursum sectari possit, sed ab utrisq; ueram pœnitentiam & innocentiam requirit: Ita nec nos Christi sanguine ideo à peccatis abluimur, ut peccati sordibus denuo immersi polluiamur, sed ut eam im- munditiam, quam tanto tamq; pretioso lauacro purgari oportuit, totis animis detestemur. Perti- nent huc quæ Paulus scribit, Ro. 6. Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abũdet? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodẽ? An ignoratis, quòd qui- cõq; baptizati sumus in Christũ Iesum, in mortẽ eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unã cõ illo per baptismũ in mortem: ut quemadmodũ excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, &c. Infiniti sunt eius generis loci, qui hoc ipsum se- dulò nobis cõmendant. Rectè ergo Ioãnes inquit: Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis. Cũ ue- rò nos omnes peccare cõstet, sed & iustus in die septies labatur, quis nõ uidet perpetuam à nobis pœnitentiã exigĩ? Iugulat hæc sententia pseudoeuangelicos nostri seculi, qui doctrinã Christia- nam & eius patrociniũ professi, uitã uiuunt parum euangelicã, dum carni habenas ad omnem libi- dinem laxant. Quibus non immeritò illud obijci poterat: Quid tibi uis, quòd cõmemoras statuta mea? cur ore tuo scelus meũ iactas? Cũ odio habeas disciplinã, & uerba mea post te abijcias. Psal. 50. Iugulat itẽ Papiſtas calumniatores, qui euangelij prædicatione nos peccãdi licentiã plantare di- cunt. Christus equidem in suo nomine peccatorũ remissionẽ prædicari uult. Sed idem & pœni- tentiam docere iubet. Luc. 24. Et Ioannes, qui antea dixerat: Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato: idem nũc clamat: Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis. Non est ergo quòd ca- lumnias aduersariorum multum moremur. In hoc potius toti sumus, ut uitæ nostræ cõuersatio iuxta euangelij doctrinam instituatur, ne aliquis hanc calumniandi occasionem habere possit.

Christiani peccan- re non debent.

Pseudoeuangelic.

Calumniatores Papiſta.

C A P V T I I.

At dicat aliquis: Durum, imò intolerabile est, quod Ioannes præcipit. Quem enim mortuum dabimus, qui nõ peccet? Figmenta cordis humani praua sunt ab ineunte ætate. Gene. 8. Quid ergo dicemus, si in peccatis nos constitutos esse videamus? Num de Dei gratia desperabimus? Vel num ad nostrorum meritorum fiduciam conuersi proprijs satisfactionibus nitentur? His altera huius loci parte apostelus respondet, & neutrum fieri debere docet. Sic enim ait:

Asylum & portum peccantium.

I. I. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum. Non ergo peccatum sic prohibet, quasi arbitretur, nos illud in vniuersum cauere posse. Sed deuotum peccandi studium vetare voluit, quod in Christianis hominibus locum habere non potest. Manent equidem in his peccati reliquæ, & cum Paulo apostolo inueniunt legem peccati in membris suis, quæ non contradicit modò legi diuinæ, verum etiam inuitos rapit, vt ea faciant, quæ iuxta internum hominem detestantur. Rom. 7. Hinc quotidiani illi lapsus & exorbitationes crebræ diuersiones, quæ in scripturis proponitur. Pariunt eadem conscientiarum luctas & graues diuersiones, quas apud infirmiores satan excitat, vt propter delictorum suorum multitudinem vel atrocitatem de Dei gratia dubitare incipiant. Et multi cum Caino dicere incipiunt: Maior est iniquitas mea, quàm vt possit remitti. Genes. 4. Multi rursus imperitiores adhuc, vel proprijs cogitationibus decepti, vel aliorum somnijs & imposturis seducti, nouas salutis vias, & nouos mediatores, quorum intercessione cum Deo in gratiam redire possint, sectantur. Hic ergo nos probè instruitos esse conuenit, cum vtrinque certissima & præsentissima salutis pericula insistent, vt nisi medianam viam constanter sequere, tutus incedere non possis. Audiamus ergo Ioannem, qui instar altiuolantis aquilæ omnia humanæ rationis nubila superans, in æterna diuini Solis luce verum & infalibile salutis medium commonstrat. Si quis peccauerit (inquit) quod vtiq; omnibus contingit, habemus aduocatum apud patrem, &c. Hæc ipsissima est euangelij vox, quæ apud Deum peccatoribus quoque gratiam monstrat. Sic enim dicere vult: Scio quidem à peccato immunem esse neminem, & quotidie in multis nos peccare & impingere. Sed nemo propterea desperet. Nemo quoque vel propriæ rationis dictata, vel aliorum traditiones audiat. Ego salutis viam, adeoque ipsam salutem monstrabo fideliter. Quia peccatores sumus, & proinde rei transgressionis coram Dei tribuna li consistimus, aduocato opus est, qui causam nostram agat, qui defendat, & à capitali æternæ damnationis sententia liberet. At non opus est oculos & mentem circumferre diutius, vbi nam locorum is inueniri possit. Iam nunc enim habemus aduocatum, qui causam nostram & vult suscipere lubens, & susceptam dignè agere et tueri poterit. Aduocatum (inquam) habemus, nõ aduocatos. Vnus enim est, non plures. Non ergo periculum erit, ne contemptis melioribus, ineptiorum aliquem aut minus gratiosum deligamus. Vnus est, qui & gratia valet apud patrem, quia filius: & iudicij illius rigorem sustinere potest, quia iustus est. Est is Iesus Christus, de cuius erga nos voluntate dubitare non licet, cum & homo pro nobis factus sit, & sanguinem proprium pro peccatorum nostrorum emundatione fuderit. Ad hunc ergo confugite, qui vos peccasse sentitis. Huic conscientia vestra dolores & angustias credite. Huius intercessionem expetite, & salutem obtinet illico. Ipse enim clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Matth. 11. O lætam vocem & nullis diuitijs compensandam. O bonitatis diuinæ profunditatem inscrutabilem, quæ peccatoribus tam tutum & fidum salutis asylum præparare voluit. Quis in peccatis desperet amplius? Quis per auiam humanarum traditionum potius errare, quàm breui hac & tuta via ingredi posthac volet? Quia verò ea est multorum cecitas & amentia, ne quid grauius dicam, vt hoc aduocato & mediatore non contenti, aliò confugiant, & salutem a se libi quærant, huius rei tractatio altius paulò repetenda erit.

Christus aduocatus noster et mediator.

Aduocatum nos apud patrem habere dicit Apostolus, Iesum Christum. Paulus eundem inter nos & Deum mediatorem esse dicit. 1. Tim. 2. Vnus verò & idem vtriusque nominis sensus est. Aduocatus enim in iudicio requiritur, maximè cum reus is est, quæ nec innocentia sua tutò nititur, nec propria prudentia & eloquentia causam suam tueri potest. Mediator non nisi inter eos, qui diuersis sententijs scissi inimicitias apertas exercent, locum habet. Si ergo mediator inter Deum & nos est, Christus Iesus, & idem aduocatus causam nostram agit, nos reos esse & cum Deo dissidere constat. Dissidij verò huius causa peccatum est. Quia enim peccauimus omnes, filij iræ facti sumus, & æternæ damnationis supplicio digni censemur. Et iudicio nobiscum contendit Deus. Proponit legem suam, & per hanc nos peccati conuincit. Accusat nos propria conscientia, & nonnumquam sic accusat, vt pœnam commeritam nõ sine graui & horribili terrore quasi in oculis nostris videamus. Hic nisi alius intercedat, actum est. Quem verò hic intercessorem dabimus? Partes conuincit, Deus & homo. Intercessor ergo & mediator talis requiritur, quem & nostra infirmitas ferre, & qui vicissim diuinæ iustitiæ vim sustinere possit. Adhæc auctoritate præditus sit, oportet,

fit, oportet, & tali quidem, quæ apud Deum alicuius momenti sit. Hæc quia in solo Christo sunt, solus etiã mediator vel intercessor dici debet. Solus enim hic verus Deus & homo est: Deus quidem ab æterno, homo autem propter nos factus, vt talem sciremus esse, qui nostris infirmitatibus posset condolare. Solus etiam inter homines iustus est, & proinde diuinæ iustitiæ rigorem nõ timet. Solus naturalis ille filius Dei est, in quo patri complacuit, & proinde alijs quoq; eandem gratiam conciliare potest. Soli potestas in cælo & in terris data est: quare nihil arrogantius facit vel ambitiosius, si causæ nostræ patrociniũ suscipiat.

Hinc est, quòd in scripturis vnus hic & solus mediator proponitur. Nam vt veteris testamenti sanctos omittamus, qui in precibus suis ad vnctum illum domini semper respexerunt, ipse in euangelio, vt ante diximus, ad se solum inuitat. Et alibi inquit: Ego sum via & veritas. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14. Ad patrem venire dicitur, qui illi reconciliatur, qui cum illo redit in gratiam. Id nemini cõtingit (ait Christus) nisi per me. Vnus ergo & solus inter Deum patrem & nos mediator sit, oportet. Et apostoli non alium nobis monstrauerunt vnquam. Paulus certè argumentum à Dei vnitate ducto, dicit: Vnus est Deus, vnus etiam mediator inter Deum & homines, homo Christus Iesus. 1. Tim. 2.

Arguant hæc sententiæ eorum fabulas, qui intercessionis huius gloriam vel D. virgini, vel apostolis aut alijs sanctis assignant. Quis verò Ioannem apostolum tam vel negligentem vel malignum D. virginis tutorem fuisse putet, vt eam hac gloria fraudare voluisset, si eam hac ornauisset filius? Quis Christum tam imprudentem dicat, vt matrem suam iam in Crucem affixus ei commendasset, cuius tantam negligentiam habuisset cognitam? Poterat sanè Ioannes & D. virginis commodè hoc loco meminisse, si aliquam huius rei gloriam ad hanc pertinere sciuisset. Sed quia tam ipsa quàm alijs sanctis omisis, de solo Christo loquitur, ad solum hunc omnem gloriam pertinere docet. Facit hoc, quòd H A B E M V S, inquit, non H A B E T I S. Se ergo non eximit ab eorum numero, qui aduocato apud patrem opus habent: tam abest, vt se in huius locum substituerent. Nec est, vt hoc modestiæ apostolorum tribuamus. Licet enim huius studiosissimi fuerint, nunquam tamen de sui ministerij dignitate humilius, quàm rei veritas postulat, loqui voluerunt, quòd ex Pauli epistolis facillè discet, qui eas non oscitanter perlegerit. Adde his, quòd mediator & aduocatum agere nõ poterit, nisi qui omnium hominũ arcana norit, & eorundem voces, imò & gemitus, exaudire queat. Id verò nemini hominum vnquam cõcessum fuisse legimus. Solus Deus corda & renes scrutatur. Solius Dei aures omnium vota & orationes penetrant. Ad solum Deũ & suspiria & lachrymæ piorum pertingunt. Mediator ergo non erit, nisi qui idem & Deus sit, qui est Christus, qui est in omnibus Deus laudandus in secula. Rom. 9. Ita locum hunc D. Augustinus exposuit, cuius verba propter eos recitare volumus qui nos hodie scismatis in ecclesia excitati accusant, eò quòd Diuorum intercessionem improbamus. Sunt enim eiusmodi: Videte ipsum Ioannem seruantem humilitatem. Certè vir iustus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat: ille ille, qui bibendo de pectore Domini diuinitatem ructauit: In principio erat verbum, & v: e: bum erat apud Deum: ille talis vir, non dixit, Habetis: nec, Me habetis, dixit: nec, Ipsum Christũ habetis, dixit: sed & Christũ posuit, non se: & Habemus dixit, non Habetis: Maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Christum, quàm poneret se pro Christo aduocatum, & inueniri inter damnandos superbos. Fratres, Iesum Christum iustum ipsum habemus aduocatum ad patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit: hoc qui tenuit, scisma non fecit. Vnde enim facta sunt scismata? Cũ dicunt homines, nos iusti sumus: cum dicunt homines, Nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Ioa. autem quid dixit? Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, &c.

Prodest verò hic & modum intercessionis huius inspicere. Quia enim hunc ex communi hominum more æstimauerunt pleriq; eò perducti sunt, vt plures mediatores fingerent. Alij enim Deum instar magni alicuius Imperatoris siue Regis imaginati sunt, ad cuius conspectum nemo admittatur, nisi qui vel prece vel pretio principes aulae sibi propitios fecerit. Alij Christum semper iudicem fecerunt, qui nunquam non iratus fulmen indefinenter libret ad interitum humani generis. Eidem ergo astantem, vel etiam genibus aduolutam, finxerunt matrem virginem, quæ & vbera monstret, & laborum omnium curarumq; maternas memoriam refricet, quòd iram conceptam remittere & animum commotum flectere dignetur. Sed vtinam isti homines dominũ dicentè audirent: Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; vt viæ vestræ sunt viæ meæ. Sed quemadmodum cæli terra sublimiores sunt, ita excedunt viæ meæ vias vestras, & cogitationes meæ cogitationes vestras. Isa. 55. Hæc cũ verè dicat dominus, quæ vesania est, humanis ratio-

Contra Diuorum intercessionem.

*Modus intercessã
oni.*

*Parabola scriptu-
rarum.*

ea de Deo fingere, quæ scripturæ de illo nusquam prædicant? Scimus equidem parabolas multas in euangelio contineri, quibus regni cælorum mysteria adumbrantur. Sed quæ illis parabolis spiritaliter sanctus uti voluit, nobis quoque, illico permissum est, nouas parabolas fingere, & Deum imaginari talem, qualem omnes scripturæ ignorant. Deum regem regum esse nemo negat. Sed idem regnum suum ipse administrat, nec male fidei vicarij ut principes huius seculi, opus habet. Ad hæc cum omnia ipse videat, omnia audiat, imò cordium quoque, & renum explorator sit, nemo illi fallere potest, nec alios vel prece vel pretio demereri opus est, quorum fauore in illius conspectum admittaris. Nam ipse ait: In die tribulationis tuæ clama ad me, & ego te exaudiam. Psal. 50. Prætere, cum Christus intercedere pro nobis dicitur, non forensam aliquam actionem animo concipere oportet, ut Christum fingas clauorum stigmata patri monstrare, meritum Crucis suæ allegare, lateris aperti fontem videndum exhibere, & alia multa in hanc sententiam facere. Sed meritum Crucis & mortis Christi respicere oportet. Hoc enim in conspectu patris semper recens est. Illius respectu idem nobis clemens & propitijs est. Et pro nobis indefinenter Christus intercedere dicitur, quia perpetua & inexhausta est meriti ipsius apud patrem gratia & autoritas. Num verò aliquam produces, quæ apud patrem, quod filius assequi non potest, impetret? Non opinor.

*De mediatoribus
intercessionis.*

Sed scio quid multi respondeant, qui Christum quidem vnum & solum intercessorem apud patrem fatentur, interim verò apud Christum alijs mediatoribus opus esse dicunt, qui illius intercessionem nobis impetrent. Et hoc commentum infinitam illam mediatorum intercessionis ceteruam nobis peperit, ut tot mediatores agnoscere oporteat, quot diui in cælis esse creduntur. Quam vana verò sit istorum hominum opinio, res ipsa demonstrat, & Ioannes idem docet, qui quæ de Christo aduocato & intercessore dixerat probaturus, addit:

*Christi iustitia
peccatores non
serreat.*

Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Quia Christum Iesum antea iustum dixerat, cogitaret quispiam: Hoc ipsum est, quod promittit quò minus coram Deo comparere possim, quod ego peccator, ille verò iustus est. Quod si & Christus, quem mihi aduocatum & mediatorem proponis, iustus est, iam ne in illius quidè conspectum tutò prodire datur, & nouis mihi apud hunc mediatoribus utendum erit. Docet ergo Ioannes, se Christi iustitiam non in hunc finem allegauisse, ut nobis illa terrorem inculcat, sed ut intelligamus, ipsum intercessionis officio apud iustitiam patris rite fungi posse. Nobis verò, quoad infirmitatem nostram, aliud quoque in Christo spectandum est. Hoc nimirum quòd nostra propitiatio factus est, quòd pro peccatis nostris sese tradidit, quòd pro iisdem satis fecit, ut nocere amplius non possint. Hoc vnum si consideres, vanissimum videbis quicquid nostri illi de intercessionis mediatoribus fingunt. Demus enim, esse aliquem, qui mihi obærato opes suas sponte offerat, apud creditores meo nomine non rogatus intercedat, pro me sponsores agat: nonne insanus habebor, si illius bonitati adhuc diffidere, & aliorum intercessione hunc mihi demereri velim? Quid enim intercessores illi mei ab eo petent amplius, quod ille non iam ante præstiterit? Atqui eadem est hic ratio. Premebamur omnes ære alieno, peccatorum nimirum debitis implicati miserimè, & cum euangelico illo seruulo ad damnationem venundari merebamur, nec ipsi Deo patri satisfacere poteramus, nec erat qui causam nostram tueri posset alius. Atqui rationibus nostris omnibus tam intricatis, Dei filius sese sponte obtulit, homo & frater noster factus est, ut causam nostram suscipere posset, debita nostra in se transtulit, pro iisdem in ara Crucis satisfecit, & ibidem expansis brachijs ad se inuitat omnes, alta voce clamans: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Quid ergo de illius in nos voluntate dubitamus? Quid illius iustitiam expauescimus? Quid nouis mediatoribus apud illum impetrabimus, quod non iam ante sua sponte nobis dederit? Num ut peccata nostra in se transferat? Atqui eius gratia in mundum venit. Num ut nostris infirmitatibus condoleat? Atqui hanc vnam ob causam homo factus est. Num ut suæ mortis meritum nobis salutare esse velit? Atqui frustra mori haudquaquam voluit. Num ut causam nostram apud patrem agat? At priusquam mundus hic fundaretur, in hoc prædestinatus fuit. 1. Pet. 1. Quid ergo nobis ipsius curarum & laborum authores sumus? Crede in Iesum Christum, illo intercessore & aduocato utere, & totus tuus est. Ipse inquit: Eum qui venerit ad me, non eicio foras. Ioan. 6. Noli ergo immitem & inexorabilem fingere, qui omnes suæ gratiæ thesauros sponte tibi donare dignatus est.

*Christus propitiatio
pro peccatis
totius mundi.*

Sed videamus paulò attentius Ioannis in hoc dicto diligentiam. Non contentus Christum propitiationem nostram dixisse, eum pro peccatis nostris propitiationem factum esse testatur. Nec hoc illi sufficit. Ne enim vel in sua duntaxat, vel Apostolorum omnium persona loqui videretur, addit: Non

Non pro nostris tantum, verumetiam pro peccatis totius mundi. Mundi vocabulo uti voluit, ne aliquem à Christi merito exclusum putarem, quemadmodum & ipse dominus inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum traderet, &c. Ioan. 3. Si mundum dilexit Deus, num nos odio habere poterit, quos è mundo filius ipsius selegit? Ioan. 15. Si pro peccatis mundi sese filius Dei tradidit, num ad nos sanguinis sui meritum peruenire prohibebit, qui à mundo separari & ipsi totis animis vniri cupimus? Noli igitur desperare o homo. Noli cum Caino dicere, Maior est iniquitas mea, quam ut remitti possit. Christus enim pro peccatis tuis se tradidit. Christus in peccatorum tuorum ablutionem proprium sanguinem fundere dignatus est. Eius meritum non aspernabitur pater, qui illi testimonium cœlitus tulit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Matth. 3. & 17. Cæterum priusquam sermoni finem imponamus, duo adhuc in hisce verbis obseruanda erunt.

Primo docetur, Christum non particularem paucarum gentium, sed vniuersalẽ totius mundi saluatorem esse. Hoc probẽ nouisse multum prodest. Ut enim de Iudæis nihil dicamus, qui promissum Messia ad se solos pertinere putat, multos ex Christiani nominis professorib. ita tẽtari videmus, ut Christum quidem saluatorem esse fateantur, suum verò saluatorem agnoscere nolint, dum vel se eius merito ob peccatorum suorum atrocitatem indignos, vel Christi meritum tot tantisque peccatis eluendis minus sufficere posse existimant. Intelligant ergo isti homines, diuinæ gratiæ fontem, qui in filio Dei apertus fuit, inexhaustum esse. Nam bonus est dominus in omnes, & misericordia eius superat omnia opera ipsius. Psal. 145. Nec putandum est, Dei gratiam & Christi meritum satanæ armis & artibus superari posse. Nam apud prophetam inquit: Si peccata vestra fuerint ut coccus, niue reddentur albiora: si rubeant instar purpuræ, sicut natiua lana reddentur. Isa. 1. Et eiusmodi promissiones ad vniuersos homines pertinere, tota scriptura probat. Licet enim Iudæorum genti veteres promissiones datæ sint, non tamen hoc ideo factum est, ut eas ad solam hanc pertinere putemus, sed in Iudæis dominus demonstrare voluit, qualis erga omnes homines esse velit. Adhæc primam salutis promissionem de Christo, non Abrahæ, sed primis parentibus, datam constat, ut illam ad omnem Adami posteritatem pertinere sciremus. Gen. 3. Et Isaias propheta, cum dixisset: Nos omnes tanquam ouis errauimus, quisque viam suam seclatus. Isa. 53. addit: Dominus autem effecit, ut incurreret in ipsum **OMNIVM** nostrum iniquitas. Isa. 53. Sed ipsum Christum audiamus, qui non modò fatetur, se alias quoque oues habere, quæ ad Israelici populi societatem externam non pertineant (Ioan. 10.) sed quæcunque de redemptione nostra & suæ mortis merito loquitur, vniuersalibus promissis confirmare solet. Ait enim: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, ut **OMNIS** qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. Quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo, nõ sitiet in æternum. Ioan. 4. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet. Ioan. 5. Et rursum: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ioan. 6. Vniuersales quoq; promissiones sunt: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Matth. 11. Item: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ioan. 7. Et iam mortẽ aditurus, non pro Apostolis modò orat, sed etiam pro omnibus, qui per doctrinam Apostolorum in ipsum credituri sunt. Ioan. 17. Sed infinita sunt eius rei testimonia, quæ sacra legenti passim occurrunt. Verè ergo Ioannes, Christum propitiationem esse dicit pro peccatis totius mundi. In quam sententiam & Baptista dixit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioan. 1. Pro illo exclusos esse, persuadere conantur. Neminem enim Christus aspernatur, qui & hostium salutem quærit, & madentem prophetarum sanguine Hierosolymam instar gallinæ sub alas colligit, nisi quis ipsum fastidire, & propria diffidentia perditionis suæ sibi author esse velit. Omnibus sese offert, & quotquot ipsum recipiunt, dat eis ut possint filij Dei dici, &c. Ioan. 1.

Christus saluator vniuersalis.

Secundo docet locus hic, regnum Christi nõ vnus modò vel alterius populi finibus concludi, sed ad omnes gentes, vsq; ad extremos mundi cardines, extendi. Si enim meritum mortis ipsius ad omnes pertinet, illud ipsum vbiq; locorum prædicari oportet, ut in omnium gentium fidelibus verbo & spiritu suo regnare possit. Designati iam olim sunt isti termini. Nam per Dauidem spiritus sanctus loquitur: Recensebo decretum. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, daboq; gentes, ut sint hæreditas tua, & terminos terræ, ut sint possessio tua. Psal. 2. Et rursum: Imperabit à mari ad mare, & à flumine vsq; ad terminos terræ. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Psal. 72. Pertinet eodẽ & Nabuchodonozoris somniũ quod lapidem sine manib. auulsum cadere, & statuã, quæ monarchiarũ typus erat, minutim contere-

Christi regnũ per totum mundum extenditur.

C A P V T I I.

ipsum verò crescere vidit in montem magnū, qui totum orbem impleuerit. Dan. 2. Sed Christum audiamus, qui terras corpore suo relicturus ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Ite in orbē vniuersum, prædicate euangeliū omni creaturæ, &c. Matth. 28. Mar. 16. A. & 1. &c. Habet hæc regni Christi consideratio eximiam consolationem. Quia enim omnium gentiū rex est, in stus, fideles suos vbiq; terrarum videt, curat, tuetur & regit. Nec aliquis in orbe angulus est, in quem eieci extra Christi prouidentiam & protectionem constituti sint. Insaniat ergo mundus vt volet, non tamen quicquam efficiet aliud, quàm quòd Christus in bonum ecclesie fieri permit tit, quam Cruce interdum exerceri oportet. Ipse interim ei præfens adest, vsque ad consummatio nem seculi. Matth. 28. Beati, qui hunc regem agnoscunt, & sub illius protectione mundi minas ri dere & contemnere possunt.

Comprehendimus sermone hoc breue doctrinæ euangelicæ compendium. Audiuitis enim, Christianorum esse non peccare, sed iugem & perpetuam agere pœnitentiam. Didicistis, quòd qui peccarunt, confugere debeant. Iesus Christus pro peccatis nostris propitiatio factus est. Idem ad uocatus & intercessor pro nobis est apud patrem. Per hunc tendamus ad thronum gratiæ, vt cum eodem æternum viuamus. Ipse debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A V I.

Et per hoc scimus, quòd cognouimus eum, si præcepta illius ob seruemus. Qui dicit: Noui eum: & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat sermonem eius, uerè in illo charitas Dei perfecta est. Per hoc scimus, quòd in ipso sumus. Qui dicit se in eo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

*Christi negotium
offendiculi plenū*

Dominus & saluator noster Iesus Christus Ioannis Baptistæ discipulis inquit: Beatus, qui in me non offenditur. Sententia hæc grauis & diligenti consideratione digna est. Debet enim non de Cruce modò Christi & humilitatis specie, quam in terris hisce gestauit, verum eti am de doctrina & tota salutis nostræ administratione, quam Christus obiuuit, intelligi. Nam si ear nis nostræ ingenium consideremus, absurda planè & longè diuersa sunt illius circa fidem & reli gionem studia. Sunt enim hypocritæ iustitiarum, qui dum religionem in externa sanctimoniz spe cie sitam esse existimant, quicquid in Christi doctrina traditur, eò rapiunt, vt Tragicum quandam cultum instituant & vana sanctimoniz simulatione sese venditent. Ab his longè dissentiant, qui peccandi licentiam sectantes, eius patrocinium sub Christi merito quærunt. Quia verò vtriq; à religionis veritate & salutis via procul aberrant, vtrisque diligenter sese opponunt apostoli, & in ter hos Ioannes noster, qui subinde quasi ambabus manibus dimicat, ne alterutris fenestram sui erroris aperuisse videatur. Etenim quæ hucusq; dicta sunt, ferè ijs coercendis seruiunt, qui ex terno cultu & simulatæ sanctimoniz fiducia freti de Christo parū honorificè sentiunt, dum quæ ipsius sunt, quærunt alibi. Nunc verò ad eos sermonem dirigit, qui Christi nomen professi, parum Christianè viuere consueuerunt. Et primò quidem summam suæ doctrinæ proponens, docet Christi notitiam & fidem, quæ euangelio traditur, minimè otiosam esse, sed obseruationem mandatorum Christi secum trahere. Mox illud ipsum argumentum ab effe ctis sumptò probat. Cui mox aliud à Christi exemplo deductum subiicit. Faxit dominus, vt hæc non intelligamus modò, sed in eadem transformati vitam viuamus nostra professione dignam.

*Argumentū præ
sentis loci.*

I. Per hoc scimus, quòd cognouimus eum, si præcepta illius obseruemus. Qui dicit: Noui eum: & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Summā huius doctrinæ istis verbis propo nit, & habet propositio venustam antithesim, qua orationis figura Ioanes frequenter vtitur, non tam perspicuitatis quàm vehementiæ gratia. Per hoc scimus, quòd cognouimus eum: id est, hoc argumento constat, nos vera Christi cognitione & fide in hunc esse præditos: si præcepta illius seruemus. Nec enim de historica Christi cognitione, quam & dæmones habent, loquitur, sed de saluifica illa, qua nos iustificari propheta testatur. Isa. 53. Ceterum huic propositioni mox alteram opponit: Qui dicit se Christum nouisse, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Possunt hæc paucioribus verbis comprehendi ad hunc modum: Veræ cognitionis Christi & fidei argumentum est, præceptorum Christi obseruatio. Quisquis ergo sine hac Christi cognitione

gatione gloriatur, mendax est. Ex præcedentibus verò ista sic dependent: Dixi Christum Iesum nobis à Deo patre propitiationem pro peccatis totius mundi datum esse, & eo nos aduocato ac intercessore apud patrem uti debere. At ista nemo sic accipiat, quasi satis sit Christianum dici, historiam rerum à Christo gestarum memoria tenere, sacris ite à Christo institutis communicare. Maius enim quiddam à nobis requiritur: Viua nimirum Christi Iesu cognitio, quæ spiritus sancti opus est. Ea Christo nos totos inserit, in illius admirationem & amorem rapit, ut quæcumque à nobis exigit, pro virili ex ipsi obedire. Accendit ergo studium præceptorum ipsius, ut quæcumque à nobis exigit, pro virili exquamur, nec unquam desinamus ad propositam Christianæ perfectionis metam tendere. Quisquis hoc studium in se animaduertit, is se veram Christi cognitionem iam assecutum esse confidat. Quisquis autem ab hoc studio se adhuc abhorre & alienum esse sentit, is Christi cognitione & fide gloriari desinat, ne palam mendax & à veritate alienus deprehendatur. Et hic quidem verborum Ioannis sensus est. Insunt autem his quædam altiori consideratione omnino necessaria.

Cohærentia loci cum præcedentibus.

Primo obseruandum venit, quod sciendi & cognoscendi verbis Ioannes utitur. Per hoc scimus (inquit) quod cognouimus eum. Docemur ergo, veram & certam in nobis exoriri posse salutis nostre notitiam. Salutem enim fide apprehendi omnis scriptura testatur. Cum autem de fide nostra nos certos fieri posse Apostolus fateatur, imò eius certitudinis argumentum & notam infallibilem commouet, fieri nequit, ut de salute sua fideles incerti sint. Arguit hoc impium & perniciosum philosopharum dogma, qui hominem de salute sua semper dubitare docent, & impossibile dicunt, ut de hac quicquam dum hic viuit, certus reddatur. Et habent isti homines, quo suum commentum velent: quasi hæsitatio ista securitatem carnis pellat, & indefessum salutis studium in nobis excitet. Interim vero animaduertere nolunt, hæsitationem istam in desperationem declinare posse, quod horribiles multorum lapsus sæpe probauerunt. Iubet Paulus, ut cum timore & tremore salutem nostram optinemur. Phil. 2. At idem de salute nusquam dubitare, sed pius in fide firmos stare docet. Adhæc articulum salutis nostre spiritum sanctum nobis datum esse testatur, in quo clamemus, Abba pater. 2. Cor. 1. & 5. Ephes. 1. Rom. 8. Galat. 4. Et Petrus Apostolus de maximo salutis periculo, diabolo nimirum, loquens, ubi illius improbum nobis nocendi studium descripsit, addit: Huic resiste solidi in fide. 1. Pet. 5. At quomodo in fide solidi huic hosti resisteat, qui de salute sua dubitare edocet? Prodit ergo se dogmate spiritus ille vertiginis, quo malignantium ecclesia regitur.

Salutis notitia certa est.

Secundo notam, ex qua veri Christiani agnosci possunt, diligenter obseruare decet. Christianum equidem fides facit. Sed quia hæc interdum latet, nec facile est de aliorum animis, in quibus fides seculam suam habet, iudicare, externa nota fideles suos Christus agnoscere docuit. Est hæc præceptorum Christi obseruatio. Non autem perfecta illa & omnibus numeris absoluta debet intelligi, quam nemo carnis infirmitate circumdatus unquam assequatur. Sed studium præceptorum Dei, quo fidelis anima flagrat, significatur, cui tamem ex carnis corruptione imperfectio multa adheret. Cæterum notam hanc Ioannes non ex se finxit, sed à Christo ante traditam reperit. Is enim ait: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, is est qui diligit me. Et rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat, Ioan. 14. Alibi item: Vos amici mei estis, si feceritis quæcumque ego præcipio vobis. Ioan. 15. Sed & pater cælestis, cum cælitus pronunciauisset, Christum esse suum dilectum filium, in quo nobis reconciliatus est, nostri simul nos officij admonens subiungit: Ipsum audite. Matth. 17. At audiendi serbo non hoc tantum exigit, ut auribus percipiamus quæ à Christo præcipiuntur, sed ut eadem factis exequamur. Beati enim ab ipso pronunciantur, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Lucæ 11. Ut ergo verè genuinus patris filius non dicatur, nisi qui patri placere studet: ita Christianum & Dei filium verè dicet nemo, nisi eum, qui præceptorum Christi obseruatione Deo patri sese approbare conetur.

Nota externa fidei delium.

Imprimis verò obseruandum, quod Christianos & verè fideles eos vocat, qui Christi præcepta obseruauerint. Arguuntur hac sententia, qui Christianismum in humanarum traditionum obseruatione situm existimant, imò eius perfectionem in illa consistere palam contendunt. Sic Franciscanus reliquis sanctior haberi vult, quod regulam Francisci sequatur. Dominicanus & huic & Christianis omnibus sese præfert, eo quod Dominici regulam profitetur. Eadem est multorum aliorum ratio. Sed Christianum solius Christi regula facit. Aut hac contentos viuere decet, aut demonstrandum erit, Franciscum, Dominicum, & alios eius farinae homines, aliquid inuenisse & sanctius & perfectius ijs, quæ à Christo nobis sunt tradita. Sed hoc demonstratum tam est facile, quam Aethiopes esse dealbare, aut digito cælum attingere. Quin, si quod verum est fateri velimus, Christianos esse negabimus, qui hominum potius traditiones, quam Christi præcepta sequi voluerint. Quis enim verè Tigurinum dicet, qui Tigurinæ legibus viuere detrectet? Christus certè disertè pronunciat: Frustra me colunt, docentes traditiones hominum. Et omnis plantatio, quam non plantauit

Humana traditiones exploduntur.

pater meus cœlestis, eradicabitur. Matt. 15. Præterea D. Paulus Cephæorum, Apollonistarum & Paulinorū nomina pro factiosis ab ecclesia procul eiecit, & Corinthios carnales esse probat, quòd istis nominibus in diuersas sectas scinderentur. 1. Cor. 1. & 3. At hodie eò dementiæ processimus, vt eò perfectiores videri velint homines, si sacrosancto nomine Iesu Christi, in quo omne genu flectitur, abnegato, Franciscani, Dominicani, Bernhardini, Benedictini vel Augustiniani potius, quàm Christiani dicantur. Sed vt illi suā perfectionē iactent, & titulis vel Seraphicorū vel Cherubicorum turgant, Christiani verè sunt & censebuntur, qui Christi præcepta seruare studuerint.

*Christi præcepta
è scripturis petan-
tur.*

At roget quispiam, quæ nam illa præcepta sint, quorum obseruatio tam necessaria est? Nam si eos audias, quibus cū nobis hodie fidei & religionis cōtrouersia agitur, quæcunq; illi & faciūt, & alijs facienda obrudunt, Christi præcepta esse clamitāt. At in huius causæ diiudicatione, non quid vel illi, vel quid nos dicamus, videndū erit, sed ipsius Christi verbum, quod in scripturis sonat, audire conuenit. Nam vt Paulus testatur, Iesus Christus heri & hodie, idem est etiā in secula. Heb. 15. Quæcunq; ergo olim seruanda tradidit, eorū autoritas & hodie valere debet, sed ita vt de illa ipsa sit Dei patris sapientia, & huic non ad mensuram spiritum suum pater dedit, sed ita vt de illius gratia nos omnes acceperimus, (Ioan. 3. & 1.) de præceptorum eius perfectione dubitare non potest, nisi qui & de ipsius Dei & spiritus sancti perfectione dubitare voluerit. Præterea cum in veteri testamento talem legem Deus dederit, cui quicquam vel addere vel adimere, piculū erat: num nostram conditionem tempore correctionis deteriorem, & tam incertam putabimus, vt nouis assumentis quotidie opus sit? Adde his, quòd Christus ne Apostolis quidem liberum fecit, vt quæ ipsis salutaria videri poterant, traderent. Sed discipulos mihi facite (inquit) omnes gentes, docentes eos seruare, quæcunq; præcepi vobis. Matt. 28. Et Paulus apostolus angelum anathema pronunciat, qui euangelium aliud prædicare ausit, quàm ab ipso prædicatum est. Galat. 1. Noli ergo, quisquis es, Christi præcepta alibi quàm in scripturis quærere. At quæ nam illa sint, paucis dicendum erit. Possunt enim breuitatis & perspicuitatis ergò tribus ordinibus comprehendi.

*Primus ordo præ-
ceptorū Christi,
de fide.*

Primus ordo eorum est, quæ fidem nostram instruunt. Præcipuum in his locū obtinet, quo in solum Deum credere iubemur, quod & in Decalogo primum ponitur. Maledictus enim qui fit in homine, & carnem fecerit brachium suum. Ierem. 17. Proximum ab hoc est, quo is monstratur, cuius merito & intercessione freti fiduciam & spem in Deum collocare audemus. Nisi enim eum homo videat, frustra illum ad Deum accedere iubebis, cum propriæ conscientie testimonio conuictus, se & peccatorem & filium iræ esse sentiat. Hic ergo Christus Iesus monstratur, quem mediatorem illum esse, proximo sermone didicimus. Et vt in se credamus, idem præcipit, dicens: Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Ioan. 6. Præceptum quoq; est, quod ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Matt. 11. Item: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &c. Ioan. 7. Cæterū, quia fides non vana aut hominis persuasionem concepta opinio est, sed certa & solida rerum, quæ in Christo proponuntur, apprehensio, Christus nobis hoc loco inspiciedus erit. Nisi enim talem agnoscamus, qualem se in scripturis cognoscendum præbet, fidei præceptum nunquam implebimus, vt nec hæretici fecerunt olim, qui alium Christum longè ab eo diuersum, qui scripturis traditur, finxerūt. Poterit autem totus Christus duobus capitibus comprehendendi, personæ nimirum & officij consideratione.

*Quid de persona
Christi creden-
dum sit.*

Persona Christi vna est & eadem, adeoq; indiuisa. Conueniunt verò in hac duæ naturæ, hæc verò na & humana: quarum illa ab æterno eiusdem cum patre essentia & maiestatis consors, hæc verò præfinitis temporibus ex Maria virgine assumpta est. Conuenire has in vna persona, non misceri aut confundi, dicimus. Manet enim diuinitas, nec vlla humanæ infirmitatis macula violatur. Manet humanitas, nec diuinæ maiestatis gloria absorbetur. Et vt diuina natura perfecta est & omnibus numeris absoluta: sic humanam quoque perfectam & absolutam dicimus, vt quæ vero hominis corpore & anima humana constet. Extant vtriusq; clara in scripturis testimonia. De diuina enim prophetæ loquentes, Christum admirabilem, patrem æternitatis, coæqualem Deo, æternū, adeoq; ipsum dominum & Deum vocant. Isa. 9. Zach. 13. Iere. 23. Rursus ijdem, dum ad humanam eius naturam respiciunt, eūdem surculum de stirpe Iesse, Dauidem, Dauidis filium, nouissimum virorum nominare consueuerunt. Isa. 11. & 53. In euangelio de diuinitate Christi dicitur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat illud verbum. Hoc erat in principio apud Deū. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, &c. Ioan. 1. At de eiusdē humanitate idem euangelista differens, inquit: Verbum caro factum est: non diuinitatis mutationem, sed humanitatis assumptionem significans. Per expositionem enim addit: Et habitauit in nobis. Sed & ipse Christus in filij Dei persona loquens, ait: Ego & pater unum sumus. Ioan. 10. Item: Antequam Abraham nasceretur, ego sum. Ioan. 8. Idem vero in persona hominis loquens, dicit:

dicit: Pater maior me est. Ioan. 14. Infinita sunt eius generis testimonia, quæ si omnia recensere vellemus, dies nos deficeret. Sufficiat nobis, Christi præceptum esse, fidei nostræ cum primis necessarium, vt Iesum Christum verum Deum & hominem in vna indiuisa persona esse credamus, nomenclatione sit, vt de toto Christo interdum dicatur, quod alterius duntaxat naturæ est. Id nisi obseruetur, errores parit horribiles & hæreses execrandas, vt in Arrio, Ebione, Marcione, Valentino, Nestorio & alijs euenisse legimus. Prodest etiam fidei nostræ fulciendæ hæc cognitio. Nec enim mediatorem agnoscere poterimus Christum, nisi & Deum & hominem esse credamus, vt supra dictum est, & infra quoque patebit.

Officium Christi ipsis nominibus exprimitur. Cum enim diuina prouidentia in multis hoc poete impleatur: Respondent fatis nomina sæpe suis: hoc ipsum in filio Dei, tot seculis expectato cum primis fieri oportebat. I E S V nomen Hebræum est, & illius officium generaliori significatione denotat. Saluator enim vel seruator sonat. CHRISTI vox Græca, specialius ipsum quoque modum saluandi comprehendit. Quem enim Græci Christum dicunt, Hebræis Mefsias, nobis verò Vnctus appellatur. Vngebatur autem antiquitus diuina ordinatione sacerdotes & reges, quos promissi saluatoris typos fuisse, nemo negare potest. Eius itaque typi respectu saluator noster Christus, id est vnctus dici debuit, non quod oleo externo delibutus fuerit, sed quod oleo lætitiæ (vt Psal. 45. habetur) spiritu sancto præ omnibus hominibus donatus, & in hoc consecratus sit, vt populi Dei summum atque æternum tam sacerdotium quam regnum susciperet. Quæ causa est, quod Baptista spiritum sanctum visibili specie super Christum descendere & manere vidit. Ioan. 1. Cui ergo Dei filium Christum esse credimus & profitemur, eundem populi Dei, id est, ecclesiæ totius sacerdotem & regem agnoscimus. Agnoscenda itaque sunt in eodẽ & sacerdotis & regis officia. Sacerdotes olim docebant populum & in lege Dei instituebant. Pro populo item orabant & sacrificabant. Eadem Christus plenissime præstat. Docuit enim iam olim in terris agens, & docet etiam nunc hodie, dum verbum suum per ministros à se ordinatos ecclesiæ reuelat, & spiritu suo in animis hominum viuificat. Imò solus & vnicus ecclesiæ doctor ceteri debet, cum ministri externam duntaxat functionem obire, in hominum verò animis nihil operari possint. I. Corint. 3. Idem pro suis non modo in terris agens orauit, verum etiam hodie pro illis intercessor & aduocatus coram patre apparet, vt in præcedenti sermone vidimus. Præterea sacrificium obtulit, non qualia in veteri testamento offerri solebant, sed seipsum, corpus suum verum & sanguinem, quæ in ara Crucis pro nobis tradita peccati culpam expiauerunt & patrem nobis reddiderunt propitium. Cæterum non ea Christi sacerdotis ratio est, quæ in veteri testamento olim erat. Quia enim mortales erant illi, nouis subinde successoribus opus fuit. At Christus cum immortalis sit, nec illi mors dominetur amplius, successore non indiget, vt nec vicario, cum officium sibi commissum minime negligat. Ipsi enim dictum est: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Psal. 110. Adhæc, cum sanguis bouum & hircorum nõ possit auferre peccata mundi, (Heb. 10.) omniaque veteris testamenti sacrificia nihil nisi typus essent sacrificij in Cruce immolandi, illa sæpius iterari oportuit. At Christus semel oblatus, nõ in manufacta sancta ingressus est, sed in ipsum cælum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis, non vt sæpius offerat semetipsum: sed vnica sui corporis & sanguinis oblatione sufficientem & perfectam peccatorum nostrorum expiationem impetrauit. Heb. 9. Quisquis ergo in fidei causa Christi mandata seruare vult, Iesum Christum verum, summum & æternum ecclesiæ sacerdotem esse credat oportet, qui verba vitæ æternæ solus habeat, qui pro nobis apud patrem solus intercedat, quique vnico corporis & sanguinis sui sacrificio mundi peccata expiauerit. Sed regnum quoque Christi consideremus.

Regum officium in populi incolumitate & publica pace conseruanda præcipue versatur. Huc spectat, vt sibi commissum populum bonis legibus instruant, secundum leges bonas gubernent, pro eius salute vigilent, iudicium rectum administrent, suum cuique tribui curent, armis quoque (si ita opus sit) eundem contra omnem iniustam vim & tyrannidem defendant. At nihil horum Christo deest, si quæ scripturæ de illo tradunt, probè consideraueris. Populi enim sui incolumitatem & pacem tanto studio querit & prouehit, vt pro hac sanguinem proprium fundere dignatus sit. Leges tulit, quæ nõ presenti modo vitæ, verum etiã æternæ seruiunt. Eisdem tuetur, & obedientibus quidem benefacit, transgressores verò variè punit & coercet. Nec desunt illi arma, quibus regnum suum tueatur, & hostes deuincat. Vicit iam olim omnis impietatis caput, sathanã. Exarmauit peccatorum spicula, quibus is contra nos pugnare solet. Mortis quoque tyrannidem oppressit, adeoque portas inferorum contriuit. Pugnat adhuc quotidie verbo suo contra Antichristum & eius propugnatores, tyrannos. Iugulat illos spiritu oris sui. Imò horrèda in illos iudicia sæpe exercet, dum

*Quid de officio
Christi creden-
dum sit.*

*Christus sacer-
dos.*

Christus rex.

fortunis omnibus spoliatos de gradu deijcit, tum honoribus exutos infamia sempiterna polluit, dum consilia eorum dissipat, & omnes conatus euertit. Exempla eius generis infinita sunt, & ipse rerum euentus hæc vera esse testatur. Quod enim regnū dabis, cuius leges, honor & maiestas tot seculis durarit, quot Christi regnum iam stetisse videmus? Deiecta & euersa iacet Assyriorū monarchia, quæ primos mundi tyrannos fundatores habuit, vt ex illius magnificentia nihil, præter nudam memoriam reliqui habeamus. Intercidit Persica tyrannis, & ita intercudit, vt nulla eius vestigia vsquam appareant. Idem euentus Græcorum Imperium sustulit. Quid Romæ, quam æterni tatis titulo tot assentatores ornauerunt, acciderit, res ipsa loquitur. Vt interim de alijs regnis, quæ aliquando floruerunt, nihil dicamus, quorum vix nomina extant. At Christi regnum, vt ab ipsa mundi origine cœpit, ita durat in hunc vsq; diem, & vsq; in cōsummationem seculorum durabit. Et licet multis persecutionibus exagitatū sit semper, Christi tamē patrociniō sic defensū est, vt contra illud pugnauisse, nemini tyrannorū vnquam feliciter cesserit. Cōtra Christum enim ne portæ quidem inferorum prævalent. Matth. 16. Talis ergo Christus agnoscendus erit, si iuxta ipsius præcepta in illum credere velimus. Cōprehendunt hæc, quæcunq; de illo in scripturis tradita habemus, eumq; vnicū & solum totius mundi saluatorem esse docent. Peccat ergo in præcipuū Christi præceptū, quicunq; de eius vel persona vel officio aliter credunt, quàm ipse credere docuit. Peccant item, qui ista quidem se credere profitentur, non autem vno Christo contenti, quæ ad redemptionis & salutis nostræ gloriam pertinent, vel proprijs meritis, vel alijs creaturis tribuūt. Vt enim Deus vnus est, qui solus adorari & coli vult: ita vnus est mediator Dei & hominum, Iesus Christus, qui & ipse zelotes cum sit, gloriā suam alteri non dat. 1. Tim. 2. Isa. 42. Et hæc quidem de primo præceptorum Christi ordine dicta sufficiant.

Secundus præceptorū Christi ordo, de externo cultu.

Secundus ordo eorum est, quæ ad cultum Dei, siue religionem externam spectant. Nā licet verus Dei cultus spiritualis sit, & in ijs potissimum versetur, quæ de fidei præceptis modò diximus: nostræ tamen infirmitatis rationem habens Deus, externos ritus dedit, quibus fidem & religionem internā exerceamus. In iisdem verò nostræ sapientiæ petulantia arctissimis terminis circūscripsit, ne eos cultus ipsi institueremus, qui nobis quidem pij & salutes viderentur, cū Dei verò natura & gloria pugnarent. Et veteribus quidem innumera rituum moles præscripta fuit, quia promissum saluatorem, qui legis finis est, variè adumbrari vtile erat. At quia is in mundū missus correctionis tempus attulit, immenso illo Ceremoniarum pelago sublato, quæcunq; fidē nostram adiuuare & animorum deuotionē excitare possunt, paucis capitibus comprehendit. Possumus hic primum locum cœtibus sacris tribuere, propter promissionem à Christo datam, cum dicit: Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Matth. 18. At cōuenisse non prodest, nisi ea fiant, propter quæ in nomine Christi conuenire decet. Hic ergo doctrina verbi requiritur, quòd Christus & syncere prædicari, & attētis animis cum fide audiri vult, sic vt ea nota Dei filios à filijs diaboli dignoscere doceat. Ioan. 8. Et Mariā eo nomine cōmendat, quòd sorore hinc inde discurrente, ipsa pedibus ipsius assidens verbum docentis attenta audiret. Luc. 10. Studio verbi preces coniungendæ sunt. Nec enim cœlestis illa sapientia cuiquā datur, nisi qui ipsam à patre luminum fidei oratione postulauerit. Iac. 1. Ad Deum ergo fundendæ preces, non ad Creaturas, & cum fide orandum, quæ de Dei in nos voluntate & eiusdem præsentia dubitare prohibeat. Obseruandum hoc in omnibus precibus, tam priuatis quàm publicis, quæ quàm gratæ Deo sint, vel hinc colligi potest, quòd vbiq; nos ad precandum inuitat, & nominis sui iauocationem externis ritibus vniuersis præfert. Psal. 50. Præcipuum autē in precibus est, vt & Dei voluntati nos totos subijciamus, & per Christū dominū nos exaudiri petamus. Quia enim toti corrupti & peccatores sumus, nec ipsi Deo quicquam arrogantius præscribere, nec sine Christo mediatore in illius conspectū turpi confidentia tendere debemus. Monet hoc ipse Christus, dū nos in nomine suo orare, & inter orandum dicere iubet: Fiat volūtas tua quemadmodum in celo, sic etiam in terra. Ioan. 16. Matth. 6. Accedit his sacramentorū administratio & legitimus eorundem vsus, Baptismi nimirū & Cœnæ dominicæ, quam Eucharistiam & Synaxin veteres dixerunt: in quibus magno studio huc incumbendū est, ne vel prophanentur, vel humanarū traditionum additionibus corrumpantur, quādo nec Paulum Apostolum sibi tantū permisisse legimus, vt in Cœnæ administratione per Christū instituta aliquid mutare ausus fuerit. 1. Cor. 11. In his ferè externum cultum consistere legimus, cœtibus nimirum sacris, doctrina verbi, precibus & sacramētis, quæ omnia & simplicissimè à Christo instituta, & à veteri ecclesia fideliter obseruata sunt. Qui his seruādis intenti sunt, mandata Christi sequuntur, sicq; declarāt, se Christū vera notitia & fide apprehendisse. Si qui verò his omisissis, nouos ritus ex sese fingunt, cœtus sacros negligunt, verbum Dei contempnunt, humana cōmenta venerantur, preces ad Creaturas dirigūt, vel in illis alio

Cœtus sacri.

Doctrina.

Preces.

Sacramenta.

media.

mediatore quàm Christo apud patrem vtuntur, sacramentorum vsum peruertunt, in super omnibus istis imagines addunt, sufficit, consecrationes nouas, imò & noua sacramenta comminiscuntur, ij Christi mandata seruare nequaquam dici poterunt, cū hæc ab illo præcepta esse nemo probare possit.

Tertio præceptorum Christi ordine, quæ ad conuersationem vitæ totius faciunt, continentur. Possent hæc tam latè diduci, quàm latè omnis vita nostra & eius actiones extenduntur. Sed licet enim filijs Dei purificationem, iustitiam & fraternam dilectionem tribuit. Purificamur quidem solius Christi sanguine, vt supra didicimus. At qui ita purgati sunt, quotidie pedes suos abluere, id est, impuros carnis affectus, quibus ad peccandi studium rapiuntur, deponere debent. Ioan. 13. Hoc enim nisi fiat, cū Deo, qui ipsa est sanctitas, nobis conuenire nõ potest. Leuit. 19. Isa. 33. & c. In singulis hominibus, ea tribuamus, quæ ipsis per nos diuino iure debentur. Dilectio siue charitas non iniurias modò prohibet, sed simul beneficentiã unicè cõmendat. Quia verò de omnibus istis infra copiose disseremus, hæc pauca modò sufficiant. Hoc interim firmiter tenendum, nos Christi cognitione & fide frustra & falso gloriarios, nisi præceptorum Christi studio incensi, eadem legitima obseruatione exequi conemur. Sed video nos primæ huius loci parti diutius immoratos esse, quare tempus postulat, vt ad secundam transeamus.

Tertium præceptorum Christi ordinem de moribus.

II. *Qui autem seruat sermonem eius, uerè in illo charitas Dei perfecta est. Per hoc scimus, quòd in ipso sumus.* Probat his, verè Christum nouisse & verè Christianos esse eos, qui Christi mandata seruât. Probat autè ab effectis, charitate nimirum siue dilectione Dei, quam Christi cognitio in nobis operatur. Argumentum tale est. Omnis qui Deum verè diligit, verè Christum nouit. At omnis qui Christi præcepta seruât, Deum verè diligit. Ergo qui Christi præcepta seruât, verè habet Christi notitiam, & verè Christianus est. Verè autè ad hunc modum argumentari Ioanem, non scriptura mouet, sed & cõmunis sensus docet. Quia ratione enim fieri poterit, vt Deum diligit, qui eum nõ nouit. Nũ in re ignota hærebit amor? At Deum nouisse non potest, qui Christum ignorat. Ipse enim est splendor gloriæ & expressa imago substantiæ illius. Heb. 1. Et Deum nemo vidit unquam, sed filius, qui est in sinu patris, reuelauit nobis. Ioan. 1. Plena ergo Christi cognitio præcedat oportet, maximè cum non frigida quædam amoris Dei professio sufficiat, sed hoc requiratur, vt illum suæ per omnia diligamus, eidem soli fidamus, imò illius nomine relinquamus domum, parentes, coniugem, liberos, fratres, denique nos ipsos abnegemus. Matth. 10. 16. Marc. 8. At rursum, tantus hic amor absque mandatorum Christi obseruatione nõ erit. Quia amoris proprium est, ei placere uelle, quem amas. Sic filius parenti obediens est, nõ seruili timore, sed filiali amore adductus. Et Deus non alia de causa exigit, vt se diligamus ex toto corde & totis uiribus, quàm quòd amor hic nos totos in Dei obseruantiam rapit, & mouet, vt nihil non facere parati simus, quòd cū hoc tanto bono, & tam valde à nobis amato, possimus coniungi. Cum ergo nec Dei amor sine Christi cognitione, nec idem sine præceptorum Christi obseruatione cõsistere possit, plenè & sufficienter probauit Ioannes, Christianos reuera esse & Christi notitia verè gloriari, qui eius præcepta obseruam. Perfectam verò charitatem uocat, non quòd nobis aliquando, dum hic uiuimus, ad summam illam perfectionem peruenire liceat, sed studium perfectionis commẽdare uult, quo inflammati semper ulterius progredi conemur. Hoc enim qui facere negligunt, se nec Christum nouisse, nec Deum patrem à se diligi, satis apertè testantur.

Præceptorum obseruatio signum uera dilectionis Dei.

Indicat verò insignem huius studij fructum, quò magis nos cõmoueat & excitet. Ait enim: *Per hoc scimus, quòd in ipso sumus.* Ea igitur Dei dilectio, quæ præceptorum Christi obseruationem in nobis gignit, argumento est, nos verè Christo esse insitos, & uel sola fidem nostram cõtra vacillantem carnis hæsitacionem fulcire potest. Si enim in ipso sumus nos, illum in nobis esse oportet. Nam ipse inquit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14. Non ergo Christum modò intra se habet, qui eum verè nouit, verè diligit, & eiusdem præcepta seruât: sed & pater cum illo mansionem facit, quæ certa hominis salus est, & gloriã parit, cui nulla mundi huius gloria æquari potest. Sic ubiq; Apostolus, Christi exemplum secutus, uehementissimos stimulos adhibet, quibus ad eorum obseruationem impellat, quæ persuadere conatur. At quia pleriq; ex eorum numero uideri uolunt, qui Christo insiti sunt, & in quibus uicissim Christus maneat, inde occasione sumpta Ioannes ad institutum redit, & illos sui officij rursus admonet, quæ tertia loci, quæ modò tractamus, pars est.

Dilectionis Dei fructus.

III. *Qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Argumentum est ei simile, quod Cap. 1. de luce protulit. Qui cū Deo societatem habere cupit, eius ingenio se accommo-

Christiani Christi exemplum sequantur.

C A P V T I I.

det, necesse est. Deus vero lux est, & tenebræ in eo sunt nullæ. In luce igitur ambulet & operante nebrarum fugiat, qui cum hoc communionem expetit. Simili ratione hic docet, Christiani hominis esse, vt Christi exemplum imitetur. Maior tamen huic argumento vis ex coniunctione, quæ nobis cum Christo est, accedit. Fidei enim opus est, quod Christo inferimur, & vicissim ab illo spiritum ipsius accipimus, qui author est, vt in omni conuersatione nostra viuum quoddam Christi exemplar conspiciatur. Ad hanc coniunctionem Paulus respiciens ait: Viuo nõ iam ego, sed viuit in me Christus. Gal. 2. At quomodo fieri poterit, vt secus quàm Christus ambulauit, ambulent, in quibus spiritu suo Christus viuat? Nec enim otiosus esse potest Christi spiritus, cū & re-generet, & carnis nostræ affectibus perpetuò resistat. Possent hic multa de Christi exemplo dici, quomodo nimirum ipse ambulauit, & quam vitæ rationem in terris agens, secutus sit. Sed quia vitæ tam eius omnem ab euangelistis fideliter descriptam habemus, inde petant singuli, quæ hic breuiusculè traduntur. In Christo fidam cernimus obedientiam, qua patris sui voluntati sese totum subiecit. Nam obediens factus est usq; ad mortem, mortem inquam Crucis. Phil. 2. Eadem obedientia in omnibus apparet, qui Christum in se manentē habent. Christus nõ sua, sed quæ patris gloria seruierunt, quæ sicut vnice, & illius nomen illustrari optauit. Ioan. 12. Idem studiū diuinæ gloriae prouehendæ sectabuntur, quicunq; in Christo manere cupiunt. Christus se totum & omnia sua hominū saluti impendit, imò & animam pro ouibus suis deposuit. Ioan. 10. Eandem charitatē & idem cõmunis salutis studiū ab ijs exigit, qui ipsius discipuli censi volunt. Ioan. 15. & 13. Christus extremè humiliatus discipulorū pedes abluit. Ioan. 13. Non possunt ergo nõ humilitati studere, quicunq; in Christo sunt. In Christo innocentia tam perfectā cernitur, vt pharisæis dicere audeat, quis è vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. Idem ne falsis quidē testibus alicuius criminis conuinci potest. Mar. 14. Innocenter ergo & sanctè viuere studebunt, quicunq; Christi nomine non frustra gloriari volent. Deniq; in Christo insigne omnium uirtutū speculum, & exemplum omnibus numeris absolutū conspicitur, ad cuius imitationē sedulò accingi decet omnes eos, qui spiritus Christi & regni ipsius cõsortes nõ falso nomine dicuntur. Ad hoc exemplū, ceu Lydium lapidem, si examinentur, qui hodie Christi nomen profiteri audent, facillè videbimus, quàm pauci sint, qui professioni suæ respondeant. Obedientiā quidem Deo patri pollicemur, dū priuati commodi spes affulget: at vbi pro Dei nomine & gloria aliquid audendum est, vbi opum iacturam facere, voluptatum studia deponere, & carnis affectibus resistere iubemur, mox non inobedientes modò, sed murmuratores quoq; inuenimur. Gloriae Dei studiū adeò non tangit nos, vt patientibus auribus & oculis ferre possimus, quæ diuinam gloriā nõ obiter modò lædunt, sed palàm blasphemia sunt & impia. De innocentia, veritate, humilitate, dilectione fraterna, quid attiner dicere, cum vel cæcus videat, quàm procul ab his disiuncti simus? Accedit omnibus istis caput malorū, effrenis admonitionum verbi Dei contemptus, & intolerabilis honestioris disciplinæ fastidium, vt ea omnino secula agnoscere liceat, quæ ante aduentum suū gloriosum fore Christus Iesus præ dixit. Matt. 24. Discamus ergo õ fratres, longè aliam veri Christianismi rationem esse, quàm quæ nudis verbis & inanibus titulis absolui queat. Christum verè norunt, & reuera Christiani sunt, qui Dei patris charitatem in sese perfectam habent. At hæc sine præceptorum Dei obseruatione non consistit. Eadem Christi exemplum imitari docet. Quisquis sine his Christi cognitione & fide gloriari audet, mendax est. Fugiamus itaq; tam immane scelus, & Christi tam præcepta quàm exemplum secuti ex eorum numero nos esse testemur, qui cum Christo regnaturi sunt: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A V I I.

Fratres, nõ præceptū nouum scribo uobis, sed præceptū uetus, quod habuistis ab initio. Præceptū uetus est sermo, quē audistis ab initio. Rursus, præceptum nouum scribo uobis, quod uerū est in ipso & in uobis: quia tenebræ prætereunt, & uerū lumen iā lucet.

Diuus Ioānes, Apostolus & euangelista, in eo loco, quem nuper tractauimus, dixit: Per hoc scimus, quod in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Comprehendit illis verbis absolutam vitæ Christianæ rationem, quæ in duobus potissimum subsistit. Primum est, vt nos Christo simus insiti per fidem. Quia enim extra hunc salutis non est aliqua, & in solo hoc patri complacitum est (Acto. 4. Matth. 17.) frustra sine hoc in alijs rebus laborabimus, cum Deo sine fide quenquam placere impossibile sit. Heb. 11. Alterum est, vt quemad-

quemadmodum nos Christo sumus infiti, ita ipse vicissim in nobis sit, & in nobis spiritu suo operetur. Nam ex nobis ipsis non sumus idonei, ut vel cogitemus quod bonum est: & ipse est, qui operatur in nobis & velle & perficere. 2. Cor. 3. Philip. 2. Idem ipse monet, cum inquit: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. Ex duobus hisce finis Christianæ vitæ promanat, qui est, ut Dei similes reddamur, de quo iam semel & iterum Apostolus admonuit: eò quòd impossibile est hominem saluari, nisi ad eam imaginem Dei, ad quam initiò conditus fuerat, & vnde sua culpa excidit, reparetur. Porro, cum hæc doctrina in mundo, qui totus corruptus est, prædicatur, varia & peruersa de hac audiuntur hominũ iudicia. Sunt enim, qui mandata hæc non ardua modò, sed & noua, ac pinde superuacanea esse existimant. Inter quos aliqui, dũ suis affectibus nimium permittunt, totũ euangelium Christi nouitatis insimulant. Illis ergo rursus respondet Ioannes. Et primò quidem, euangelij doctrinam omni nouitatis suspicione liberat. Quia tamen eadem nouum Dei fœdus, & nouum testamentum, nouam quoque legem continere interdum dicitur, secundo loco qua ratio ne illa dicantur, edocet. Adsit nobis spiritu suo Deus, ut veterem salutis doctrinam rectè intelligamus, & ipsi in id quod rectè intelleximus transformati, vitæ nouitatem coram Christo domino nostro induamus.

*Argumentũ præ
sentis loci.*

I. *Fratres, non præceptum nouum scribo uobis, sed præceptum uetus, quod habuistis ab initio. Præceptum uetus est sermo, quem audistis ab initio.* Disertè & palàm negat, quod de nouitate huius doctrinæ obijci poterat. Demonstrationis autem loco hoc ipsum euangelij uerbum, quod ab initio prædicatum est, allegat. Sic enim loqui uidetur: Scio quàm aduersa sint carni quæ tradimus, cum illa non aliud perinde quærat, quàm ut suis studijs impunè possit indulgere. Hinc multa & varia comminisci solet, quibus doctrinam, quam tradimus, inuisam & contemptam reddat. Et quia ueteri corruptæ vitæ consuetudini ipsa assueuit, illico nouum esse clamat, quodcunque illi repugnauerit. Quòd si rem ipsam consideretis ò fratres, longè aliter sentietis. Quid enim aliud tradimus, quàm eam esse Dei uoluntatem, ut cultores habeat sui similes? Dicimus enim: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Quòd si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem inter nos habemus. Item: Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Quid uerò aliud vnquam requisit dominus? Conferte quæso, quæ olim ueteribus dicta sunt, cũ ijs quæ à Christo tradita habemus, & eandem utrinq; doctrinam haberi intelligetis. Abrahamæ patri creditum dominus loquitur: Ego sum Deus omnifufficiens, ambula coram me, & esto integer. Gene. 17. In lege nunquam non inculcatur hæc sententia. Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus uester. Leuit. 19. 20. &c. Eandem doctrinam in Psalm. & prophetis ubiq; inuenire licet. Quòd si Christum audias, hoc ipsum non semel tradit. Nam in euangelio ait: Perfecti estote, quemadmodum pater uester, qui est in cœlis, perfectus est. Matth. 5. Et alibi: Deus est spiritus, & eos qui adorant eum, spiritu & ueritate oportet adorare. Ioan. 4. Quibus certè hoc vnum exigitur, ut diuinæ naturæ similes & conformes reddamur. Nec discrepat ab hoc communis humanæ rationis sensus. Quia enim salutis ratio non alia in re, quàm in societate cum Deo (qui summum bonum & unicus salutis fons est) consistit, & inter dissimiles studijs societas nulla esse potest, Dei similes reddamur oportet, si cum illo conuenire & salutem consequi uelimus. Quoad ergo finem & scopum doctrinæ tam ueteris quàm noui testamenti, discrimen planè nullum est. Quòd si medium inquiras, quo hæc Dei similitudo in nobis reparatur, utrobique idem inuenies. Adamo certè eo ipso die, quo ab imagine hac exciderat, semen mulieris promittitur, quod & caput serpentis conterere, & perditam hominis naturam instaurare debeat. Gen. 3. In lege idem & apertis oraculis & typis non obscuris adumbratur. Prophetarum testimonia & plura sunt & euidentiora, quàm ut illis commemorandis nos immorari necesse sit. Quæ ergo incitiam est (ne quid dicam grauius) nouitatis accusare, quod à prima mundi origine doceri cœptum, & progressu temporis per omnes Dei seruos omnibus seculis traditum est? Offertur hic latissimus dicendi campus, & in immensum extendi poterat oratio, si singulos salutis nostræ & fidei Christianæ articulos altius scrutari, & quæ de his tam in ueteri quàm noua scriptura habentur, conferre uellemus. Sed diligentior omnium horum cõsiderationem pijs & fidelibus relinquimus, quibus occasionem & uiam monstrauisse sufficiat. Sunt tamen alia quædam hic expendenda, quorum obseruatio hodie nec in utilibus nec superuacanea est.

Euangelij doctrina non noua, sed uetus est.

Primò Ioannem consideremus, qui tanto studio doctrinam abs se traditam nouitatis suspicio neliberat. Egerat idem in ipso epistolæ huius principio. Non tamen ijs contentus, hoc ipsum in præsentem & repetit & plenius illustrat. Idem reliqui Apostoli faciunt. Nam & Paulus ueteris scripturæ oraculis crebrò utitur, & Petrus nec se nec reliquos sui ordinis uel ab alijs deceptos, uel falsas sponte secutos fuisse, sed quæ ex ipso Christo & prophetarum scriptis hauserunt, ab ipsis

Euangelij doctrina non certa & perfecta.

tradita esse testatur. 2. Pet. 1. Imò vt ad Paulum redeamus, ea cura illum hic vsus esse videmus, vt disertè inter ea, quæ à Christo tradita nouerat, & quæ ipsi factu digna sine expresso Christi mandato videbantur, distinxerit. 1. Cor. 7. &c. Eodem referri potest & debet, quod propheta in suis orationibus nunquam non & præmittunt & repetunt: Hæc dicit Dominus Deus exercituum. Nec hanc inanem vel superstitiosam curam fuisse putare quisquam debet. Nam in lege cauerat Deus, vt ne quis verbo suo vel adderet vel adimeret. Deut. 4. & 12. Et prophetis disertè mandatum fuit, vt verbum ex ore Dei, non proprio cerebro defumeret: quod videre est Iere. 1. Ezech. 3. & 33. cap. Sed & Christus, cum apostolos prædicatum emitteret, inquit: Docete homines seruare, quæ ego vobis tradidi, Matth. 28. Faciunt hæc ad demonstrandum perfectionem & certitudinem doctrinæ verbi diuini, quæ in scripturis continetur. Si enim nec Mosi, amico & collocutori supremi numinis familiarissimo, nec sanctis viris Dei prophetis, nec dilectis Christi apostolis permissum fuit à præscripta doctrinæ forma discedere, & noua dogmata nouosq; articulos proponere ecclesijs, eam perfectionem & certitudinem huius doctrinæ esse constat, quæ nec humanæ sapientiæ additionibus, nec humanæ autoritatis approbatione siue testimonio opus habeat. Quæ ergo (malè) vafania est, doctrinam hanc in dubium vocare, dum vel multa addi oportere putamus, vel hominum autoritatem, qua approbetur, requirimus? Paulus se ipsum quoq; anathema pronunciat, si euangelium nouum prædicet. Gal. 1. Et nobis sua commenta impudenter obtrudent, qui nec eruditione nec pietatis zelo vel micam Paulini pectoris referunt.

Contra traditiones hominum.

Sed obijciat aliquis: Fatemur equidem euangelij doctrinam, sicuti olim per apostolos prædicata est, illis temporibus suffecisse. Sed additiones nostra tempora postulant, quæ si à viris pijs sancto zelo & studio prouehendæ pietatis constituantur, non video cur vel amarulentius reprehendi, vel pro inutilibus negligi debeant. Habent eiusmodi obiectiones aliquid momenti apud simpliciores homines, qui aliorum autoritatem suspicere consueuerunt. Sed maior apud nos diuinæ sapientiæ autoritas esse debet, ne quid quod huic detrahat, temere statuamus. Primò enim constat, hanc cum certa & immutabili veritate coniunctam esse. Nihil ergo statuit quod sibijpsi pugnet, quales ferè omnes sunt hominum traditiones, si ad verbi Dei regulam examinentur. Deinde scripturas non antiquis modò seculis, sed & nostris, adeoq; omnibus, datas esse constat, quæ ad mundi consummationem vsque euolui debent. Manet ergo earundem omnibus seculis firma & inuoluta autoritas. Quoad verò illa manserit, consistere non possunt quæcunque cum scripturis pugnantia ab hominibus quantumuis doctis & deuotis statuuntur. Si enim hoc asseramus, Dei sapientiam adeò imbecillum & imperfectam fingemus, vt quid omnibus seculis proficit & conueniat, videre non potuerit. Facit huc Pauli testimonium, qui de nouissimi seculi impostoribus differens, isdem non aliud antidotum, quàm scripturæ sacræ autoritatem opponit, Timotheo suo scribens: At tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt: sciens à quo didicisti, quæ est in Christo Iesu. Quòd si nouissimo tempore nouis traditionibus opus est, stultè & perniciose monet Apostolus, qui ad solas scripturas relegat, & in illis persistere docet. At nec stultum nec perniciosum esse potest consilium, quodcunque Dei verbo obedire suadet. Stulti potius & perniciosi seductores censeri debent, qui certam salutis viam, in scripturis monstratam, relinquere, & ad incerta humanarum traditionum auia declinare iubent. Sunt & aliæ rationes, quas diligenter obseruasse multum prodest, vt ingenij nostri insolentiam retundamus, qua suas nugas diuinis legibus æquiparare audet. Nam vt modò diximus, vt primum noua fingunt homines, diuina suspecta fiunt, quasi vel non sufficient, vel tanquam inutilia abrogari debeant. Pugnat verò vtrumque cum manifestis Dei oraculis. Christus enim in scripturis vitam æternam contineri, & Paulus loco supra citato, easdem ad hoc seruire dicit, vt hominem perfectum reddant & ad omne opus bonum præparent. Ioan. 5. 2. Tim. 3. Et apud Isaiam propheta spiritus sanctus clamatur: Verbum domini manet in æternum. Isa. 40. Præterea seruitus nõ necessaria imponitur simpliciorum conscientijs. Quia enim diuina sufficiunt, humana illa superuacanea & inutilia sint oportet. Quare & Christus eadem sarcinis confert, quas falsi doctores imponant, ipsi verò easdem ne digito quidem attingant. Matth. 23. Tum Paulus indignum & absurdum esse iudicat, vt qui pretioso Christi sanguine redempti sunt, serui hominum fiant. 1. Corinth. 7. Accedit omnibus istis, quòd per humana præcepta à diuinis abstrahimur. Sic enim natura comparatum est, vt factuum nostrorum amantes simus nimium. Vt primum igitur humanæ rationis statuta, pietatis & sanctimonij fucos velata, cernimus, mox diuina sordere incipiunt, & pro inutilibus vel superuacaneis negliguntur. Hinc illa in diuinis præceptis dispensandi audacia, quæ quàm Deo displiceat, infelix Saulis regis exemplum docet, quod qui videre cupit, historiam sacram legat, 1. Sam. 13. & 15. Non temere ergo factum

factum putemus, quòd Dominus per Moſem loquitur: Ne perueſtigetis poſt cor veſtrũ, aut poſt oculos veſtros, poſt quos ſcortari ſoletis. *Quin memores ſitis, & facietis omnia præcepta mea, cri- tiq; ſancti Deo veſtro. Numeri 15.*

Venit hic nobis deploranda infelix noſtri ſeculi cæcitas, quæ quicquid de Chriſto, ſaluatore noſtro, ex euangelij doctrina profertur, nouitatis crimine infamat & iniuſum reddit. Si enim omnes doctrinæ, quam hodie eccleſijs noſtræ fidei commiſiſis tradimus, articulos conſyderes, non alios videbis, quàm qui & veteris & noui teſtamenti libris olim traditi ſunt. His enim docemur, Chriſtum regem & ſacerdotem eſſe æternum. His docemur, eundem eccleſiæ ſuæ caput eſſe vni cum. His docemur, vnum hunc pro peccatis noſtris in ara Crucis expiationem factum eſſe, & ſemel immolatam corporis ac ſanguinis ipſius hoſtiam pro totius mundi peccatis ſufficere. Ex iſſa dem ſacroſanctam domini Cœnam, non ſacrificium pro peccatis mortuorum & viuientium, ſed ſacrificij olim oblati commemorationem eſſe diſcimus. Chriſtus eandem inſtituens, vtranq; ſpe- ciem tradidit, & ex poculo omnes iuſſit bibere. Luc. 22. Paulus quod à Chriſto acceperat, toti Co- ſentiorum eccleſiæ communicare auſus eſt. 1. Cor. 11. Scripturæ vnum & ſolum Chriſtum inter nos & Deum mediatorem vel interceſſorem eſſe tradunt. Scripturæ omnibus afflictiſ in ſolo hoc pacem & reſocillationem monſtrant. Scripturæ non creaturas, ſed Deum Creatorem per filium Chriſtum inuocari debere docent. Scripturæ à ſolo Deo peccata nobis propter filij meritũ remitti prædicant. Chriſtus Ieſus clamat: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Ioan. 14. Petrus non aliud nomen ſub cœlo hominibus datum eſſe aſſerit, per quod ſaluari queant, præterquam nomen Ie- ſu. Acto. 4. Chriſtus cultum & adorationem certis locis alligare vetat. Ioan. 4. Chriſtus hominis vires nullas eſſe, nec nos aliquid ſine ipſo poſſe, aſſerit. Ioan. 15. Chriſtus Ieſus omnes plantatio- nes non plantatas à patre ſuo eradicandas eſſe prædicit. Matth. 15. Chriſtus pseudopphetas eſſe docet, qui ipſum in ſyluis, in penetralibus, aut clauſis receptaculis, monſtrare audeant. Matth. 24. Chriſti ſpiritu præmoniti Apoſtoli dæmoniorum doctrinas eſſe clamant, quibus & matrimonio rum vſus prohibetur, & ciborum discrimina introducuntur. 1. Tim. 4. Col. 2. In ſcripturis imagi- nes illicitas & Deo exoſas eſſe, ſpiritus ſanctus acerrimè contendit. Scripturis edocemur, non proprijs operibus, ſed ſola fide in Chriſtum propter illius meritum nos iuſtificari poſſe. Apoſto- lus factioſa Paulinorum, Apollæorum, Petrinorum, & multò magis Franciſcanorum, Dominica- norum, Benedictinorum, & ſi quæ alia ſunt eius generis nomina, ab eccleſijs cijci debere monet. Attamen omnia hæc & quæcunque alia contra Romanæ ſedis & communem errorè aliquot ſe- culorum ex ſcripturis hodie traduntur, partim à ſimplicioribus & rerum imperitiſ, partim ab il- liſ ipſiſ qui eccleſiarum & verbi antiſtites haberi volunt, nouitatis, imò & hæreſeos accuſan- tur. Noua ergo, ſiquidem hoc audiamus, Moſes tradidit, & quicunque ante hunc viua Dei voce eruditi fuerunt. Noua ex ſuo cerebro prophetæ tradiderunt. Nouorum dogmatum Chriſtus Ie- ſus author fuit. Noua prædicarunt Apoſtoli, quorũ ſcriptiſ & diſertè & copioſè probari poſſunt, quæ modò diximus, omnia. Vide ergo, quiſquis eſ, quid humaniſ traditionibus debeamus, quas per annos iam ſexcentos aut quingentos egregij illi, ſi dijs placet, patres nobis obtruſere. Vetera dicuntur, quæ paucis ſeculis (nec tamen ſine contradictione) in eccleſia durauerunt. Viciffim ve- rò pro nouiſ & inauditiſ proſcribuntur, quæ à prima mundi origine in hæc vſque tempora ab o- mnibus fidiſ Dei cultoribus & credita & obſeruata fuerunt. Neminem ſanè Turcarum eſſe arbi- tror, qui nouorum dogmatum prædicatorem dicat eſſe eum, qui doctrinam Mahometiſ ex Alco- rano deſumptam proponit. At inter Chriſtianos eò cæcitatiſ deuentum eſt, vt pro veteribus non agnoſcantur, quæ ipſe Chriſtus proprio ore locutus eſt, quæ ante hunc olim prophetæ, & poſt i- pſum in cœlos aſcenſum, ex ipſius ſpiritu Apoſtoli tam prædicatione quàm ſcriptiſ tradiderunt. Eant nunc, & egregioſ ſuarum traditionum fruſtus prædicent, qui pietatem, vitæ innocentiam, & omnem Chriſti doctrinam euertant, & ex Chriſtianiſ ignaros ac cæcos hominum ſeruos faci- ant, qui nec veteres doctrinæ & fidei vetuſtate, nec nouas fugere poſſint. Diſcamus itaque ex prima hu- ius loci parte de doctrinæ & fidei vetuſtate, non ex paucis annorum centurijs ac hominum decre- tiſ iudicare, ſed ſcripturas audiamus, quæ ſalutiſ noſtræ rationè ab ipſa mundi origine deducunt.

Cæterum multos hic mouet noui fœderiſ & noui Teſtamenti appellatio, qua & ipſe Deus vti voluit. Nam apud prophetam ait: Ecce dies venient, dicit dominus, & conſummabo ſuper do- mum Iſrael, & ſuper domum Iuda, teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum, quod feci patri- bus illorum, &c. Iere. 31. Quæ verba Paulus exponens inquit: Per hoc quod dicit nouum, antiqua- uit prius. Porrò quod antiquatur & ſeneſcit, in propinquo eſt, vt euaneſcat. Hebr. 8. Ad hæc ipſe dominus & ſaluator Ieſus Chriſtus, cum in ſacroſanctâ Cœna corporiſ ſui pro nobiſ traditiſ, &

Fa lſò hodie nouiſ tatiſ accuſamur.

Noui Teſtamenti vocabulum.

fanguinis pro nobis effusi solennem & gratam commemorationem institueret, de poculo dicit: Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, &c. Matth. 26. Eadem verba autem Paulus ad hunc modum reddidit: Nouum testamentum est in sanguine meo. 1. Cor. 11. Ex his multi nos satis ineptos esse colligunt, quod euangelicæ doctrinæ vetustate ex Mose & prophetis demonstrare conemur, cum ipse Dei filius totum hoc nostræ redemptionis negotiū, cuius ipse author & executor fuit, nouum appellet. Sed respondet his in ijs quæ sequuntur, hoc modo Apostolus:

Qua ratione euangelica doctrina noua sit.

I I. Rursus, præceptum nouum scribo uobis, quod uerum est in ipso & in uobis: quia tenebræ prætereunt, & uerum lumen iam lucet. Concessionem habent hæc uerba. Fatetur enim Ioannes, præceptum, quod modo uetus esse dixerat, nouum quoque dici, sed qua ratione sic dicatur, clare indicat. Obscuritatem uero huic loco unica particula QVOD attulit. Quia enim hanc putarunt referri ad præceptum, mire sese in hac sententia explicanda torserunt. At in Græca scriptura, aliò eam referri debere patet. Quod enim nos præceptum neutro genere dicimus, Græci uero habent, quæ scemini generis uox est, cui Relatiuum neutri generis minimè respondet. At si hoc ad totum huius orationis contextum referas, mox sensus erit perspicacior. Sic enim Ioannes loquitur: Dixi me non noua, sed uetera scribere. Rursum uero, quia noui testamenti & nouæ legis uocabula uos obijcitis, illa quoque repudiare nolo, sed nouum præceptum me scribere fateor: quod uerum est, id est, quod uere à me dici potest, non quidem quoad doctrinam, sed eorum respectu circa quæ illa uersatur. His iam cohærent sequentia, quibus euangelij præcepta duplici ratione noua dici tradit: partim nimirum in ipso Christo, id est, propter Christum: partim uero in nobis, id est, propter nos. Si enim quæ de substantia & summa salutis nostræ in euangelio traduntur, confyderes, eadem sunt cum ijs, quæ ueteres scripturæ olim tradiderunt. Quod si uero ipsum Christum & nos, qui per hunc redempti sumus, inspicias, iisdem nouitatis uocabulum Dei, quod nouenire uidebis. Propter Christum enim nouum dici poterit, quia hic testamentum Dei, quod noustra culpa quasi obliteratum erat & abolitum, sui sanguinis merito instaurauit. Et ut pictura, cuius colores uetustate obscuriores facti sunt, si à perito artifice instaretur, noua diceretur ob colorum res recenter inductos, eadem tamen ob lineamenta ueteris picturæ seruata, uerè uetus est: ita Dei testamentum, quo salus nostra cõtinetur, propter Christum restauratorem nouum dicitur, cum reuera uetus sit, nec aliud comprehendat, quàm quod olim per Mosen & prophetas promissum fuit. Deinde quoad nos, uel propter nos, nouum dici potest quod traditur: quia tenebræ prætereunt, & uerum lumen iam lucet. Sunt qui per tenebras legem cum umbris & typis suis intellexerunt. Sed commodius uidetur, ut regnum illud infelix tenebrarum accipiamus, nos uero principem tenebrarum, satan, ante Christum natum oppressit. De quo Paulus loquens, per Christum à potestate tenebrarum ereptos & liberatos dicit. Col. 1. Notæ enim sunt diaboli illusiones, quibus per falsos & horrendos cultus, per mendaces oraculorum prædictiones, per effrenes libidines & omne genus flagitiorum infelices mortales multis seculis miserimè seduxit. Quibus malis, per se grauissimis, hoc multò grauius accedebat, quod in tā infelici & horrenda conditione salutem sibi homines pollicebantur. At Christus suo in mundū aduentu tenebrarū principem debellauit, tenebras discussit, & salutare cognitionis Dei lumen euangelij sui prædicatione accendit, quo illuminati homines ueram religionem sectari, uerbi diuini regulas obseruare & peccatorum laqueos cauere didicerunt: quo factum est, ut nouam omnino mundi formam inuentam fuisse uideamus. Verè ergo, quoad nos, dici potest nouum fœdus, nouum testamentum, nouas leges, nouam deniq; politiam à Deo institutam esse. Consentit his Paulus apostolus, dum ait: Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in domino. Eph. 4. Et rursum: Vos cum essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta principem cui potestas est aeris, qui est spiritus nunc agens in filijs contumacibus, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostræ, facientes quæ carni ac menti libebat, & eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus qui diues est in misericordia, &c. Eph. 2. Fortassis & hic referri debet, quod alibi noſter Apostolus, lucem Christi in tenebris luxifese dicit. Ioan. 1. Sed ex omnibus istis loci huius sensum probè notemus, qui est, noui testamenti doctrinam per se non nouam esse, sic uero dici, partim quidem propter Christum, qui salutis nostræ negotium nostra culpa obliteratum & antiquatum, instaurauit: partim uero propter nos, qui ex tenebrarum regno in lucem ueritatis asserti & per Christū regenerati, noui homines facti sumus, nouam uitam uiuimus, adeoq; totius mundi nouam formam in Christo agnoscimus.

Veteris & noui Testamenti differentia.

Obseruare hic conuenit ueteris & noui Testamenti differentiam, quæ non in substantia, sed accidentibus heret. Eadem enim utrobique fides, eadem religio spiritualis siue interna, eadem salus & salutis ratio. At in modo tradendi & tempore discrimen est. Illic enim promissiones & typi erant: nobis

nobis ipsa proponitur promissionum & typorum veritas. Illi saluatorem Christum venturū expectabant: nos eū venisse credimus, & eius aduentu nos scimus esse redemptos. At quia tā leues differentiæ rē ipsam turbare nō possunt, agnoscamus fidei & doctrinæ, quæ vtrobiq; traditur, vnitatē, & vtriusq; scripturæ libris ad nostram institutionem, cōsolationem & ædificationē vtamur.

Non oscitanter quoq; præterire conuenit, quōd nostris temporibus lucem tribuit. Facit hoc propter Christū, quem lucem gentium fore, olim prædictū erat. Isā. 42. & 49. Simul tamen & nos officij admonet. Si enim lux oblata est, nos vt filios lucis, in luce ambulare & tenebrarū opera vitare decet. Monet hoc Christus dicens: Ambulate dum lucē habetis, ne quos tenebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quō vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Ioan. 12. Et Paulus: Nox progressa est, & dies appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum & induamur arma lucis, tanquam in die compositē ambulemus, nō in cōmessationibus, &c. Rom. 13. Sed longum foret recensere quæcunq; in hanc sententiam scripturis sacris passim traduntur.

Agnoscamus ō fratres, euangelicæ doctrinæ vetustatem, dignitatem & certitudinem. Huic firmiter inhærendo vitemus omnes eos, qui hanc in dubium vocare audent. Curemus autem, ne vana eius gloriatio decepti, quæ nostri officij sunt negligamus. Si enim in ea, quæ hac docemur, reformati fuerimus, pro filijs à Deo patre agnoscemur, qui nos regni sui consortes faciet, per Iesum Christum, filium suum dilectum, saluatorem nostrum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

*Euangelium tem
pui lucis offert.*

H O M I L I A VIII.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & offendiculū in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quō eat: quia tenebræ obcæcauerūt oculos eius.

Quæcunque ad hominis officium spectant, spiritus sanctus in scripturis duobus ferè capitibus comprehendit. Primum ex his fides est, quæ vno & solo Deo per Christum Iesum institutionem complectitur, quam secundum diuinæ legis formulam dirigi oportet. De vtroque Ioannes apostolus in epistola hac diligenter agit. Ad prius enim pertinent, quæ primo Capite audivimus, vbi nos omnes peccatores esse docuit, purgari autē à peccatis & iustificari sanguine Christi, qui idem vnicus inter Deum & nos mediator existat. Alterum in plura membra diuidi potest. Nam & purificationem nostri, & vitæ innocentiam, & fraternam charitatem, & si quæ aliæ Christianorum virtutes sunt, comprehendit: de quibus singulis suo loco agetur. In præsentī verò Ioannes, occasione ex superioribus sumpta, de charitate paucis disserit, plura capite tertio & quarto dicitur. Primò enim docet, charitatem tam necessariam esse, vt frustra euangelicæ lucis cognitio ne gloriantur, quicunq; hac destituti sunt. Deinde hoc ipsum, p more suo eleganti collatione charitatis & odij explicat. Hæc, si precibus nostris benignus pater annuat, breuiter percurremus.

*Argumentū præ
sentis loci.*

I. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Cohærent hæc superioribus. Dixerat enim Ihs, qui euangelij doctrinam amplexi sunt, verum lumen lucere, & eosdē ex tenebrarum potestate esse liberatos. At si hominum mores inspicias, luce hac multos gloriari videmus, in quibus reuera adhuc tenebræ regnant: id quod tum alijs sceleribus, tum maximè fraternis odijs & inimicitijs testantur. Contra eos ergo orationem Ioannes instituit, & frustra luce gloriari dicat eos, qui opera tenebrarum nondum deseruerunt. Argumentum enim tale est. Qui tenebrarum opera faciunt, in tenebris sunt. Quicunq; verò fratres odiunt, opera tenebrarum faciunt. Ergo qui fratres odiunt, in tenebris sunt. Probari potest consequentia hæc Christi verbis, qui tenebrarum principem diabolum ab initio homicidam, & proinde humani generis osorem fuisse dicit. Ioan. 8. Et Paulus odium inter carnis opera numerat, quæ eadem cum tenebrarum operibus esse constat. Galat. 5. Sed prodest singulas huius sententiæ partes diligentius paulò expendere.

Primò ait: **Qui dicit se in luce esse, id est, qui Christi cognitione & titulo gloriatur.** Lucem ergo vocat Christi cognitionem, quæ sic dicitur, quia sine hac meræ tenebræ sunt, quicquid homo vel nouit vel facit. Tenebrosa est omnis hominum sapientia, nisi Christi cognitione illuminetur, quod & gentium philosophi & Iudæorum Rabbini suo exemplo satis demonstrant. Illi enim dum ex semetipsis Dei naturā altius cognoscere & scrutari cœperūt, in perniciosos errores et horribilē

*Christi cognitio
lux est.*

omnium flagitiorum sentinam prolapsi sunt. Rom 1. Hi verò, dum diuini verbi oraculis non contenti nouas traditiones fingere ausi sunt, cæci cæcorum duces facti, tam sibiipsis, quam sectatoribus suis, interitus causa fuere. Matth. 15. Sed quid exemplis longè petitis opus est, Te ipsum insipice, & qualis olim, priusquam Christus animo tuo irradiaret, fueris, expendito: & fateberis, palpabiles quidem fuisse illas tenebras, te verò infelicem fuisse, qui eas deprehendere non potueris. Vt enim qui Labyrintho obscuro inclusi sunt, exire quidem cupiunt, sed quorsum tendere debeant, ignorant, & modò manus, modò caput & totum corpus parietibus illidunt, modò ad filices & truncos offendunt, sæpe etiam in scrobes & foueas delabuntur: ita olim nos quidem inclusos & irretitos esse sentiebamus, viam verò liberationis & effugij nemo vidit, donec euangelij luce illata, multò longius nos à salutis via abfuisse vidimus, quàm aliquis nostrum putare poterat. Debet hæc cogitatio animis nostris frequenter occurrere, vt eò maius in nobis accendatur erga tantam Dei benignitatem gratitudinis studium.

Fratres qui sint.

Deinde cum de charitate & odio loqui velit, fratrum mentionem facit. Qui ergo fratres dicantur, inquirendum erit. Duplex autem est inter homines fraternitas. Carnalis nimirum vel naturalis, & Spiritualis. Carnalis fraternitas inter eos esse dicitur, qui ex iisdem parentibus, & eandem hæreditatem spirituales eorum est, qui vnum patrem spirituales habent, cuius leges sequuntur, & eandem hæreditatem spirituales expectant. Quoad primam, fratres sunt omnes homines, quia ex iisdem parentibus omnes originem trahunt, & omnes tandem in suum principium, terram vel puluerem, resoluuntur. Spiritualiter verò fratres sunt Christiani omnes, idè in Christo Iesu, qui ex Maria virgine homo nasci & frater noster fieri voluit. Inde est quòd quicumque in Christum credunt, vnum & eundem habent adoptionis spiritum, vnum & eundem in cælis patrem inuocant, vno & eodem baptismo initiuntur, vnam & eandem in cælis hæreditatem sibi repositam adeunt. Vide de his Ephes. 4. Quibus adde, quòd omnes illi vnus & eiusdem corporis membra sunt, sub Christo vnico capite, cuius viuifico spiritu animantur. 1. Corinth. 12. Ephes. 1. Nulla ergo fraternitas arctior vel coniunctior excogitari potest, quàm ea, quàm inter fideles in Christo pertinent, tã qui olim à prima mundi origine crediderunt, quàm qui in posterum credituri sunt. Et in Christo leuius vel liber, non mas vel scæmina, sed omnia in omnibus est Christus. Gal. 3. Docemur his, quantum peccent, qui ex semetipsis personarum discrimina fingunt, & sibi permixtum putant, alios quos vel odisse, vel saltem contempsisse: quasi verò aliquod in externis hisce discrimen tanti momenti esse possit, propter quod fraternitatis huius vinculum longè arctissimum rumpi vel negligi debeat. Stultus certè, qui fratrem, quia peregrinus est, vel odit vel contemnit, cum eundem in cælestis hæreditatis consortio ferre cogatur, nisi ipse à Deo abdicari velit. Infelix, qui ob egestatem vel conditionem minus splendidam fratres aspernatur, qui fortassis coràm Deo maioris filigèter meditemur, quæ sola omnes inuidiæ & odij scintillas in animis nostris extinguere poterit.

De odio solo loquitur Apostolus

Postremò obseruandum venit in hac sententia, quòd non ab atrocibus fratritatem hanc diximo nocetur, sed de odio duntaxat, loquitur Apostolus. Nam ait: Qui fratrem suum odit, in tenebris est vsq; adhuc. Est autem odium perpetua nocendi cupiditas, vt quidam non ineptè iram inueteratam esse dixerint. Quamuis interdum non ex ira, sed inuidiæ affectu originem sumat. Vt prius paulò diutius foueatur, nocendi cupiditatem & studium parit, ac tandem in affectu charitati planè contrarium, quem odium vocant, degenerat. Et quemadmodum cum charitate coniuncta sunt, quæcunq; fratrum commodis inferuunt, ac beneficiam exercent: ita odij comites inuidia sunt, quæcunq; proximi commodis obstare solent. Nunquam ab hoc separatur inuidia edax & liuida. Iræ feruor quoq; leuissima quaq; occasione accenditur. Parit is cum iurgijs conuicia, probra, verbera, deniq; & vulnera. Vt enim leuis scintilla in ramentis delitescens proxima primum accendit, inde latius serpendo vires subinde acquirit, & tandem in ignem apertum erumpens horribili incendio omnia longè lateq; vastat: sic odij affectus, vtcunq; contemptibilis initio, vbi animi penetrabilibus conceptus moram trahit, serpere & augeri non desinit, donec immanibus operibus contra charitatem & pacem publicam, magna cum multorum calamitate, grassetur. Exemplum huius rei euidenter extat in Caino, primo diaboli mancipio. Is enim primum leui dolore ob fratris felicitatem permouetur, cum illi suæ conditionis statum minus respondere videt. At vbi hunc non statim animo pellit, auctum maiori & nocentiori tabe serpere sentit. Quare & vultu toto concidit, fratrem nec rectis oculis intueri, nec amicè alloqui potest. Sed & hic affectus progressu temporis

Odij comites effectum.

poris in pertinax odium exit, quod nec ipsius Dei verbis curari potuit. Odij tandem fructus infelix fuit parricidium. At qui hoc ordine affectus hosce augeri & foueri, fatebuntur quicumque serant, tam paulò attentius inspexerint. Non temerè igitur Ioannes contra eos, qui fraterno odio laborant, tam grauem tulit sententiam. Fontem enim & principium omnis mali mōstrare & eundem obrurare voluit. Quòd si autem odij affectus cum Christiana professione tam pugnat, vt frustra hac glorientur, qui illud animis suis fouent, quid obsecro de illis iudicabimus, qui non contenti fratres odisse; sed odio, consultore pessimo, impulsu, fratrum famam cōuitijs vel obrectationibus lædunt, opibus eorundem insidias struunt, & ipsa corpora quoq; armis petere audent? Licet quidem illis inter deuotos huius seculi filios, vel hoc vel etiam splendidiori (si quis splendidior vspiram extaret) titulo gloriari, pro lucis tamen filijs coram Deo iudice nunquam agnoscentur. Disce ergo huius sententiæ meditationem inuidiæ & odij affectibus opponere, ne istos tanti momenti apud te esse patiaris, vt eum titulum & nomen tibi eripiant, sine quo aliquem saluari est impossibile. Sed Ioannem audiamus, qui ipse eleganti collatione sententiam hanc illustrat. Sic enim pergit:

I. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & offendiculum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Conferuntur his fraternæ charitatis & odij fructus, vt eò euidentius appareat Christiani nominis titulo frustra gloriari eos, qui odij affectum animis suis fouent. Sed priusquam collationem hanc excutiamus, voces singulas, quibus de charitate loquitur, obseruare conuenit.

Primò autè notabis, quòd de fratre dicens addit S V V M. Significat hæc vox, nostros esse, quicumque fratres dicuntur. Nostri autem sunt, quia ab eo nobis donati & commendati, cui tam in nos quàm in omnes alios ius est. At natura sic comparatum videmus, vt quæ nostra sunt, nec negligamus temere, nec à quouis perdi patiamur. Satis enim notæ sunt acres illæ de Meo & Tuo concertationes. At qui tuus est, quicumque per fidem in Christum frater Christi & cohæres factus est. Nec tamen ita tuus est, vt illum impune vel perdere, vel saltem negligere, liceat: sed vt provincia tua vel depositum tuum dicitur, quòd aliquando abs te requiret is, qui tibi istud credidit: ita tui fratres domino dante facti sunt omnes homines, qui eisdem de tuis manibus olim exiger, & se neglectum putabit, si illos neglexeris. Refutat hoc Cainorum confidentem proteruitatem, qui dicere audent: Num nos sumus custodes fratrum nostrorum? Talis utique Cain videri & esse nolebat. Audit tamen de sua manu fratris sanguinem requiri. Sed ò dementiam noscitur seculi, qua tam facilè eos negligimus, qui à tanto rege & iudice nobis, vt nostri fratres essent, donati sunt. Quo ore olim tuum fuisse negabis, quem Christus Iesus, qui necis & vitæ ius in te habet, tibi tradidit? Non equum, non bouem, non canem, non fundum, qui tuus est, negligis: & eum negligere non pudet, qui non tuus modò, sed tuus frater & cohæres est? Quanto rectius Samuel, qui Saulem, licet reprobum, suum agnouit & pro illo lachrymas fundere dignatus est? 1. Samuelis decimo, quinto & decimosexto capite. Sed & Paulus apostolus pro Iudæis, fratribus suis iuxta carnem, anathema fieri voluit, vt ipsi saluarentur. Roman. 9. Idem omnibus omnia factus est, vt multos Christo lucrifaceret. Idem animus & tibi erit, si quosuis obuios, & fratres & tuos esse cogitaueris, &c.

Deinde diligendi verbum obseruabis, quo quæcunque ad charitatem spectant comprehendit. Est enim amor siue dilectio is affectus, quo animi nostri in aliquam vel rem vel personam toti inclinant, vt ei bene esse & benefacere velint. Trahit secum illa animorum propensio omnem beneficentiam. Quia, vt infra capite tertio audiemus, misericordia viscera sibi coniuncta habet. Mouetur ergo alienæ miseriæ aspectu, & amatis nihil deesse patitur, siquidem ijs aliquo modo subuenire possit. Exhibet enim vbi opus est, externa officia omnia, dum famelicos cibant, potum præbet sitientibus, nudos vestit, ægrotos inuisit, captiuos vel alijs afflictionibus tentatos consolatur. Nec his quæ ad corpus spectant contenta, vltèrius quoque progreditur. Quia enim communem hereditatem omnibus pijs in cœlo repositam nouit, in hoc versatur vt quàm plurimos huius consortes faciat. Quoties ergo fratrem peccatorum illecebris deceptum, ceu bouem per auia cupiditatum hinc inde errare conspicit, pijs rationibus captum et ligatum, ad suum dominum, qui ipsum sanguine proprio mercatus est, reducit. Quò si eundem intolerabili peccatorum sarcina, instar aëni, oneratum & tandem desperandum succumbere videat, festinus accurrit, onus illud pijs admonitionibus consolationibusque subleuat. Exod. 23. Deuter. 22. At si nihil horum possit, condonit. Nihil ergo habebunt quo gloriantur, qui & inopiam fratrum, & morum vitæ quæ corruptio-nem sine animi dolore & siccis oculis intueri possunt. Putant illi charitatis præceptum impleri,

D

Nostri sunt, quicumque fratres sunt

Dilectio omnem beneficentiam comprehendit.

si nemini noceant, vel etiam si omnibus bene esse cupiant, & nullius famam maledicentia lædant. At nemini nocuisse nõ sufficit, nisi & omnibus pro virili profis. Arguit ergo locus hic fœdam nostræ seculi corruptionem, quæ tanta est, vt & domesticos fidei, & sanguine propinquos, imò & proprios liberos, facillè negligamus. Sed videamus tandem dilectionis & odij fructus, quos in præsentia Ioannes confert.

*Charitatis frater
ne fructus.*

Qui diligit fratrem suum in lumine manet, & offendiculum in eo non est. Lumen pro vera Christi cognitione adeoq; ipsa fide accipi, supra diximus. Quia enim Christus lux mundi est (Ioan. 1. & 8.) in lumine non sunt, nisi qui in Christo manserint: quod per fidem fit. Primus ergo charitatis fraternæ fructus est, fidei nostræ testimonium certum & infallibile, quo tam nobisipsis quàm alijs constat, nos verè fideles, verè Christianos, & Christi cohæredes esse. Pertinent huc Christi verba: In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutuam. Ioa. 13. Sed quia de hoc plura alibi dicuntur, hæc modò attigisse sufficiat.

Secundus fructus autem charitatis indicatur ab Apostolo, cum addit: Offendiculum in eo non est. Potest hoc bifariam intelligi, tam quòd offendat neminem, quàm quòd ipse non offendatur. Ab utroque enim charitatis ingenium alienissimum est. Quia enim nouit fidelis, quàm nocet at vel factò vel dictò alijs peccandi occasionem præbuisse, in omnibus actionibus suis sollicitè curat, ne quis ipsius exemplo fiat deterior. Imitatur & Pauli exemplum, qui carnibus in æternũ potius abstinere voluit, quàm offendiculo esse fratri, pro quo Christus mortuus est. 1. Cor. 8. Rursus quia charitas de omnibus bene sperat (1. Cor. 13.) non facillè aliorum factis offenditur: sed quæcumque ab alijs fiunt, in meliorem partem accipit, & operit multitudinem peccatorum, quæ à proximo committuntur. Prou. 10. 1. Pet. 4. Nam procul abest ab ijs, qui charitatis igne calent, nocens illud & inuidum suspicionis malum, quo optima quæq; calumnijs & obrektionibus arrodi solent. Quare, vt suspiciones temerariæ odij & dissensionibus fomenta ministrant: sic charitas sua facilitate & pijs dissimulationibus concordiam mutuam fouet, & si quæ incidunt dissidiõũ scintillæ, eas illico extinguit & reprimat. Quàm ergo utilis & necessaria est ad hominum vitam conseruandam vera concordia, tam vtilem & necessariam charitatem quoq; esse pronunciamus, sine qua hæc subsistere nequit. Similiter, quàm necessarium est Christiani nominis professoribus innocentie studium, tam necessaria erit charitas, quæ ne quem ipsi offendamus cauet, & obstat ne aliorum facta & dicta nos offendere possint. Opponamus nunc illi odium cum suis fructibus, vt quàm in felix sit eius seges euidenter pateat.

Odij fructus.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: qui tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Charitatis fructus duos exposuit, quorum alter fidei veritatem, alter vitæ institutionem spectat. His totidem ex odio promanantes opponit, qui & ipsi ad priora hæc genera referri debent. Primus est, quòd qui fratrem odit, in tenebris est, id est, Christi (qui solus vera & æterna lux est) cognitione & fide caret. Quia enim fidei indiuulsus comes est charitas, & per hanc fides operari solet (Galat. 5.) fide careat oportet, quicunque charitate vacuus fraterno odio cõtabescit. At quanta hominis pernicietas sit, fide destitui, omnis scriptura indicat. Paulus certè peccatum esse fatetur, quicquid sine fide fit. Rom. 14. Et idem impossibile esse dicit, vt aliquis Deo sine fide placeat. Hebr. 11. Vt enim fides Christum, & in Christo omnes scientiæ sapientiæ & bonitatis & iustitiæ diuinæ thesauros apprehendit: ita qui fide destituitur, idem & sapientiæ & bonitatis & iustitiæ Dei destituatur oportet. Rectè ergo Ioannes alterum quoque odij fructum ex prioribus suis regulam certam non habet. Quia ratione enim fieri potest, vt qui in obscuro loco sine lumine versantur, non in tenebris ambulent? At mundus hic totus caligine ignorantie tegitur, nec alia luce quàm Christo illuminari potest, quem fides apprehendit, qui quæ non in aliorum, quàm fidelium, cordibus lucere solet. In tenebris ergo perniciose caligine errant, quicunque lucem hanc nondum apprehenderunt: quales esse iam probauimus, quotquot animos odio fraterno laborantes circumgestant. Quid igitur hos aliud manere potest, quàm quòd in tenebris ambulantes manent? Nesciunt illi quò vadant, viam qua elabantur non norunt, & dum sese liberare volunt, magis implicentur. Videmus hoc in omnibus, qui odij cæcum affectum sequi solent. Sentiunt se miseros & infelices esse. Audiunt contra se propriæ conscientie testimonium, & cum Caino vident Dei fauorem in alios translatum esse. Tenebroso tamen odij affectu sic excæcantur, vt in aliorum infortunijs suam felicitatem repositam esse putent, nec se felices fieri posse credant, nisi alios ante infelices viderint. Quæ causa est, quòd ad mendacia, simulationes, fraudes, imposturas, calumnias, obrektiones, conuitia, rapinas & apertam vim conuersi, fratribus nocere student, vt his oppressis ipsi magni & præclari fiant. At toto cælo errant. Tam enim abest, vt euentum quem cupiunt

cupiunt assequantur, vt potius Dei irā magis in se prouocent, pœnas atrociores mereantur, quas tandem iusto suo iudicio dominus ab ipsis exigit. Exempla eius generis infinita sunt, sed prodest, vt singuli in se potius descendant, quā vt alienis miserijs spectandis occupentur. Non alienum tamen ab instituto fuerit, si quid Christianæ fidei & doctrinæ persecutores faciunt, cōsideremus. Hi enim quia charitatis affectum exuerunt, eō cæcitatē adducti sunt, vt nullis Christianorū supplicijs, quantumuis atrocibus, exaturari possint. Et dum sanguinem fundunt eorum, qui Christi nomen & meritum ad salutem sufficere credunt, dum tormentis exquisitis eosdem excruciant, dum laqueis suspensos enecant, dum lentis ignibus non exurunt, sed torrent, & nihil nō inhumanitatis exercent, tum se beatos & felices fore sperant, vt qui Deo cultum offerant longè gratissimum. Interim non animaduertunt, sanguinem horum de terra pro vindicta clamare, & animas eorundem sub magno altari Dei iudicium exposcere. Apocal. 7. Idem in illis cernitur, qui vbi charitatem abiecerunt, vsuris & malis artibus rem domesticam augere studēt: nec obseruant ijs rebus maledictionem constari, quæ omne gentis calamitatum secum trahit.

Tyranni persecutores.

Sed video me præsentī loco diutius, quā statueram, immoratum esse. Non tamen inutilis esse potuit mora hæc, cū satis constet, quā difficulter sibi hæc persuaderi patiatur caro nostra, si ne quibus nec fides in Christū, nec salutis ratio constare potest. Firmiter ergo teneamus o fratres Christi nomine & luce euangelica frustra gloriari eos, qui in tenebris ambulant. Ambulant verò in tenebris, quicunq; odio potius indulgere, quā charitatis studiū sectari volunt. Fugiamus ergo infelix tenebrarū regnum, ac abiecto odio charitati nos totos consecremus, vt hæc de fide nostra testimoniū ferre possit, & nos ex eorū numero esse olim deprehendamus, qui cū rege gloriæ Iesu Christo cœlestis regni hæreditatē fortientur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A IX.

Scribo uobis filioli, quod remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Scribo uobis patres, quoniam cognouistis eū, qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis illū malum. Scribo uobis pueruli, quoniam cognouistis patrem. Scripsi uobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scripsi uobis adolescentes, quoniam fortes estis, & uerbum Dei manet in uobis, & uicistis illum malum.

Quoniam mundus pro corrupto carnis ingenio euangelicæ doctrinæ lucem odit, multā comminisci solet, quibus hanc vel inuisam reddat omnibus, vel saltem in contemptum adducat. Inter alia verò duobus criminibus illam verè petit. Primò enim nouitatis accusat, quæ vt in alijs rebus grata, sic in religione nimis odiosa est, eō quod nouam inducendo maiores damna re uideatur. Deinde doctrinam hanc inutilem & superuacaneam esse persuadere conatur, & proinde indignam, cuius nomine quisquam cum alio contendat atque altercetur. Et ea quidem opinione multos hodie infectos uideamus, qui controuersiarum de religione equissimi iudices uideri uolunt. Eò autem isti homines tandem deueniunt, vt doctrinam de religione nihil ad se pertinere existiment, dum alius ætatem, alius conditionem uitæ, alius ingenium, alij alias causas prætexunt. Non temere ergo fit, quod Ioannes noster in asserenda euangelicæ doctrinæ autoritate tanta diligentia uersatur: quod etiam in præsentī loco facit, quo ad utraq; ea, quæ modò adduximus, firmis & solidis rationibus respondet. Prima enim parte summam euangelicæ doctrinæ comprehendens, se nihil tradere docet, quā quod per omnes scripturas passim traditum extet. Inde doctrinam hanc omnibus ætatibus applicat, vt sic constet, eā & senibus & iuuenibus, imò & pueris conuenire. Et quia in hac re tā senes, propter priuatæ prudentiæ fiduciam, quā iuuenes propter uementiores suæ ætatis affectus, sibiipsis plus satis permittere audent, quæ de illis dixerat, denuo repetit & inculcat. Nostrum est, à patre luminum eam gratiam pijs precibus expetere, qua doctrinam hanc non modò ad nos pertinere intelligamus, sed in eandem tota uita transformemur.

Argumentū præsentis loci.

I. Scribo uobis filioli, quod remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Filiolos uocat, vt supra renatos per Christum. Sic autē dicit: Scio doctrinā nostrā multis eo nomine inuisam esse, quod uideamur maiorum fide & religione contempta, nouam salutis rationem comminisci. At iniuriā nobis fieri, quando hac suspitione grauamur, res ipsa testatur. Quid enim aliud hucusq; docui & nūc scribo, quā quod peccata uobis remittantur propter nomen filij Dei, Iesu Christi, cui nos testi-

Doctrina Apostolica non noua est

monium ferimus? Peccatores (inquam) esse trado omnes homines, & peccatorum remissionem non suis operibus & meritis consequi, sed propter Christum, qui seipsum pro peccatis totius mundi in ara Crucis Deo patri suo victimam gratam & sufficientem obtulit. An verò primi vel soli nos sumus, qui ista docemus? An non eadem omnibus veteris testamenti libris traditur? An non ipse Dei filius de his & Moysen & prophetas scripsisse affirmat? Ioan. 5. Luc. 24. Inquisuerunt hanc salutis rationem omnes prophetæ, Christi spiritu ducti. 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. Iniquum ergo est nos nouitatis suspitione inuisos & exosos fieri, quando ad breuem hanc sententiam omnis nostra doctrina referri potest. Continetur his verbis non excusatio modò & apologia, verum etiam summa & compendium totius doctrinæ apostolicæ: quare singula verba penitus inspexisse proderit.

Omnes homines peccatores sunt.

Primò ait: Remittuntur vobis peccata. Loquitur autem non de gentibus à fide adhuc alienis, sed de fidelibus qui iam per Christum renati erant, & proinde filioli ab ipso nominantur. Fateatur itaq; in Christianis peccata adhuc superesse, quæ remissionem postulant. Quòd si peccatis adhuc grauantur Christiani & Dei filij, quid de ijs dicemus, qui per fidem Christo nondum infiti sunt? Firmisimè ergo stabilitur hoc loco dogma, quo omnes homines pro corruptæ naturæ ingenio peccatores esse traduntur: in cuius demonstratione crebrò versatur scriptura, eò quòd cognitio hæc homini cum primis necessaria sit. Nisi enim hæc adsit, vel securi de medico & medicina animarum nihil cogitamus, vel nostrarum virium & meritorum fiducia insolenter efferimur. Vtrumq; verò certum affert animabus nostris periculum. Celebres ergo sunt in scripturis sanctorum voces, quibus se peccauisse fatentur, & orant ne iudicio cum ipsis contendere Deus velit.

Modus & ratio salutis.

Deinde remedium quoque ostendit & exhibet Ioannes, quo nobis succurritur. Peccata (inquit) remittuntur vobis propter nomen ipsius. Remittendi verbum nobis omnem satisfactionis gloriâ eripit. Est enim metaphora à creditoribus & debitoribus sumpta, quâ ipse Christus in euangelio explicat. Matth. 18. Remittuntur debita ijs, qui soluendo non sunt. Cum igitur & nobis peccati debita remittat Deus, satis euidenti argumento probat, nihil in nobis esse, per quod iustitiæ ipsius satisfieri possit. Hoc ipsum alibi per delendi verbum exprimit, cum apud prophetam ait: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas. Isa. 43. Et rursum: Ego deleui transgressiones tuas vt densas nebulas, & vt nubem peccata tua. Isa. 44. Possunt eodè & aliæ allegoriæ referri, vt cù Dauid nos peccatis exonerari, peccatum tegi, vel etiam non imputari dicit. Psal. 32. Siquidem omnia ea gratuita remissionem siue cõdonationem significant. Quem enim tam forte & validum dabis, qui suis viribus damnationis sarcinam, quæ diuinæ iustitiæ legibus nobis imposita est, excutiat? Quis item peccata Deum celabit, qui & corda & renes scrutatur, cum ea rarissimè homines celare possimus? Vel quis sua autoritate efficiet, ne ipsi imputetur & vt debitum exigatur, quod contra Dei leges ab ipso commissum est? Vt ergo primus in iustificationis doctrina gradus est, nostræ corruptionis notitia: sic secundo loco, nobis mera Dei gratia peccatorum remissionem obtinere, nouisse oportet.

Propter Christum salus obtingit.

At quia Deum non misericordem modò, sed & iustum & seuerum peccati vindicem esse cõstat, causam aliquam esse oportet, propter quam peccata nobis remittat, quæ si in nobis non est, certè alibi eam inuenire opus erit, vt vel aliquo modo ad nos pertingat. Et cauendum, ne Dei gratiam sic asseramus, vt iustitia eiusdem, qua totum orbem regit & tuetur, extingatur. Exprimit ergo causam hanc Apostolus, cum ait: Remittuntur vobis peccata PROPTER NOME N E I V S. De Christo autem loquitur, vt primo capite & initio secundi vidimus. Quia enim is humana carne assumpta frater noster factus est, nostræ causæ patronus & vindex iure fieri potuit. Hanc ergo omnem in se transtulit, peccata totius mundi sibi imputari voluit, & pro ipse in Crucem immolatus satisfecit, deletò, quod aduersus nos erat, chirographo, & illud sustulit è medio affixum Crucis. Col. 2. Ideo propheta dicit: Dominus effecit, vt incurreret in ipsum omniū nostrarum iniquitas. Propter transgressiones nostras vulneratus est, & attritus propter iniquitates nostras. Et multa correctionis nostræ ei imposita est, &c. Isa. 53. Verè ergo Ioannes dicit, propter Christi nomen peccata nobis remitti, cum is sit, qui pro illis satisfacere dignatus est. Consentunt cum hac doctrina locupletissimi testes, quos passim scriptura citat. Apud prophetam loco supra citato Deus clamat: Ego sum, qui deleo transgressiones tuas, idque propter me. Isa. 43. Per seipsum verò Christum Iesum intelligit, qui patri consubstantialis & coæternus est. Idem in euangelio celebrissimam illam vocem bis repetit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Matth. 3. & 17. Baptista Christum digito monstrans: Ecce (inquit) agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioannis 1. Similiter ipse Christus omnes laborantes & oneratos ad se inuitat, & in se illis requiem fore pollicetur. Matth. 11. Apostolorum omniū hæc vna vox est, in solo Christo peccatorum remissionem & salutem contineri. Petrus enim hunc dicit in corpore suo peccata nostra pertulisse.

perulisse. 1. Pet. 2. Idem aliud nomen sub cœlo hominibus datum esse negat, in quo possint salui fieri, præter nomen Iesu. Acto. 4. Paulus Christum Iesum in mundum venisse scribit, vt peccatores saluos faceret. 1. Tim. 1. Idem nihil se nouisse fatetur, præter Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. Sed quid opus est testimonijs recensendis immorari, cum nullus vel veteris vel noui Testamenti liber sit, qui non multa huius farinae contineat? Patet ergo verissimam esse Ioannis sententiam, qua prædicationem Christi à nouitatis suspitione liberat. Cæterum vt hæc insolentem nostrarum satisfactionum fiduciam deprimunt: ita officij quoque nos admonent. Quia enim cum esse videmus peccati atrocitatem, vt non nisi Christi morte expiari potuerit, nemo negabit, ardenti & vigilanti puritatis ac sanctimonix studio opus esse ijs, quicunq; in Dei conspectu versari cupiunt: nec putandum est, Christum ideo sanguinem suum fudisse, vt nobis impurè viuendi licentiam impetraret. Pertinent huc quæ habentur Rom. 6. 1. Corinth. 6. 1. Thessalon. 4. Coloss. 3. Tit. 3. &c. Sed transeamus ad alteram huius loci partem, qua euangelij doctrinam omnibus ætatibus conuenire probat.

Christi satisfactio nos officij admonet.

I. Scribo uobis patres, quia cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis illum malum. Scribo uobis pueruli, quoniam cognouistis patrem. Tribus ætatibus omne hominum genus comprehendit. Nam cuiuscunq; sint sexus, conditionis siue ordinis, aut pueri sunt, aut adolescentes, aut senes. Singulis uero prædicationem hanc conuenire docet, eò quòd singuli ex ea discant, quòd ætati ipsorum non utile modò, sed & necessarium est. Exordium à senibus facit, quibus vitium hoc natura inhæret, vt docentes impatientius ferant. Quia enim cum senili prudentia multorum annorum experientiam coniunxerunt, turpe putant, si alijs sese docendos præbeant. Dicit ergo: Scribo uobis patres, id est, ad uos pertinet ò senes, doctrina hæc. Causa subiicitur: Quia ex hac eum agnoscitis, qui ab initio est. Quasi dicat: Multa quidem fert ætas, & de multis inuenit diutina rerum experientia. Sed in salutis causa nihil illi deferendum est. Hæc enim in uiginti Dei filio Iesu Christo consistit, qui non tempore cœpit, sed ab æterno est, & in prima mundi origine humani generis redemptor & saluator promissus est. Tradit hunc euangelij doctrinam, qua explicatur, vt quæ olim prædicta fuerunt, per hunc impleta sint & præstita. Si ergo rerum uetustissimarum cognitio delectat, euangelium audite, & ex hoc Christum discite, cuius notitia nõ inani modò uoluptate pascit, sed æternæ salutis ministra est. Vtinam hæc sententia senum animis esset commendatissima, qui vt præ cæteris sapere uideantur, cum Terentiano sene sua narrant facinoræ, quæ olim iuuenilibus cupiditatibus excæcati patrauerunt: quasi ex illis uirtutis documenta, & non potius scelerum irritamenta, decerpiti possint. Sic enim sit, vt nec ipsi de olim commissis flagitijs dignam pœnitentiam agant, & iunioribus eadè audendi animũ faciant. Discant ergo ad se pertinere euangelij doctrinam, ex qua filij Dei Iesu Christi cognitionem hauriãt, & eidem, quicquid uite tempus reliquum est, consecrare discant. Monet idè Paulus apostolus, qui senes uult sobrios esse, graues, modestos, sanos fide, charitate & patientia. Tit. 2. Imitetur Simeonem, qui Christum puerum in ulnis suscipere & amplecti meruit. De hoc enim Lucas testatur, quòd cū iustus ac pius esset, consolationem Israelis, id est, promissum orbis saluatorem ac fidelem populi Dei liberatorem expectarit, quòd non aliud fuit, quàm in eius cognitione versari, quem Ioannes hoc loco ab initio fuisse fatetur. At si nostri seculi senes inspicias, ita pleriq; uiuunt, quasi mensuram libidinis iam demum implere uelint, & Christi cognitionem nihil ad se pertinere existiment.

Euangelij omnibus hominibus conuenit.

Senes.

Euangelij certitudo.

Interim de certitudine euangelicæ doctrinæ hic locus admonet. Si enim Christus ab initio fuit, nec mutatur, sed vnus & idem est heri & hodie & usq; in secula, (Heb. 13.) certam & infallibilem esse oportet fidem & religionem, quæ illo nititur. Porro, vt doctrinam hanc adolescentibus conuenire doceat, uideamus.

Adolescentes.

Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis illum malum. Adolescentum siue iuuenum hoc ferè ingenium est, vt corporis robore & animi fortitudine elati, nil nisi pugnas & uictorias spirent. Quare eos tantum libenter audiunt, qui de his differere consueuerunt. Dicit ergo Ioannes: Licet ad se pertineret dixerim doctrinam hanc, qui iã otio & pace gaudent, eadem tamen non minus uobis seruit ò iuuenes, quos inter pugnas & certamina corporis & animi vires ostentare iuuat. Causa in promptu est: Quoniam uicistis illum malum. Uicistis uero ait pro uincetis, & præterito uti maluit (qui scripturæ sacræ mos est uisitatissimus) quò certitudinem & ueritatem sui dicti melius exprimeret. Docet ergo, in euangelij doctrina pugnam longè pulcherrimam nobis proponi, & uictoriam sperari non gloriosam modò, sed & ex omni parte felicem. Constat enim, humani generis hostem improbissimum esse satanam, qui quia nil nisi malum nouit & operatur, meritò ille malus dicitur. Solet is circuire ut Leo rugiens, & subinde quærit quem deuoret. 1. Petr. 5. Nec uisibilibus armis pugnat, nec corpus modò nostrum impetit. Sed animis & cogitationibus nostris sese

insinuans, ad ea nos sollicitat, quæ nobis æterni interitus & damnationis causa sunt, & plerunque in hoc seculo quoque infelicissimos reddunt. Huius enim suggestione fit, quod Dei & verbi ipsius obliti, exemplum mundi potius, quam salutis viam in scripturis propositam sequi malimus. Illo instigante verbo Dei contradicimus, nomē Dei sanctū blasphemio ore profcindimus, scortamur, mœchamur, cædes cōmittimus, proximi fortunam furto, rapinis, v. s. i. a. alijsq; artibus illicitis nobis vendicamus: Deniq; huius suafu fit, vt nostra sponte peccati dominio nos ipsos subijciamus, quæ seruitus, vt carni iucūda est, ita omnibus modis infelices facit quicunq; illam seruiunt. Peccati enim stipendium mors est. Rom. 5. Nulla igitur pugna tā necessaria homini, quam quæ contra hūc hostē suscipitur. Nulla victoria tā felix & læta, quam quæ ab hoste tam improbo reportatur. Nec enim friuola huius mundi gloria & spolijs breui perituris decoratur, sed angelorū applausus sentit, triumphos in Dei conspectu lætos ducit, & æternæ vitæ præmijs compensatur. Hæc victoria multos ex Dei cultoribus longè celeberrimos fecit, cum ex hac apud posteros maiorem laudem referat, quam vlli Alexandri, Scipiones, Marcelli, Cæfares ex sanguinolentis prælijs & gentibus sub iugatis retulerint. Celebratur quidem in prophanis scriptoribus Alexandri cōtinentia, qui Darij vxore & filiabus, cum captiuæ in suam venissent potestatem, abstinerit. At quā parum solida fuerit ista cōtinentia, quā laudis studium potius, quā vera pietas extorquebat, multa eius facinora alia testantur, & ipse nimis apertè prodidit, quando Persicas puellas oculorum dolores esse dicebat. At qui Christi spiritu animati vincunt, ipsis simul affectibus superiores fiunt, nec vllō vel oculorum vel aliorum sensuum dolore tanguntur, quos iam pridem per fidei obedientiam subegerunt: & ita victoriam reportant, quæ ipsis non apud homines modò, verum etiam apud Deum laudem parit immortalem. Hac potius Ioseph libidinis malum, quod ferè iuuenibus indomitum videtur, deuicit, & coronam retulit immarcescibile. Gen. 39. Hac ipsa Dauid vindictæ cupiditatem repressit, cum Sauli, aperto hosti, potius parcere, quā manus suas sanguine regis diuinitus vncti polluere maluit. 1. Sam. 24. & 25. Pro hac pugnarunt olim martyres, quos nullus tormentorum dolor, nulla carnificum sæuities, nullæ tyrannorum minæ, nulla hominum ingratorum aspectus superare potuit, quò minus pro Christo pulcherrimam mortem subire, & deuictò mundi principe, palmam æternam ac verè nobilem assequi cuperent. Nihil ergo habent quod de euangelij doctrina conquerantur, qui non otio, sed labore, non pace sed pugnis gaudent. Docentur enim nisi Christo auspice vincamus, salui fieri non possumus.

Euangelium non fouet otium.

Admonet itaq; locus hic, quā errent, qui euangelium eo nomine amplectuntur, quòd otio & quiete se frui posse sperant, cum pugnae indefinentes fidelibus propositæ sint. Non potest cum illis conuenire mundus, cuius opera mala sunt & lucem veritatis fugiunt. Ioannis 3. & 15. Sed quid de mundo dico, non cum propria carne & sanguine conueniet tibi, vt primum Christi causa sequi cœperis. Armemur ergo spiritali armatura, cingamur baltheo veritatis, induamur thorace iustitiæ, calceati curramus in euangelio pacis, scutum fidei ignitis tentationum iaculis opponamus, galea salutaris tegamur, & gladium spiritus indefinenter vibremus, & successu fruamur felicissimo. Ephes. sexto. At omisis adolescentibus, Ioannes doctrinam suam puerili etiam ætati applicat.

Pueri.

Scribo uobis pueruli, quoniam cognouistis patrem. Puerorum ea conditio est, vt alieno regimine & moderamine opus habeant. Quia enim per ætatem ratione minus firma & rudi adhuc præditi sunt, sua commoda nec ipsi prospicere, nec incommoda cauere possunt. Nisi ergo vel parentes, ex quibus geniti sunt, vel alios parentum loco fidos magistros & tutores habeant, facilè mala incurrunr grauisima. Euangelium ergo illis quā maximè conuenire dicit, eò quòd per hoc in eius cognitionem perducantur, qui vnicus & verè fidelis omnium nostrūm pater est, qui quos semel in suam tutelā susceptos adoptauit, nūquam suo vel auxilio vel consilio destituere solet. Verè enim apud prophetā ait: Num obliuioni tradit mulier infantem suum, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto obliuiscatur illa, ego tamen tui non obliuiscar. Isa. 49. Prospicit autem salutē promouēt. Nam vt victum suppeditat, tuetur & conseruat inter quotidiana pericula: sic spiritu suo animos illuminat, verbo suo docet, consolatur, mouet, hortatur, corrigit, & in via salutis æternæ dirigit. Extant etiam exempla, quibus probare voluit, quanta illi de pueris cura sit. Iacobum in vtero materno delitescens se curare testatur, & eidem primatum ac primogenituræ prerogatiuam decernit. Genes. vigesimo quinto. Iosephum puerum adhuc prophetico spiritu instruit, & solertem facit somniorum interpretem. Genes. 37. 40. & 41. Mosē quoque Nili fluctibus expositum hostili

hostili opera saluat, per filiam nimirum tyranni, qui tanti mali author fuerat. Exo. 2. Pertinent huc, quæ de Samuele, Daniele & alijs habentur, quæ satis declarant, Deum puerilis ætatis patrem & tutorem esse fidelissimum. Qui hoc patre uti norunt, illis non parentum præmaturi obitus, non hæredipetarum iniuste artes, non corrupta institutio, non praua cõmercia obesse poterunt: eò quòd ab omnibus istis clementissimus ille pater asserit. At hunc nobis patrem esse factum, non aliunde quam ex euangelij doctrina discimus. Hæc igitur omnibus pulchre cõuenit, quicumq; patris regimine, disciplina & protectione opus habent, quo in loco cõprimis puerilem ætatem esse cõstat.

Docentur hoc loco parentes, quæ ipsorum circa liberorum educationem potissima cura esse debeat: hæc nimirum, ut illos Deum patrem à teneris agnoscere discant. Nam quo semel est imbuta recès seruabit odorem Testa diu. Cerei sunt puerorum animi, & facillè illis quod lubet, inscribitur. Hoc ipsum verò vsu & consuetudine cõfirmatum ita hæret, ut ex adamantina tabella citius aliquid expunxeris, quam ex hominũ cordibus euellas, cuius à pueris assueuerunt. Hinc Deum peculiararia de hac re præcepta dedisse videmus, quæ extant tum alibi, tum Deut. 6. Exo. 13. Psal. 78. &c. Et exempla sunt verè fidelium, quos magno studio in hoc incubuisse legimus, ut liberos in Dei cognitione & fide probè institutos haberent. In Abrahamo certè, patre credentium, hoc ipsum Deus commèdat, & ideo pœnam Sodomis imminuentem illi ceu intimo amico reuelare dignatur. Nam scio (inquit) quòd mandaturus sit filijs suis & domui suæ post se, ut custodiant viam domini, &c. Gen. 18. Hæc cura si omnium parentum animis insideret, iuuentutem sanctius institutam haberemus, & felicius succederent quæcunque ab illis vel priuatim vel publicè instituuntur. At quia suo se officio probè defunctos putant, si opibus congerendis inuigilent, si patrimonia amplaliberis relinquant, si de coniugijs opulentis & splendidis prospiciant, nihil interim de fide liberorum & religione solliciti: permittit quidem Deus, ut ad tempus succedat quod instituunt, at tandem horrendis immisis casibus probat, quàm vana sint hæc omnia, nec quicquam profint, nisi ipso patre & tutore vtamur.

Porrò priusquam ab hoc loco discedamus, illorum tyrannis producenda & confutanda est, quæ omnes ferè hominum ordines à lætione scripturarũ arcent, quibus doctrina hæc traditur. Pericululum enim esse aiunt, ne imperiti & rudes ex his falsa dogmata haurientes hæresibus pecciferis implicentur. Improbum & malignum hominum genus, qui scripturis adeoq; spiritui sancto imputare audent, cuius ipsi authores sunt. Quia enim ipsi, cum ecclesiarum antistites haberi velint, docendi officium vel omnino negligunt, vel loco verbi Dei hominũ traditiones docent, & saniorum doctrinæ locũ omnino negant, sit ut imperiti homines, dum nec illis tutò credere, nec ex semet ipsis meliora videre possunt, varijs cogitationibus immerfi in nouos & absurdos errores demergantur. Quòd si ipsi doctores veritatis sinceri & fideles fuerint, populum ad scripturas sacras reuegiauerint, & easdem exposuerint publicè, ut par est, breui sentient, euangelicæ doctrinæ mysteria, non humana modò philosophia turgidis, sed omnium ordinum hominibus, senibus, iuuenibus, pueris, foeminis & viris conuenire: imò hunc esse Dei morem, ut ea coram sapientibus huius mundi absconsa paruulis reuelet. Matth. 11. Sed ad reliqua pergamus.

III. Scripsi uobis patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scripsi uobis adolescentes, quoniam fortes estis, & uerbum Dei manet in uobis, & uicistis illum malum. Repetit quæ de senibus & adolescentibus dixerat, quò minus de certitudine eorum, quæ dicta sunt, dubitemus. Indicat enim prioris membri repetitio indubitatum esse euangelij ueritatem, & ab omni nouitatis suspitione alienissimam. Alterum verò membrum, quo de iuuenibus agit, doctrinam consolationi coniunctam habet. Quia enim pugnam illis proposuit, poterant aliqui illius metu succumbere, cum experientia doceat, quàm grauis & plena periculi res sit, cum hoste tam crudeli & versipelle cõgredimur. Animum ergo illis addens, inquit: Fortes estis, & uerbum Dei manet in uobis, & uicistis illum malum. Habent uerba hæc rationes tres, quibus confirmentur. Primam ab ætatis huius ingenio desumit, quòd est fortem esse & in periculis subeundis imperterritum. Quo fit, ut iuuenes interdum periculis sua sponte, nec magnam ob causam, sese obijciant. Quomò magis ergo hic pugnare & periclitari decet, ubi ignauia sempiternum affert interitum? Secundò, auxilium monstrat, quo adhuri, pugna huius periculum sustinere possint. Verbum Dei (inquit) in uobis manet. Habet sua arma Satan, quibus infirmam carnem territat. Sed qui Christo sunt insiti, gladium habent huic hosti formidabile planè, Verbum Dei scilicet, quòd & technas illius patefacit & tela infringit, & pugnam di modum felicissimum monstrat. Idem animat & roborat, ut qui ex sese nihil poterant, omnia possint in Christo, Philip. 4. Hoc qui cordibus suis impressum habent, in omnem euentum parati, nullis uel laboribus, uel periculis succumbunt. Tertiò ab antea actis ratiocinatur, dicens: Uicistis illum malum. Non iam demum vincendus erit hostis ille, sed iam olim deuictus est. Uicistis illum malum.

De educatione puerorum.

Contra eos qui scripturarum lætione nem prohibent.

Repetitionis causa & usus.

C A P V T I I.

hunc Christus, promissum illud semen mulieris, & caput eius contriuit. Gen. 3. Quæ victoria vestra est, cum hic caput vestrum sit, vosque membra sua agnoscat. Quod ergo pugnas nouas ciet, non ea spe facit, quasi quicquam contra electos possit efficere, sed ingenij sui improbitati indulget, & permittit hoc illi Deus, quò sanctorum virtus, pugnis exercita, magis elucescat. Quare cum iuuentus per se intrepida sit, & verbum Dei indefinenter vos animet, cumque hoste vobis res sit, quem & Christus olim vicit, & qua ratione vinci debeat docuit, posito timore strenuos vos præbere sub tanti ducis auspicijs milites. Videmus hoc loco fratres, vnde vires nobis suppetant contra salutis nostræ hostem Satanam. Ex Christo nimirum, si illi per fidem inferti verbo illius animemur. Is enim inuicta illa petra est, cui portæ inferorum non prævalent. Matth. 16.

Docuit hucusque Ioannes Apostolus, quàm veneranda euangelicæ doctrinæ vetustas, & vtræque dem omnibus ætatibus ac omnium ordinum hominibus non vtilis modò, sed & necessaria sit. Accendat ista in nobis verbi studiù, vt huius cognitione instructi, hostem salutis vincere possimus, & sub Dei patris tutela securi viuamus, vsque in eum diem, quâdo cum Christo capite nostro regnabimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X.

Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum.

VT mundus pro corrupto suo ingenio euangelicæ doctrinæ lucem odisse solet: ita si quando hanc recepisse & amplecti videtur, ferè sub eius prætextu carnis licentiam & peccandi impunitatem querit. Exempla sunt, quibus hoc probari poterat, non modò nostri seculi hominù, sed Apostolorum temporibus idem accidisse, ipsorum scripta abunde docet. Magna ergo prudentia & circumspectione Ioannes apostolus doctrinam salutis per Christum partæ proponit. Nam de Christi merito, de redemptionis & fidei nostræ mysterijs ita differit, vt subinde verè fidelium officia & vitæ Christianæ rationem simul commendet. Vidimus id nuper in ijs, quæ verba modò prælecta præcesserunt. Cum enim euangelij doctrinam singulis hominù ætatibus applicaret, quæ de iuuentute dixerat, repetit, docens hac nos præparari, & instrui ad pugnam, quæ omnes homines manet, siquidem fidei laudem & coronam referre velint. Excudit hoc modo pestilentem carnis nostræ socordiam, quæ dum otio & quieti suæ indulget, improbis Satanæ tentationibus se totam exponit, quibus succumbens salutis iacturam facit nulla arte reparabilem. Cæterum, quia in pugna ista plurimum nobis obstat mundus hic, cuius splendore & blanditijs caro nostra facile capitur, Ioannes inde occasione sumpta aduersus mundi studiù sermonè dirigit, prima quidem præcipiens quid pijs facere debeât, mox vero præceptù suum firmissimis rationibus cõmendans.

Argumentũ præsentis loci.

Mundus.

I. Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Variè sumitur mundi vocabulum. Aliquando machinam hanc orbis totius, cœlum videlicet, terram & maria cum omnibus quæ his continentur, significat. Interdum verò pro negotijs vsurpatur, quæ dum in hoc mundo viuimus, nobis sunt obeunda. Sic enim Paulus, cum exposuisset ea, quibus ferè in præsentia vita occupantur homines, subiicit: Præterit figura vel habitus mundi huius, &c. 1. Cor. 7. Plerumque tamen, quando pijs & fidelibus opponitur, pro impijs & alienis à religione accipitur, quos alio nomine filios huius seculi scriptura vocat. Hoc sensu Christus dicit, lucem in mundum venisse, mundum verò magis dilexisse tenebras quàm lucem, eò quòd opera eius praua sunt. Ioan. 3. Et alibi spiritum suum discipulis pollicetur, quem mundus non possit accipere. Ioan. 14. Potest autem Ioannis præceptù ad omnes significationes hæc accommodari. Est enim Christiani homines, ne mundi huius machinam visibilem aliter diligat, quàm vt eius contemplatione in cognitionem Creatoris Dei perducatur. Si enim in ea hæreret nimium, ad eundem cum gentibus scopulum impingit, qui quod Creatori tribuendum erat, Creaturis tribuerit. Rom. 1. Maxime tamen ad mundi studia, & homines mundanos, vel seculi huius filios, præceptum hoc referri debet: quia vtraque pijs etiã plurimum negotij facere solent. Quia enim mundi studia eiusmodi ferè sunt, vt in ijs in vniuersum abstinere nemo possit.

Mundi machina.

Mundi studia.

possit, cum ad præsentis vitæ conuersationem necessaria sint, facillè illorum dulcedine irretimur, nisi illis in domino vtamur. Sic multis coniugium obfuisse constat, rem alioquin salutarem & necessariam, eò quòd cæco amoris affectu decepti, diuinæ gloriæ studium in vniuersum abiecerunt. Plurimos etiam cibus & potus perdit, dum gulæ potius & crapulæ quàm naturæ inferuunt. Alij circa cõtractus salutis iacturâ faciunt, dum auaritia capti, insatiabile habendi studium sectantur. Eadem opum ratio est, honorum, amicitiarum, fœderum, valetudinis bonæ, licitarum voluntatum, & si quæ alia in huius vitæ curriculo nobis vsurpanda obueniunt. Deniq; nullum vitæ institutum est, quod nõ exitio nobis esse possit, nisi diuini verbi regulam secuti, in omnibus Dei gloriam & proximi salutem quæsiuerimus. Monet ergo Ioannes, ne diligamus mundi studia, id est, ne totos nos illis consecremus, sed iuxta Pauli præceptum, meminerimus tempus cõtractum esse, & proinde qui vxores habent, sint tanquam non habentes: & qui plorât, sint quasi non plorant: qui gaudent, sint tanquã non gaudeant: qui emunt, sint quasi nõ possideant: & qui vtuntur hoc mundo, sint tanquã non vtantur. I. Cor. 7. Præcipuè tamen circa amicitias filiorû huius seculi præceptum hoc diligenter expendere oportet. Nec enim aliud est, quo facilius homines corrumpi possint, quàm exempla eorum, quibus cum viuimus: eò quòd corruptâ carnis naturâ quæuis occasio mali, vtcûq; in speciem leuicula, facillè incendit. Et corrumpunt mores bonos colloquia praua, quæ à malorû commercijs abesse non possunt. I. Cor. 15. Eò autem grauius est periculum, quòd plura sunt, quæ amicitias eiusmodi nobis commendant. In mundo enim sunt, opum splendor, gloriæ maiestas, amicitiarum præsidia, verborû blandities, voluptatum omnis generis illecebræ, viatoriarum, triumphorum, & infinita alia, quæ singula mille modis hominû animos inescare, & à Dei commercio abstrahere possunt. Accedit his, quòd multi charitatis legem prætexunt, quasi ab hac alienum sit, eorum amicitias & conuersationem aspernari, qui in fide & religione à nobis dissentiuunt. Et sanè artificiosos & insignes charitatis præcones hodie audire licet, qui cum in contractibus, in matrimoniorû religione, in hæreditatibus appetendis, deniq; in omnibus quæ dicunt atq; faciunt, ardore vincere videntur, quando cum palàm impijs, vel priuati commodi vel etiã voluptatis causa, commercium instituunt. Clamat igitur Ioannes: Ne diligatis mundû. Quasi dicat: Nolo vos charitatis legem prætexere, quæ nõ eò extenditur, vt impios huius seculi filios tuæ vtilitatis gratia diligas, & eorum amicitijs delecteris. Christiana charitas exigitur, quæ non nisi inter eos esse potest, qui Christum norunt, & Christo inserti sunt. Nobis amicus esse non debet, quicumq; Dei inimicus est. Et amicitia huius mundi, inimicitia est cum Deo. Iac. 4. Nec est, quòd religionis studiû prætexas. Alijs enim medijs plantatur veri Dei cognitio & cultus, quàm coniugijs, comestitionibus, voluptatum exercitijs, quæ ferè commerciorum eiusmodi præcipuæ causæ sunt. Imò potius euenire solet, vt piorum fides euertatur, religionis studiû extinguatur, & in pietate languere incipiant, qui antea satis feruidi videbantur. Exempla sunt in primi mundi fidelibus, qui cû filias hominum vxores ducerent, eò impietatis cû tota sua prole delapsi sunt, vt horribilem diluuij potnam mererentur. Gen. 6. Quantum Loto obfuerit gentis Sodomiticæ cõuersatio, extremæ inter illos noctis periculum, & incestæ filiarum nuptiæ, satis testantur. Gen. 19. Israelitas in Aegypto superstitionis semina imbibisse, vitulus, in deserto contra Dei præceptû erectus, indicat. Exo. 32. Illis ipsi Moabiticarum fœminarum conuersatio idololatriæ, & tandem funestæ cladis causa fuit. Num. 25. Samsonem virorum fortissimum Palæstini amores perdiderunt. Iud. 14. & 16. Sed & Solomon mortalium sapientissimus, coniugijs exterarum deceptus, idololatriæ causam præbuit & excelsorum superstitionem inuexit, quæ nullis vnquam reformationibus tolli potuit. 3. Reg. 11. Non temere igitur factum est, quòd & olim in lege dominus peculiaria præcepta de vitandis impiorum commercijs tradidit, & eadem tum hoc loco, tum alibi repetuntur. Sed rationes, quibus Ioannes noster vtitur, videamus.

II. Si quis diligit mundû, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorû, & fastus uitæ, non est ex patre, sed ex mûdo est. Et mundus trãsit, & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Diligens est in reddenda præcepti sui ratione spiritus sanctus, eò quòd magnam diligentiam exigit nostra corruptio. Sunt autem rationes duæ, quibus mundi huius dilectionem siue studium dissuadet: quarum prior docet, hoc ab ingenio filiorum Dei adeoque natura & proprietate Christianorum esse alienissimum: altera verò hoc ipsum vanum, friuolum, imò perniciosum esse demonstrat. Prior est: Qui diligit mundum, in eo non est charitas patris, id est, Deum patrem non amat, Deo non fidit, & proinde nec Dei filius, nec Christianus, siue fidelis, dici potest. Qui enim Dei filius est, Deum patrem amat, & sic quidè, vt nihil in rerû natura sit, quod ipsum à Dei dilectione possit abstrahere,

Mundi animo.

Mundi studiû pugnât cû pietate.

Rom. 8. Videtur autem sententiam hanc ex Christi verbis desumpsisse Apostolus, qui in euangelio ait: Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim hunc habebit odio, & alterum diliger: aut huic adhaerebit, & alterum negliget. Nō potestis Deo seruire & Mammonæ. Matth. 6. Quia enim inter Deum & mundi huius principem amicitia nulla est, Dei amicus esse non poterit, qui mundi studijs delectatur. Probat verò priorem hanc præcepti sui rationem euumeratione studiorum huius mundi, quæ tribus generibus comprehendit. Ait enim: Quoniam omne quod est in mūdo, veluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorū, & fastus vitæ, nō est ex patre, sed ex mundo est. Argumentum tale videtur: Quisquis quæ non sunt ex Deo patre, diligit, in eo non est charitas Dei. At qui mundum diligit, ea amat quæ ex patre non sunt: qualia sunt concupiscentia oculorum & vitæ fastus. Quisquis ergo mundum diligit, à Dei dilectione alienus sit oportet. Cōstat itaq; mūdū cum studijs suis minimè diligi debere ab alijs, qui Dei filij & caltores haberi volūt.

Mundi studia
quæ sint?
Concupiscentia
carnis.

Concupiscentia
oculorum.

Fastus vitæ.

Nostrisæculi mo-
res.

Mundi studiū u-
num & inutile.

Porro obseruanda hic nobis veniunt mūdi studia, vt his cognitis de nostri seculi hominibus iudicare possimus. Tria (vt diximus) illi tribuit. Primum est Cōcupiscentia carnis, qua in natam omnibus nobis naturæ nostræ corruptionem intelligit. Propriū enim carni est, quod sua quærit, sibi bene esse vult, nulla interim vel gloriæ Dei vel salutis proximi ratione habita. Parit corrupta hæc natura effectus siue opera sibi conformia, quæ concupiscentiam oculorū vocat. Vt enim ignis scintillula delitescit quidem interdum, sed mox materia oblata idonea, sese diffundit & vires exerit: ita latet in carne nostra affectuū corruptio, & ita interdum latet, vt nec ipsi hos satis obseruamus: at vbi oculis nostris alijsq; sensibus externis obijcitur quod illos excitet, illico quasi euigilare & æstuari incipiunt. Sic qui natura ad libidinem pronus est, visa formæ præstantis muliere, affectum libidinis quasi sulphure obiecto inflammari sentit, vt cum poeta dicat: Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Ita auarus pecunia visa habendi cupidinem in se vehementiorem sentit. Iracūduus eò magis furit, quò proprius eum viderit, qui iræ causam præbuit. Similiter qui odio & inuidia laborant, affectuū illorum stimulos duriores experiuntur, si coram videant, quos odio & inuidia prosequuntur. Coniunctus his est tertius gradus, quem fastum vitæ dicit, qui non affectus modò & cupidinum æstus, sed ipsa quoq; quæ ex illis manāt, opera praua complectitur. Vbi enim affectus diutina consuetudine in habitum transferunt, eò homines perducunt, vt nihil amplius pensi habeant, sed immani tam Dei quàm hominum contemptu ac fastu intolerabili elati, quiduis quod libet sibi licere existimant. Mox ergo laxatis affectuum habenis, aliena rapiunt, vindictam priuatam persequuntur, thoros alienos polluunt, linguā ad conuitia, calumnias & obreptationes soluunt, sanguinem fundunt, deniq; nemo mortalium eo loco & dignitate est, cui abs se parcere debere existiment. At quàm aliena hæc sint à Dei ingenio, quiuis perspicit. Is enim sanctus, purus & immaculatus, nos quoq; sanctos & immaculatos cultores habere cupit. Idem non inuide te offert. Tamq; abest à nostri contemptu, vt propter nos hominum contemptissimus fieri, & in carne infamem Crucis mortem subire voluerit. Sed & iustam iram, quæ quotidianis peccatis per nos prouocatur, insigni bonitate & misericordia ineffabili temperare consuevit.

Hęc si cum nostri seculi moribus cōferas, facillè videbis, qui & quales censerī debeamus. Inest omnibus naturalis corruptio, nec inest tantum, sed quauis occasione sese exerit, vt nō verbis modò, sed ipsis factis testemur, nos improbißima esse turpissimorum affectuum mancipia. Nota est omnibus effrenis scortandi licentia. Videtur passim impudens adulteriorum palæstra. Regnant vsuræ, furta, rapinæ, imposturæ, & si quid aliud insatiabile auaritiæ malum parturire potest. Laxantur omnium ora, non in proximi famam modò, sed & in Dei optimi maximi patris ignominiam. Illius nomē prophano abusu polluitur. Nec melius apud nos Christus audit, cuius acerba morte fumus redempti. Immani & barbaro fastu proximū quemq; cōtemnimus, dū in alio generis ignobilitatem, in alio vitæ conditionem, in multis patriā & infinita alia friuolè reprehēdimus. Sed hæc o fratres, non ex Deo, sed ex mundo sunt, cuius studia qui amāt & sectantur, charitatem patris in se habent nullam. At quomodo pro Dei filijs censerī poterunt, qui à Dei dilectione alieni esse deprehenduntur? Quid aliud, si sic pergamus, quàm Dei iram, & iam olim commeritas penas expectare possumus? Porro, quia pleriq; hominum in hisce studijs persequendis ideo cōstantiores & pertinaciores sunt, quòd durabilem & firmam certamq; felicitatē illis inesse putāt, Apostolus alteram rationem subiicit, qua illos vehementer falli demonstrat.

Mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Bimembris est ratio, & eleganti antithesi figuratur. Confert enim inter se mundum hunc visibilem, & eum qui mundi studijs abnegatis, se totum voluntati Dei consecrauit. Mundus (inquit) & concupiscentia eius transit. Vocat autem concupiscentiam mundi, quicquid in mūdo exoptabile habetur,

habetur, & quod homines in sui amorem & desyderium rapere potest. Hæc omnia transeunt, id est, corruptioni sunt obnoxia, caduca sunt, & ad interitum vergunt. Manifestius hoc est, quàm vt longa demonstratione opus habeat. Quia tamen ea est hominum cæcitas, vt id videre & animaduertere nolint, aliquid de rerum huius mundi instabilitate dicendum erit.

Inspiciamus autem primū bona omnia, quæ homines expetere solent, quæ olim tribus generibus viri sapientes cōprehendi posse putarunt, vt dicerent esse bona corporis, bona animi, & ea quæ extra hominem sunt, quæ multi bona fortunę nominauerunt. Bona corporis sunt, valetudo integra, robor, agilitas, forma decora, sensuum omnium incolumitas, & si quæ alia eius generis habentur. Animi bona sunt, sapientia, prudentia, dexteritas in cōsilijs capiendis, fortitudo, eruditio, & imprimis mens sibi bene conscia, quæ stabilem animorum pacem parit. Externa bona dixerunt, quæcunq; non in ipso homine inueniuntur, sed aliunde illi accedunt: qualia sunt, diuitiæ, fauor hominum, amicitia, gloria, fama celebris: quod & voluptates, & quæcunq; nos in mundo hoc delectant, referri possunt. Hęc omnia si ordine consideres, quid in illis stabile & permanens inuenire licebit? Corpora certè tot morbis obnoxia, nec valetudinis, nec formæ, nec roboris sui duratione perpetuam sperare possunt. Videmus enim repentinis morbis frequenter omnia ista extingui. Et si cui ea valetudo obtingat, quæ corporis vires & formam diutissimè conferuet, obrepit tamen cito pede senectus, quæ ipsa morbus est, nec corporis modò bona imminuit, verù etiam animum oppugnans memoriam debilitat, intellectus lumen obscurat & extinguit, prudentiæ vires retundit, delirium affert, vt bis pueri senes meritò dicamur. Omitto nunc infinita alia, quæ animi bona tollere possunt. Fuerunt, quibus tegula capiti incidens memoriam & intellectum omnem subulit. Sunt qui panico terrore perciti, nec quid faciant ipsi videre possunt, nec bene consulentibus obtemperare audent. Inuenti sunt & inueniuntur quotidie, quibus ebrietas & scortandi rabies animum totum abstulit. Breuiter ea hominis conditio est, vt nihil vel in corpore vel in animo eius stabile deprehendi possit. Quod si ad ea oculos conuertamus, quæ extra hominem in mūdo sunt, longè maiorem inconstātiā rerum deprehendes. Quid enim de opibus dicere attinet, quæ ita fluxæ sunt, vt interdum nobis quasi ignorantibus elabuntur? Imò opulentissimos reges interitum harum præsidio, cum maximè illis opus erat, destitui videmus. Quid Cræso diuitiæ prouerbio celebres profuerunt, quando rogum iam iam arsurus conscendens Solonis nomen alta voce sonabat? Quid Xerxes ex opibus suis auxiliij habuit, cum piscatoria nauicula mare traicere, qui paulò ante, quasi nouus in orbe terrarum Deus, maria nauibus vt ponte sternebat, flumina militum & iumentorum auatione exiccabat, montes perfodere, adeoq; totam mundi faciem innovare conabatur? Eadem est gloriæ, fauoris, amicitiarum omniumq; voluptatum, quæ ex istis rebus capiuntur, conditio. Qui enim paulò ante omnium fauore elati cælum digito contingere videbantur, eos mox inopinatus aliquis casus miserè præcipitatos in perpetuæ ignominie lutum deiecit. Sed vt omnia hæc firma sint & stabilia, vita tamen hominum instabilis & infirma est, nihilq; hora mortis incertius: vt nõ temere propheta, hominē in imagine potius quàm reuera viuere, dixerit. Psal. 39. Et vt illud videamus, quod extra omnē fortunæ casum positū videtur, immensam videlicet mundi huius machinā, eam quoq; corruptioni subiacere cōstat. Mutatur indies orbis facies, & modò maria esse cernimus, vbi paulò ante vrbes, vineta, agros & læta pascua videbamus. Modò ruinæ sunt, vbi ante pauca secula superbæ regū domus & mœnia inuicta habebantur. Imò iuxta prophetæ & ipsius Christi testimonia, cœli & terra inueterascent atque transibunt. Psal. 102. Matth. 5. & 24. Quàm verè ergo iubente Domino propheta exclamat? Omnis caro fœnū, & omnis gloria carnis flos agri. Exaruit fœnum & flos decidit, &c. Isa. 40. Et sapientissimus mortalium Solomon, cum omnia quæ in mundo sunt, magno cum iudicio & diligenter inuestigauisset, tandem pronunciat: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, &c. Eccle. 1. Sequitur verò ex omnibus istis quod Ioannes hoc loco præcipit, mundum videlicet & ea quæ in mūdo sunt, ab hominibus Christo consecratis minimè diligi debere. Quid enim stultius est, quàm ijs addici, quæ instabilia sunt & incerta? Maledictus (inquit propheta) qui facit carnem brachium suum, & cuius cor homini confidit recedens à Deo. Jerem. 17. Beatus verò cuius Deus Iehouah est, & qui spem habet in domino Deo suo. Psal. 33. & 146. &c.

Alterum huius argumenti membrum est: Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum. Voluntas Dei est, vt sanctificati saluemur. Deus enim vult omnes homines saluos fieri, & in cognitione veritatis venire. 1. Tim. 2. At quia saluari nõ possunt nisi qui sanctificati fuerint, nos sanctos esse vult, & vt sanctificationi studeamus passim præcipit. 1. Thess. 4. Impossibile autem est, vt seipsum sanctificet homo, qui in peccatis conceptus & genitus peccatorum sordes secum in mundum affert. Filium ergo suū Deus dedit, qui nostra sanctificatio fieret. 1. Cor. 1. & 5. Is sanguini suo

Bonorum huius
mūdi vanitas.

Piorum conditio
stabilis.

peccata nostra abluunt, nosq; sibi sponsam fecit carentem ruga & macula 1. Ioan. 1. Ephel. 5. Qui in hunc credunt & illum amplexantur, mundi sunt propter sermonem ipsius, qui in illis manet. Ioan. 15. Et ijdem quotidie pedes abluunt, id est, affectus purgant, resistunt prauis concupiscentijs, & quicquid labis mundi exemplum & pollutionis plena in carne conuersatio aspergit, quotidiana & iugi pœnitentia per fidem in Christum absterunt. Ioan. 13. Hoc ergo præcipuum diuinæ voluntatis caput est, vt credamus nomini filij ipsius, Iesu Christi, de quo circa finem cap. 5. huius epistolæ pluribus dicitur. Quicumq; id fecerint, Christo inserti manent in æternum. Manet enim in illis Christi verbum, quod cœleste & immortale est. Idem illud regenerationis semen est, quo filij Dei efficiuntur & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, vt iuxta promissionem ipsius, cum illo simus in domo patris, vbi mansionem sempiternam sui sanguinis merito nobis impetrauit. Ioan. 14. & 17. Hæc vera hominis vita est, hæc æterna salus & nunquam intermoritura felicitas, quam nulla carnis sapientia inuestigare, nullæ mundi vires acquirere, sed sola fides in Christum Iesum conferre potest. Hæc quia non est in filijs huius seculi: qui spiritum veritatis accipere nō possunt, alienos à mundo fieri oportet, quicumq; in æternum cum Christo manere cupiunt.

Firmum ergo & stabile est Ioannis præceptum, quo mundi amorem & studiū prohibet. Constat enim, cum Dei natura & ingenio pugnare, quæcunq; mundus instituit & facit. Constat infelices esse, quicumq; mundum hunc instabilem & corruptioni obnoxium diligunt: falli item spe sua, quicumque rebus huius mundi friuolis ac incertis nituntur. Rursus verò in æternum felices fore constat, quicumq; Dei voluntatem fecerint, qui nos, depositis mundi & carnis nostræ studijs, filio suo consecrari vult. Huc igitur studium nostrum omne conferamus, & Christum Iesum amplexi ad cœlestis regni hæreditatem aspiremus, cuius ipse nos consortes reddidit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X I.

Filioli, nouissima hora est: & sicut audistis quòd Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi facti sunt. Vnde scimus nouissimam horam esse, E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum, Sed ut manifesti fierent, quòd non sint omnes ex nobis.

TEstatur in euangelio dominus noster Iesus Christus, quòd suos è mundo selegerit, sicut de mundo esse non amplius censi debeant. Admonet id nos nostri officij, quod est cauere, ne per mundi impuri & impij commercium denuo polluti, à communionem Christi & filiorum Dei abstrahamur. Sunt autem in mundo duo ferè mala, quæ salutem nostram euertere possunt. Primum est peccatorum immundities & variæ eorundem illecebræ, quæ tam mûdi exemplo, quàm carnis nostræ suggestionibus, nobis obijciuntur, & in homine naturaliter ad malum propensio plurimum possunt. Alterum, errores & seductiones sunt circa religionem, quibus vel superstitio & idololatria, vel Epicureismus & prophanus omnis religionis contemptus plantatur. De utroque multus in sacris literis sermo est. Et Ioannes in ijs, quæ proximè præcesserunt, diligenter monuit, mundi studia fugienda esse ijs, qui cum Christo æternum viuere cupiant. Nunc autem de seductoribus agit, contra illorum tendiculas & errorum laqueos fideles præmunens. Primò quidem temporis circumstantia probat, se non frustra de his admonere, sed instantis mali periculo moueri, ne in re valde necessaria officium suum negligat. Deinde cum seductoribus eiusmodi propius pedem conferens, docet, vnde isti prodeant, & offendiculis, quæ inde ad simplices peruenire solent, medetur.

Argumentū præsentis loci.

Nouissima hora.

I. **Filioli nouissima hora est: & sicut audistis quòd Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi facti sunt. Vnde scimus nouissimam horam esse.** Nouissima hora in scripturis dicitur omne illud tempus, quod post incarnationem & passionem Christi vsq; ad mundi consummationem euoluitur. Quia enim in Christo omnes prophetiæ impletæ sunt, nec aliud quàm nouissimus illius ad iudicium aduentus restat, meritò nouissimam horam, vel vltimam mûdi etatem, spiritus sanctus vocat illud tempus, quo præter mundi finem & vltimum Christi aduentum, nihil aliud expectare possumus. Prædixit autem de illis temporibus dominus, quòd plena seductionum & errorum futura sint. Nam surgent (inquit) pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Matth. 24. Et Paulus Apostolus

Apostolus scribit: Spiritus certò loquitur, quòd in postremis temporibus descendent quidam à fide, at tendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium cōtrahere matrimoniū, iubentiū abstinere à cibis, quos Deus creauit, &c. 1. Tim. 4. Et alibi: Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, &c. 2. Timot. 4. Sed & magnum illum Antichristum nouissimis diebus venturū esse, qui in templo Dei sedēs effertur supra omne quod Deus dicitur & colitur, idem Apostolus disertè monet. 2. Thess. 2. Sic ergo à temporis circumstantia argumentatur Ioānes: Scitis filioli, nouissimos dies, propter falsos doctores, qui cateruatim insurgent, & apud homines veritatis impatientes locum inuenient facilè, periculosissimos fore, nec de illo quisquam dubitare debet, nisi de veritate oraculorum Christi dubitare velit. Cum itaque iam nunc euoluatur nouissimi temporis curriculum, necesse est vigilare, & magna cura seductionum & errorum laqueos cauere. Nec enim futura tantum pericula vos timere decet, sed præsentiā iam sunt, quæ somnum oscitantiæ vobis excutere debent. Prædixit quidem spiritus Dei, magnum illum Christi aduersariū venturum esse. Sed iam nunc, non vnus, sed multi Antichristi facti sunt, qui Christo & doctrinæ suæ sese opponere audent, & nunc operatur iniquitatis mysterium mendax ille & salutis humanæ hostis Antichristi spiritus. Loquitur autem de illorum temporum hæreticis, quales erāt Simon Magus, Cerinthus, Hebion & qui horum castra sequebantur. Negabatur ab his diuina Christi natura. Nazaræi item erant, qui iustitiam legis stabilire, eam verò quæ ex fide in Christum Iesum est, exinanire cupiebant. Voluit autem satan eiusmodi initijs progredi, vt propter diuersitatem opinionum de Christo omne illius mysteriū paulatim suspectum fieret, & Antichristo, suo tempore reuelado, maior esset ecclesiam inuadendi occasio.

*Antichristicem-
pore Apostolorū.*

Obseruanda autem hic venit paterna pro nobis Dei cura, qui de salutis nostræ periculis & laqueis falsæ doctrinæ nos toties tamq̃ diligenter admonere dignatus est. Hinc enim patet, necessarium esse horum cognitionem, & in ecclesia frequenter inculcari debere, quæcunq; Antichristi & membrorum ipsius impietatem detegunt. Patienter ergo feramus eos, qui suum officium hac in re strenuè præstant, & lupos allatrare fidoq; indicio prodere student. Quia tamen plura cap. 4. dicentur, pauca hæc modo sufficiant. Cæterum, quia magni illius Antichristi Ioannes hoc loco meminit, quem & alibi scripturæ fidei & religionis nostræ summum prophanatorē, ac salutis periculosissimum hostem fore, testantur, pauca de hoc dicenda erunt, quæ simplicioribus illum cognoscendum præbeant, quòd facilius artes & arma ipsius effugere possint.

Doctrina de Antichristo necessaria est.

Antichristi vox Græca est, & Christi aduersarium vel æmulum significat. Antichristi ergo dici possunt, quotquot Christi doctrinæ & gloriæ, vel etiam redemptionis nostræ, per Christum acquirunt, mysterio aduersantur. Quo sensu Ioannes multos Antichristos iam tum suo seculo factos fuisse dixit. At cū scripturæ de singulari Antichristo verba faciunt, æmulū Christi volūt intelligi, quæ Christi sunt nō modò neget, sed ea in sese transferre studeat. Et huc faciunt, quæ de illo Paul. habet 2. Thess. 2. quando ἀντίχριστος vocat, & eleuatū supra Deū. Possunt ex duobus hisce epithetis certissimæ notæ deprehendi, ex quibus Antichristus facilè agnoscatur, quæ non alibi, quàm in templo Dei, in ecclesia Christi sedē suā habiturū esse, idē Paulus disertè testatur. Antichristus enim ille magnus erit, quicumq; Christo Iesu quasi ex diametro oppositus cum doctrina illius & vitæ exemplo pugnaverit, quiq; ea quæ solius Dei sunt, in se transferre ausus fuerit. Christi ergo vitam & doctrinam inspicere conuenit, vt ex ea Antichristum agnoscamus.

*Antichristus
quis?*

Christus Iesus, cum esset in forma Dei, formam serui assumpsit. Phil. 2. Quisquis ergo, cū homo sit, Deū se esse gloriari audeat, & diuinos honores sibi vendicat, Antichristus censebitur. Christus in mundum venit, non vt illi inseruiretur, sed vt ipse inseruiret alijs. Matth. 20. Antichristus ergo erit, quisquis sub Christi prætextu omnium seruitia exigit, & omnibus dominari quærit. Christus eò humilitatis sese demisit, vt discipulorum pedes ablueret. Antichristus igitur non potest nō esse, qui suos pedes Christiani nominis professoribus, imò & regibus, deosculados præbuerit. Christus coronam regni, cū offerretur, sumere detrectauit. Antichristus ergo est, quisquis sub falso Christi nomine coronas regnorum sibi vendicat. Christus circa gregis sui salutem occupatus fuit semper. Antichristus ergo est, qui gregis Christiani pastore sese professus, priuato potius cōmodo & opibus congerendis, quàm fidelium saluti inuigilat. Christus vendentes & ementes templis eiecit. Antichristus itaque est, quisquis eosdem in templa reducit, & ecclesiam domum mercatum constituit. Christus à legis seruitute suos liberat. Antichristus intolerabilia imponit humanarum traditionum onera. Christus matrimonia libera esse voluit, eaq; ad primam institutionē reuocat. Antichristus ergo est, qui libertatem horum tollit, & tanquam impura prohibet.

*Antichristus Ma-
gnus.*

*Christi & Anti-
christi collatio.*

ciborum discrimina sustulit. Antichristus igitur erit, quisquis illa reducerit. Christi regnum non est ex hoc mundo, nec armis mundanis acquiritur & conseruatur. Antichristum ergo verè dicimus, quisquis Christum prætexens mundi regna affectat, armis illa acquirit & retinet. Denique quicquid in Christi doctrina & vita cernitur, eius contrarium in Antichristo inuenire licet.

Antichristus supra Deum eleuatur.

Alterum Antichristi epitheton est, quod illum supra Deum eleuatum iri Paulus dicit, quod non aliud est, quàm sibi vindicare quæ solius Dei sunt. Solius Dei est sanctum esse & sanctificare alios: quare ab angelis illi acclamatur, Sanctus, sanctus, sanctus dominus exercituum. Isa. 6. Et est ipse apud prophetam se eum esse profiteretur, qui Israellem sanctificet. Ezech. 37. Solius Dei potuerunt. Marci 2. Solius Dei est, iudicia habere inscrutabilia & vias imperuestigabiles, nec vlli hominum reprehensionem subiaccere. Solus Deus vel nouas res creare, vel creaturas mutare & transsubstantiare potest. Quisquis ergo se patrem sanctum, vel ipsam sanctitatem appellari vult: quisquis peccatorum remissionem sui priuati iuris esse contendit: quisquis in sua facta & consilia inuestigari prohibet, seque per omnia irreprehensibilem esse superbe gloriatur: quisquis denique nouas Creaturas formare, & substantias rerum in alias se mutare posse, arroganter iactat, is supra Deum sese effert, & cum Lucifero thronum suum ponit in nubibus cœli, cum eodem inde deturbandus in stagnum ardens igne & sulphure. Hæc si hodie inquiras & examines, Antichristus quis sit, facile inuenies. Nec, vt eum è Babylone oriturum expectemus, opus est. In ipsa enim ecclesia Christi iam aliquot seculis sederunt, quorum doctrinam & vitam institutum cum Christo pugnare constat. In eadem hodie inueniuntur, qui sanctitatis titulum sibi vendicant: qui propria autoritate quos libet sanctificant, imò in diuos referunt: qui penes se esse contendunt, peccata vel retinere vel dimittere: qui se à nemine accusari debere clamant, etiã si cateruatim animas hominum primo gehennæ mancipio excruciant, demiserint: qui denique rerum substantias verborum, quæ ipsi proferunt, se conuertere posse iactant. Si quis ergo hos Antichristos esse negauerit, is & solem lucis authorè esse, negare audebit. Sed quia multa in hos scripta publicè extant, & nos alibi hoc negotium prolixè tractauimus, pauca hæc modò sufficiant. Illud tamè fideles cogitent, nõ leue esse, quod ab Antichristo imminet periculum, nec verborum pugnas esse, quæ contra hunc dicuntur. Agitur enim hic de Christi gloria, quæ pijs omnibus commendatissima esse debet. Agitur de animarum salute, quam nos omni studio quærere, & inuentam retinere conuenit. Et cum de hoc olim tanta diligentia spiritus sanctus admonuerit, nos sua tyrannide grassantem & insolenter elatum, digito monstremus, alta & libera voce prodamus, ne quis nostra incursionis dilecti illius discipuli industria, qui de membris Antichristi sic dicere pergit.

Antichristi ex ecclesia prodeunt.

I I. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sed ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis. Vnde seductores & Antichristiani spiritus prodeant docet, vt intelligamus, à quibus periculum maximè timendum sit: simul autem offendiculis medetur, quæ hic grauisima obijci solent. Cum enim doctrinæ Christi hostes esse videmus, & pestilentissimorum dogmatum authores, qui & Christi nomine gloriantur, & huius prætextu traditiones suas ecclesijs obrudere student, varietate in animis nostris cogitationes hæreses scindi cernimus, quæ singulæ huius autoritate niti videri volunt: aut Christum putamus de regno suo non vehementer sollicitum esse, eò quod sub sui nominis prætextu ista fieri permittat. Sed omnibus hæc Ioannes respondet dicens: E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Non est (inquit) quod horum peruersitate aliquis moueatur, quasi doctrinæ Christi ambigua & incerta prædicatio tales fecerit. Licet enim è nobis, id est, externo ecclesiæ cœtu prodierint, cuius membra hucusque videri voluerunt: è nobis tamen minimè fuerunt. Nec enim Christum vnquam vera fide amplexi sunt, nec veritatis cognitioni studuerunt, nec salutis viam inquisuerunt, sed vel priuati commodi, vel licentiæ carnalis causa Christianos sese ad tempus simulauerunt, sed verè ex nobis, id est, vera Christi & ecclesiæ ipsius membra, ac veræ gregis Christi oues fuissent, nunquam à nobis fuissent auulsi, sed permansissent in nostra communione firmiter, cum oues Christi nemo de sua manu rapere, nec fideles aliquis à Dei dilectione separare possit. Ioan. 10. Rom. 8. Indignum ergo est, Christo & doctrinæ ipsius imputare eorum culpam, quos Christi cultores & doctrinæ ipsius sectatores nunquam fuisse constat. Iniquum item, nobis illorum peruersitatem exprobrare, qui ecclesiæ nostræ membra nunquam fuerunt, sed externa tantummodo conuersatione priuatas ob causas ad tempus nobiscum vsi sunt. Sed & ipse Deus ecclesiæ suæ consilium cupiens, spiritum vertiginis illis immittit, vt palam ab ecclesia deficiant, illius communio-

nem deserant, doctrinam ecclesie oppugnent, & noua atq; portentosa dogmata serant, quod omnibus constat, illos nunquam ex ouium & fidelium suorum numero fuisse, nec ecclesie imputari debere, si quid ab his perperam factum fuerit. Vtinam hæc ab ijs expenderentur diligentius, qui nobis hodie Anabaptistarum intemperiem acceptam ferunt, & euangelij doctrinæ fructus esse clamitant, quod ab ecclesia secessionem faciunt, quod magistratui debitam obedientiam negant, quod cõiugis promiscuis quidam vtuntur, quod rerum omnium cõmunionem inuicere student, & alia multa cõmifcuntur, quæ & rempub. & ecclesiam mirificè & perniciosè turbât. Atqui Anabaptistas ex illorum grege & numero ferè prodire, qui euangelium Christi profitentur, nõ negamus. Sed reuera euangelij studiosos & veras Christi oues fuisse, nunquam cõcedemus: minus verò admittemus, illos insana hæc & absurda figmèta ex euangelio hausisse. Si enim ex nobis fuissent, mansissent vtique nobiscum, nec vnquam ab ecclesia secessionem facerent, nec eorum authores essent, quæ cū Christi doctrina manifestè pugnant. Insunt autem huic loco & alia quædã, de quibus propter insignem nostri seculi corruptionem sigillatim aliquid dicendum erit.

*Hereses nõ impus
tandæ euangelio.*

Primò obseruandũ venit, vnde ecclesie Christi grauissimi & nocentissimi hostes exurgant, Ex ipsa nimirũ ecclesia, & illorum numero, qui & ecclesia & primi illius antistites haberi volunt. Nisi enim tales se esse simularent, nunquam ab ecclesia admitterentur. Exempla infinita sunt in veteri testamento, vbi sanctis Dei prophetis semper cum illis plurimum negotij fuisse legimus, qui & ipsi propheta dici volebant, & spiritu prophético gloriabantur, & reuelationes diuinas iactabãt. Sed in Iuda hoc ipsum egregiè figuratum & adumbratum habemus, qui cū ex numero duodecim Christi discipulorũ esset, Christi hostis & proditor fieri voluit. Similiter & Nazaræi, qui Apostolorũ temporibus iustitiam legis vrgebant, nequaquam à Christo alieni videri volebãt, sed Paulum potius accusabant, quod minus legitimè Apostoli munus suscepisset. Quod si vaticinia Apostolorum de nouissimi seculi impostoribus cõsideres, in ipsa ecclesia illos monstrari videbis. Et de magno illo Antichristo, omnis impietatis capite, Paulus disertè testatur, quod in templo Dei sedem suam habiturus sit. 2. Thess. 2. Nemo igitur vel à Turcis vel à Iudæis sibi tantum timeat, quantum ex domesticis nostræ fidei hostibus. Nemo Antichristũ è Babylone & tribu Dan oriundum expectet, sed ab eo sibi caueant omnes, qui in ecclesia Christi, in vrbe olim rerum domina, super septem montes sedens, calice fornicationum suarũ iam aliquot seculis reges & gentes inebriatas dementauit, &c. vide Apoc. 17.

*Vnde grauissimè
hostes ecclesia ex
urgant?*

Secundò signum & notam proponit Apostolus, ex qua Antichristiani doctores agnosci possunt, quæ est, quod exeunt ab ecclesia, non autem vera sunt ecclesie membra, vt cunq; titulo Christi & fidei gloriantur, nec cum fidelibus permanent, id est, nõ perseuerant in doctrina & fide, quæ Christi ecclesia amplectitur, & ab ipso Christo traditam agnoscit. Quotquot enim oues Christi sunt, Christi vocem audiunt. Ioan. 10. Quotquot item fideles Christi & ecclesie ministri sunt, nõ alienam vocem afferunt, non nouis dogmatibus ecclesiam aggrauant, nõ sibiipsis discipulos demententur, non scindunt ecclesie vnitatem: sed auditores suos omnes ad vnum Christũ relegant, huic discipulos faciunt, & iuxta præceptum Christi ea illos seruare docet, quæ ipse olim viuua voce tradidit, & ab Apostolis spiritus suggestionem literis mandata sunt. Cum enim ex Apostolorum numero nemo tantum sibi arrogare ausus sit, vt nouum euangelium prædicare, Apostolico spiritu nunquam præditos putabimus, quicunq; id hodie tentant, nec cum reliquis fidelibus in simplici Christi doctrina & fidei vnitatem permanent. Verè ergo Ioannes inquit: Si ex nobis essent, si verè Christiani & fideles Christi ministri essent, permansissent vtique nobiscum. Debet sententia hæc omnibus hæreticis, qui olim ecclesiam turbauerunt, accommodari. Si ex fidelium numero fuisset Arrius, Christi diuinitatẽ, quæ à fidelibus constanter creditur, nõquam negauisset, sed in eadem cum alijs fidelibus confessione permansisset. Si ex Christi ouibus fuissent Martionitæ, permansissent vtique in vnanimi ecclesie doctrina & fide, quæ verã Christi humanitatẽ agnoscit, & phantastici corporis figmentum ignorat. Id quia non fecerunt, veros Christi fideles nõ fuisse cõstat. Eadem de illis dici debent, qui hodie euangelij doctrinã negare audent. Nec enim iuuabit Pontificios, quod Christũ profitentur, quod sub Christi prætextu sua omnia obtrudunt, quod Apostolorũ successione gloriantur. Si enim ex nobis, id est, ex vero Christi grege essent, nobiscũ utique permanent, nec ab Apostolorũ doctrina, quæ sola fide in Christũ absque operibus legis nos iustificari docet, recederent. Quia verò humanarũ traditionũ operibus tribuere audent, quod operibus legis diuinitus traditæ Apostoli cõstanter negarunt, ex Apostolis & horũ legitimis successoribus esse nõ possunt. Similiter, si ex Christi fidelibus essent, nobiscũ in ea fide & doctrina permanerent, quæ Christũ Iesum vnicũ mediatorem inter Deũ & homines esse tradit, nec ab ea declinantes nouos & innumeros mediatores fingerent. Si ex Christi ecclesia essent, Christi testamen-

*Nota Antichristia
narum doctorem.*

tum, quod in vltima Cœna ipse instituit, minimè peruerterent, sed commemorationem esse agnoscere mortis domini, non sacrificij per Christum oblato iterationem comminiscerentur. Si ex Christi grege essent, solius Christi vocem audirent, nec humanas traditiones, tam graui Christi sententia damnatas, ecclesiæ multum reclamanti obruderent. Denique, si Christi spiritu ducebantur, in ijs permanerent constanti fide, quæ per Christum nobis tradita sunt, & anathema ducebant eum, qui nouum euangelium, nouam fidem, nouam salutis rationem docere præsumeret, siue is Apostolus esset, siue angelus cœlo delapsus, Gal. 1. Hoc quia non faciunt, sed Patres, Concilia, Canones & alia quædam huius farinae prætexunt, ex illorum numero, quorum autoritate nituntur, illos esse fatebimur: sed ex grege fidelium Christi illos esse nunquã agnoscemus. Si enim ex nobis essent, permanerent vtique nobiscum.

Cur ex ecclesiasticis prodire patiantur Dem?

At quærat aliquis, cur Deus ex ecclesia & eo cœtu, qui Christi nomine insignitur, eiusmodi monstra & pestes prodire patiantur? Respondet Ioannes: Vt manifestum fiat, quod non sint omnes ex nobis. Cautos vult reddere suos cultores dominus, ne facilè & temere quibusuis fidant. Euangelij enim prædicatio sagenæ similis est, quæ tam putres quàm sanos pisces attrahit. Matth. 13. Nã cum in orbe prædicatur inter eos qui varijs ducuntur affectibus, variè & diuersimodè recipitur. Et plures sunt, qui non gloriæ Dei & regni cœlorum studio illud amplexantur, sed quod illud suis studijs & priuatis cupiditatibus inferuire posse putant. Atqui horum conuersatio periculosa & incautionibus valde noxia est. Adhibito igitur ventilabro dominus aream suam purgat, cogitationes & studia illorum reteggit, ac permittit, vt absurdis opinionibus seipos prodant, qui hæcenus sub Christi nomine in ecclesiæ gremio delitescebant. Et cum illi reprobantur, qui electi sunt, probati fiunt. 1. Cor. 11. Neminem ergo offendat illorum hominum peruersitas. Prodest enim ecclesiam ab illis pestibus purgari, & illorum exemplo pios admoneri, vt cautè salutem suam in timore & tremore operentur. Philip. 2.

Vidimus hucusque fratres, quæ nouissimis diebus fidei & salutis pericula instent ex falsis doctoribus. Nec id Ioannis modò verba docent, sed illos iam multis locis, non sine multarum animarum iactura, grassari sentimus. Aperiamus ergo oculos mentis nostræ, & vigilemus pro publica ecclesiæ salute. Vitemus & procul arceamus omnes, quotquot in simplici Christi doctrina & fidei unitate nobiscum permanere nolunt. Audiamus verò & sequamur totis animis summi illius & fidelissimi pastoris, Iesu Christi vocem, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XII.

Et uos unctiõnẽ habetis à sancto illo, & nouistis omnia. Non scripsi uobis, quasi ignorantibus ueritatem, sed tanquam scientibus eam, Et quod omne mendacium ex ueritate non est. Quis est mendax, nisi is, qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet.

Quamuis multa & varia sint, quæ hominis tam corpus quàm animam offendere possunt, nihil tamè tam noxium & pestilens est, quàm falsa doctrina, quæ Dei à verbo salutari ad uanas hominum traditiones abducit. Reliqua enim omnia ferè eiusmodi sunt, ut pro noxijs agnosci, & proinde facilius caueri possint. At qui falsæ doctrinæ authores sunt, ferè sub ueritate atque religionis specie imponunt, & salutem pollicentes, animabus interitum struunt. Quæ causa est, quod tanto zelo falsos doctores passim in scripturis spiritus sanctus oppugnat, cuius testimonio non in prophetis modò, uerumetiam Dei filio uidere licet, qui multis in locis cum his congregatur, & fideles, ut ab his sibi caueant, studiosè admonet. Imitatur tanti ducis exemplum dilectus ille discipulus Ioannes, qui (vt nuper uidimus) occasione à temporis circumstantia sumpta, paucis nos instituit de ijs, quæ hic obseruatu digna & necessaria sunt. Partim enim de magno illo Antichristo, partim verò de sui seculi impostoribus, loquens, docuit, unde eiusmodi pestes ferè prodeant, quo signo agnosci possint, & cur tales ex suo cœtu emergere sinat dominus. Cæterum, quia admonitionum homines natura impatientes sunt, dũ nec ignorantia nec negligentia infirmulari uolunt, Apostolus in presenti studiũ suũ excusat, ne qua suspicione cõcepta admonitiõnẽ, alioqui necessariam, minoris facerent. Deinde ad institutum rediens, Antichristos, id est, doctores Christi

Argumentũ præsentis loci.

Christi æmulos siue aduersarios, duabus notis certis & infallibilibus describit, quò facilius agnosci & caueri possint.

I. Et uos unctionem habetis à sancto illo, & nouistis omnia. Non scripsi uobis, quasi ignorantibus ueritatem, sed tanquam scientibus eam. Vnctionem uocat internam institutionem spiritus sancti, quem Christus suis discipulis & omnibus, qui in se credunt, pollicitus est. Ioan. 14. & 16. Alludit autem ad typum ueteris testamēti, quo reges & sacerdotes inungebantur, quæ unctio illos Deo sacros esse, & Dei spiritu regi debere docebat. At Christus, sacerdos noster & rex vnicus, non materiali oleo, sed (ut Psal. 45. habetur) oleo lætitiæ, ipso spiritu sancto, qui uisibili specie super illum descendit (Ioan. 1.) inunctus, eam gratiam apud patrem meruit, ut eodem chrismate suos inungat, spiritum suum illis largiatur, illius inspiratione eosdem doceat & ducat in omnē ueritatē, adeoq; sibi reges & sacerdotes consecret. Apoca. 1. Sic ergo uult Ioannes dicere: Nolim uos mea hæc ita accipere, ô fratres, quasi uos tam crassè ignorantēs & tam stupidè negligentēs esse suspicer, qui hæc per omnia ignoretis, nec ulla admonitionum Christi, quas ille plurimas & fideles adhibuit, cura atque memoria tangamini. Scio enim uos, euangelij prædicatione iam olim institutos, salutis uestræ curâ agere. Scio uos, iuxta Christi promissionem, spiritus sancti chrisma accepisse, qui non modò salutis nostræ arrhabo est, nec modò de adoptione nostra, qua in filiorum Dei numerum suscepti sumus, testatur: uerum etiam animos fidelium interna suggestionē excitat, ueritatis studium accendit, mentis oculos illuminat, ut falsum à uero discernere, & quæ saluti noxia sunt, cauere possint. Quia tamen uariæ sunt hostis nostri satanæ artes, quibus errorum laqueos celare potest, & magna est etiam in sanctis interdum carnis ignauia, multisq; sæpius imposuit nimia securitas, externam institutionem uel uia uoce uel scriptis adhibere, non superuacaneū, sed cum primis utile & necessarium est. Sic Christus discipulos sæpe de iisdem admonuit, & patres crebrò inculcant, quæ liberorum saluti plurimum inferuire nouerunt.

Docent & nos hæc Apostoli uerba, non sufficere, si semel in ueritate & salutis uia institua-
mur, sed ppter infinita pericula & carnis nostræ corruptionē, crebris admonitionibus opus esse.
Nam & iustus in die septies labitur. Prouer. 24. Et sponte quidem omnes labi possumus, proprijs
autem uiribus resurgere non possumus, sed tam interno spiritus motu, quam institutione & ad-
monitione externa opus est, quam Deus varijs modis adhibet, plerunq; tamen per uerbi ministe-
rium: cuius curâ quicumq; commissam habent, non simpliciter modò prædicare uel docere, uerum
etiam (iuxta Pauli præceptum) arguere, increpare, exhortari, imò & tempestiue & intempestiue
instare debent. 2. Tim. 4. Vani ergo illorum clamores sunt, qui doceri tantum uolunt ex uerbo
Dei, ex eodem uerò argui, moneri, & increpari non uolunt. Ferunt illi indignissimè, si eadem cre-
brius inculcentur, & se ea plus millies audiuisse, & ià olim nouisse, clamitant. Quasi uerò audiuisse
& nouisse sufficiat. Quoad factis non exprimitur, quod ex uerbo Dei audiuius, illud iterari,
& maiori seueritate repeti, oportet.

Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd Ioannes unctiois, id est, internæ institutio-
nis, quæ per spiritum sanctum fit, hoc loco meminit. Poterat enim uel aliorum Apostolorum, uel
proprias, uel etiam ipsius Christi allegare, quas plurimas ubiq; habemus. Sed ostendere uoluit,
quis uerus sit doctor fidelium. Ut enim homo propriij ingenij uiribus non capit ea quæ sunt spi-
ritus Dei (1. Cor. 2.) ita nec is, quem spiritus illuminauit, quicquam quicquam efficiere poterit. Institutum quidem est à Deo uer-
ritus operatione, in alterius mente ac intellectu efficere poterit. Institutum quidem est à Deo uer-
bi ministeriū, sed non ut propria dexteritate quicquā ministri faciant. Nihil enim est (inquit Pau-
lus) qui plantat, nihil etiā qui rigat, sed Deus qui dat incrementū: Item: Quis Paulus? quis Apol-
los? nisi ministri, per quos credidistis, & ut cuiq; D O M I N U S dedit? 1. Cor. 3. Nisi ergo interna
spiritus operatione illuminemur, trahamur & ducamur, nihil docentis uel eloquentia, uel indu-
stria, uel eruditio proficiet. Ideo apud prophetā dominus de testamenti sui instauratione loquēs,
ait: Dabo leges meas in mentem illorum, & in corde illorum ego inscribam illas. Iere. 31. Et alibi fi-
deles suos omnes *trouid' id' an' toue*, id est, diuinitus edoctos fore testatur. Isa. 54. Ioan. 6.

Arguunt hæc illorum insolentiam, qui humanæ rationi & sapientiæ tantū tribuunt, ut huius
censuræ & iudicio religionis causam & controuersias de fide subijciant. Obstupescunt illi ad su-
perbos scholarū titulos, quasi illorum autoritas ualere debeat, qui per homines uel Magistri no-
stri, uel Doctores facti sunt: cum maius sit multo spiritus sancti testimonium, quod fideles singu-
li, cuiuscunq; loci & ordinis sunt, intra animum suū sentiunt. Illud ergo diligenter examinemus,
& conferamus cum illis quæ scripturis tradita sunt, ne forsan contra Apostoli præceptum, homi-
num serui reddamur, qui ab vnus Christi ore pendere debemus. 1. Cor. 7. Cæterum ad Ioannem
redcamus, qui & ipse ad institutum rediens, Antichristos certis notis describit.

C A P V T I I.

II. Et quòd omne mendacium ex ueritate non est. Quis est mendax, nisi is, qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Possunt ex his duæ Antichristi notæ constitui, quarum altera sit. Mendacem vel à ueritate alienum esse: altera uerò, Negare patrem & filium. Sed de singulis ordine erit dicendum. In priori, aliqua ex contextu uerborum siue constructione difficultas est, quæ magna ex parte tollitur, si sciendi uerbum, quo ante usus erat, huc quoque transferas. Coniunguntur enim hæc ijs quæ præcesserunt, ad hunc modum: Scripsi uobis, non quasi ignorantibus ueritatem, sed tanquam scientibus eam. Uobis (inquam) scribo, qui scitis, quòd omne mendacium ex ueritate non est. Videtur autem rem ipsam pro persona posuisse, mendacium nimirum pro mendace. Ex ueritate non esse, pro eo posuit, quòd est ueritati contrarium & hostem esse, quòd Antichristi proprium est. Quare forma argumenti hæc erit. Quicumque mendax est, ex ueritate non est. Omnis, qui negat Iesum esse Christum, mendax est. Ergo, qui negat Iesum esse Christum, ex ueritate non est, & per consequens, Antichristus est. Minorem uerò non simplici orationis filo proponit, sed interrogationem amplificat, quasi dicat: Ecquis mēdax dici poterit, si qui Iesum negat esse Christum, mendax non est? Imò hoc omnis mendacij caput, adeoq; summum & maximum inter omnia mendacia censeri debet: quia per hoc ipsissima & essentialis ueritas negatur, nimirum Dei filius, Iesus Christus. Sunt autem in his duo obseruanda.

Nota Antichristi.

Quid sit Iesum negare Christum?

Primum, quid sit Iesum negare esse Christum. De Christi uocabulo iam ante dictum est, & alibi quoq; dicitur. Comprehendit hoc filij Dei pro nobis incarnati officium, quòd in regno & sacerdotio administrando uersatur. Docet autem scriptura, & iuxta huius traditionem fatetur & uniuersalis fidelium ecclesia, filium Dei in mundum uenisse, ut fidi regis instar pugnam pro nobis contra satanam hostem subiret, nos ex eius tyrannide affereret, in que nos regia liberalitate regni cælorum thesauros profunderet. Fatetur præterea, eundem sacerdotis quoque officio functum esse, & fungi in æternum. Nam & olim docuit, & docet hodie per uerbum suum. Deinde ut olim pro nobis orauit, ita hodie pro nobis intercessorem & aduocatum agit coram patre. Unica itē corporis & sanguinis sui uictima in ara Crucis immolata totius humani generis peccatum expiauit: quæ expiatio cum perfecta sit, & uirtute sui meriti in æternum duret, iterationem nullam postulat. Hæc quicumque iuxta scripturas credunt, & cum uniuersali fidelium cœtu fatentur, ij Iesum hunc Christum esse fatentur. Omnis uerò, qui ista in Christo agnoscere nō uult, Iesum huc Christum esse negat, & proinde uel Antichristus, uel magni illius Antichristi membrum dici meretur. Peccant igitur hoc loco, quicumq; Dei filium non unum & solum saluatorem esse agnoscunt, sed quæ ad eius siue sacerdotium siue regnum pertinent, aliò transferunt. Qui (inquam) alios deos tutelares inuocare, aliunde regni cælorum thesauros petere, alios uitæ magistros sectari, alijs intercessoribus niti, alias satisfactiones amplecti, & noua sacrificia pro peccatis offerre docēt. Fatentur quidem Iesum esse Dei filiū, & eundem Christi cognomine appellat. Sed quid prodest nomen tribuisse, si rem quæ nomine significatur neges? Si gemmæ smaragdi vim inesse neges, nonne smaragdum esse negauisti? Nega radici inesse rapunticæ vim, & simul rapunticam esse negaueris. Frustra ergo uerbis Christum fatentur, quicumq; quæ Christi sunt & ad eius officium pertinent, negare audent. Negant autem, quicumq; eadem alibi quærunt uel monstrant, eò quòd Iesus unicus & solus saluator est, nec quenquam in suæ gloriæ consortium admittit. Act. 4. Isa. 42. Peccant & offendunt ad eundem lapidem, qui doctrinam de Christo unico saluatore contemnūt, & nouis traditionibus illam sarcire conantur. Et quia Christiani nominis professio non uerba tantum, uerum uitam & omnem uitæ conuersationem exigit, Christū negare dicuntur, quicumque impurè, impiè & flagitiosè uiuunt, quòd nunquā facturi erant, si pretioso Christi sanguine se ablutos & redemptos esse ex animo crederent. Ex hoc hominum genere sunt blasphemij, immiserordes, contēptores uerbi, impuri scortatores, impœnitentes adulteri, sanguinarij milites, & quicumque sceleribus ita sese addixerunt, ut illa pro sceleribus non agnoscant, & multò minus de penitentia cogitēt. Hæc si ad nostri seculi homines applicemus, facillè cernetur, quàm magna Antichristianorum turba sit, qui Iesum Christum tam doctrina quàm totius uitæ conuersatione abnegāt. Et tamen adhuc, quis nam magnus ille Antichristus sit, dubij hæremus?

Antichristus mēdax est.

Alterum hoc loco obseruandū est, quòd Antichristo mendaciū tribuit, ut quòd illi maximè propriū sit. Ut enim Christus Iesus ipsa est ueritas, & irrefragabilis ueritatis doctor: ita Antichristus totus mendacijs scatet, & ex mendacijs totum Antichristi regnū atq; ecclesia conflatur. Huc pertinet quòd Christus & Apostoli deceptionē iniustitiæ & signa mendacia illi tribuūt. Matt. 24. 2. Thess. 2. Licet enim quædam uerè fiant, falsa tamen & mendacia dici merentur, quia non nisi in eum finem fiunt, ut homines à ueritate abstrahant. Norunt hoc quicumque miracula, quæ olim apud

apud imagines & in monasterijs edita sunt, viderunt: quorum plæraq; palàm falsa fuisse, sæpe deprehensum fuit: & si quid vnquam verè factū est, totum hoc diabolicæ illusionis opus erat, in hūc finem factum, vt contra Dei præceptum imaginibus vota nuncuparent hominès, imaginibus saluandi virtutem tribuerent, imagines colerent, totiq; ab illorum cultu dependerent. Eadem totius doctrinæ, quæ in Papatu prædicatur ratio est. Nam contra Dei verbum liberi arbitrij vires, iustitiæ opera & merita homini tribuunt, quæ omnia cum scripturæ negent, non potest non falsissimum esse quod illi tradunt. Similiter contra Christi verbum, ijs, qui laborant & onerati sunt, in proprijs vel aliorum meritis pacem & requiem pollicentur, quæ promissio vtique est falsissima & manifestè mendax. Item contra æternæ veritatis verbum, nouos, & infinitos quidem, intercessores nobis apud Deum esse tradunt: Christi sacrificium per Missam iterari, sicq; viuus & mortuus applicari oportere contendunt: purgatorium fingunt, indulgentias Romanas vendunt, ad liminam Petri & Pauli inuitant, salutem certis locis & temporibus astringunt, & innumera alia docent à veritatis verbo alienissima. Quin relicto Dei verbo humanas traditiones ecclesijs sub prætextu veritatis obtrudere non verentur. Si enim totum illud Ceremoniarum Chaos consyderes, nihil in illo diuinitus præceptum, nihil à Christo institutum, nihil ab Apostolis traditum, nihil scripturarum autoritate confirmatum videbis. Et cū authores horum omniū nominent, tempora quoque quibus illa multis demum seculis post Apostolis instituta sunt, dissimulare non possint, adhuc tamen eam, quæ verbo Dei debetur, auctoritatem illis vindicare nõ erubescunt. Quod si perfonas, quæ totum illud regnum administrant, inspiciamus, nil nisi vana nomina & mendaces titulos videbimus. Caput ecclesiæ dici vult, qui nec corpori totius ecclesiæ præsens adesse, nec vitam spiritum in illius singula membra trāsfundere potest. Idem Christi vicarium sese profitetur, cum Christus, qui ecclesiam suam non deserit vnquam, vicario minimè opus habeat. Eiusdem faninæ est serui seruatorum titulus, cum constet illum potius regem regum & dominum dominantium dici debere. Eadem est in huius capitis tam egregijs membris ratio. Episcopi dicuntur, qui nihil minus quàm episcopi sunt, si illos ad Pauli doctrinam & regulam examines, cum nec doceant nec etiam docere possint, & plerique vel in aulis principum, vel in legationibus obeundis versentur, ecclesias verò suas nunquam, aut saltem rarissimè inuisant. Ita monachi à solitudine dicuntur, qui turmatim in medijs vrribus habitant, imò in aulis apud reges & imperatores non extremum locum tenent, sæpe etiam in castris inter signa militaria inueniuntur. Vouent illi paupertatem voluntariam, sed hoc titulo totius mundi opes sibi vendicant, & ad summos honores ascendunt. Vouent obedientiam, cum interim obedientiæ, quæ magistratui, parentibus & ipsi Deo debetur, iugum omnino excutiant. Vouent castitatem, sed eam præstant, qua alienis thoris insidiantur, qua virgines quasuis, etiam Deo sacras, violant, qua deniq; totum ferè orbem stupris & spurijs repleuerunt. Profitentur se mundo mortuos, cum nemo magis in mūdo viuat, nec alij spiritu mundi, qui odiorum, simultatum, ambitionis & inuidiæ author est, magis exagitentur. Hæc cum ita sint, nõne mendaces esse fatebimur? At si mendaces sunt, ex veritate non sunt, imò veritati se planè contrarios, & proinde Antichristos esse produnt. Sequatur ergo hos, si cui fordet veritas, & mendaciorum laqueis se scientem & volentem implicari gaudet.

Alteram Antichristi notam his verbis Apostolus describit: Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Leuiculum videri poterat quod dixit, Antichristum esse, qui negat Iesum esse Christum. Addit ergo quod grauius est, & ab Antichristo non filium modò, sed etiam patrem abnegari dicit. At quis (ais) tam impius est, vt Deum negare auit absolutè? Certè inter gentes Deos negare capitale fuit, & inter hæreticos nemo vnquam inuentus est, qui Deum patrem disertis verbis negauerit. Hodie quoq; Iudæi & Turcæ, licet à Christo alieni, imò in illum blasphemi sint & impij, Deum tamen cæli ac terræ conditorem agnoscunt, & illius cultu fideq; in illum gloriantur. Probat ergo Ioannes quod dixit, & docet, sine Christi cognitione & fide in Christum, Dei patris cognitionem & cultum constare non posse. Qui filium (inquit) negat, is ne patrem quidem habet. Cohærent enim pater & filius, nec vllò modo separari possunt. Nam ea est inter filium & patrem relatio, vt altero sublato, alter quoque necessario tollatur. Si enim pater est, filium habeat oportet, cuius pater dici queat. Sed & filius nemo dicitur, nisi patris respectu, è quo progenitus est. Accedit his, quòd essentialiter inter se cohærent Deus pater & filius, iuxta illud Christi: Ego & pater vnum sumus. Ioan. 10. Item: Qui vidit me, vidit patrem meum. Credite mihi, quòd ego in patre sum, & pater in me. Ioan. 14. Nec alium Deum scripturæ diuinitus inspiratæ tradunt, quàm eum, qui filiū habet ab æterno ex se genitum, quem præfinito tempore emisit in mundum, hominem factum ex muliere, & legi obnoxium, vt

Antichristus negat patrem & filium.

C A P V T I I.

eos qui legi erant obnoxij, redimeret, &c. Gal. 4. Quisquis ergo Dei filium, & quæ is propter nos in carne gessit, negat: idem & Deum illum negat, qui scripturis sacris traditur. Rectè ergo Ioannes colligit: Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. At filium multiuariam negari, & inter Christiani nominis professores huius abnegationem esse plus satis vulgarem, supra demonstrauimus. Non est ergò, quòd vel Ioannis sententiam iniquiorem & duriolem æquò, vel eos nimios & vehementiores esse putemus, qui hodie Christi gloriam constanter asserunt, & Antichristum magno zelo oppugnant.

*Euertituromnes
aliarum gentium
religiones.*

Arguuntur autem hoc dicto omnes omnium gentium religiones, quæ extra Christum institutæ sunt, & viam salutis aliam monstrant, quàm quæ in Christo nobis proposita est. Gloriantur, vt libet, de Deo patre & creatore omnium rerum, tam Iudæi quàm Turcæ, cum filium non habeant, patre illos carere necesse est. Prætexant alij zelum suum pium & sanctum, nec hic tamen quicquam iuuare poterit. Nec enim nostri animi & zeli placitis Deus coli vult, sed iuxta regulas ab se nobis præscriptas & traditas. Non peruestigetis (inquit) post cor vestrum, aut post oculos vestros, post quos scortari soletis. Quin memores estote, & facite omnia præcepta mea, & sitis sancti Deo vestro. Num 15. Et Christus ait: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14. Nisi ergo per Christum, qui via vnica & sola est, ad thronum gratiæ & in Dei commercium tendamus, frustra in alijs cultibus occupabimur. Non leues itaque sunt, ô fratres, nostri seculi de religione & fide Christiana controuersie, nec de verbis pauculis cõtenditur. De summa rerum & capite fidei cõtenditur, dum nos solum Christum retinere, soli omnem redemptionis gloriam tribuere volumus, aduersarij verò infinita alia illi coniungere audent, sine quibus salutem nos consequi possent. At quia Christus gloriæ suæ confortem ferre nequit, in gloriam ipsius peccant, in Christum abnegant, quicumque quæ illius sunt, vel in seipos, vel alias Creaturas transferunt. A Christo autem excidere non possumus, nisi nos ipso patre & gratia patris in vniuersum spoliemus. Horum itaque memores non sine graui cura & solitudine expendamus fidei negotium, induamus feruentem Christi zelum, abominemur Antichristi tyrannidem, suspecta habeamus quæcunque Christi merito aliqua ex parte detrahere videntur, & ab eius solius voce pendeamus, cui soli debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X I I I.

Vos igitur quod audiistis ab initio, in uobis maneat. Si in uobis manserit quod audiistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam. Hæc scripsi uobis de his, qui seducunt uos.

Dominus & saluator noster Iesus Christus in euangelio ait: Nemo, qui manu aratro admodum respexerit à tergo, idoneus est regno Dei. Luc. 9. Præclara omnino & grauis sententia, dignaq; quam omnes pij perpetuò ob oculos habeant. Docet enim, non sufficere, vt Christi cognitionem semel assequamur, & fidem in hunc profiteamur aliquandiu, sed fidei constantiam requiri, qua in finem vsque perseueremus. Atqui hic nobis duo ferè negotium faciunt, mundus nimium & falsa doctrina. Vt enim ille vitiorum illecebris animos tentat, & à puritate vel innocentia uitæ abstrahit: ita falsæ traditiones sub pietatis prætextu, fidei & religionis veritati insidiantur, & ubi admissæ fuerint, fidem & religionem omnem euertunt. De vtroq; igitur magna diligentia Ioannes agit: singulari tamè zelo contra falsam doctrinam & doctores Antichristianos disputat, quos in ijs, quæ præcesserunt, docet non leuiter impingere, sed in præcipuo fidei & religionis capite errare, cum & Iesum Christum & patrem omnino abnegent: quod in eum finem dicit, vt maius in nobis excitet hos deuitandi studium. Postquam verò illos sufficienter descripsit, breuem institutionem subiungit, qua primum quid fideles facere debeant, docet: deinde fructus & præmia amplà consilio suo obtemperantibus pollicetur, de periculo rursus illos admonens, ne frustra tam multis hæc agere videatur.

*Argumentum præ
sentis loci.*

*Christiani in doctrina
olim tradita
perseuerent.*

Vos igitur quod audiistis ab initio, in uobis maneat. Est hæc præsentis loci propositio, quæ breuè quidem præceptum complectitur, tale verò, quòd contra omne erroris & seductionis periculum nos præmunire potest. Respondetur eodem hoc omnium quæstionibus, qui quid hodie inter tot tamq; graues de fidei & religionis doctrina controuersias fieri debeat, interrogant. Dicit enim

Quia Apostolus: Quod ab initio audiuitis, in vobis maneat. Quasi dicat: Ut vt illi noua quotidie excogitent, vobis tamen nouis doctrinis atq; præceptis minimè opus est. Ab initio enim tradita sunt ecclesiæ quæcunq; ad hominum salutem sunt necessaria. Ea vos retinere conuenit, & in illis persistere constantibus animis, sicq; nullum erit ex Antichristis periculum. Loquitur autè de simplici salutis doctrina, quæ à prima mûdi origine reuelata, & paulatim magis magisq; illustrata est, donec absoluto per Christum redemptionis nostræ negotio, Apostoli illam per totum orbem inter omnes gentes prædicarunt. In ea igitur perseuerent, quicunq; inter nostri seculi controuersias salutis iacturam facere nolunt. Debet autem huius præcepti eò maior penes nos esse auctoritas, quòd & alibi nobis præscribitur. Nam & Christus Iesus, cum varia nouissimi seculi pericula, quæ tam ex falsis doctrinis, quàm aliunde fidelibus accident, exposuisset, constantiâ in agnita veritate, ceu vnicum aduersus mala hæc omnia remedium, commendat, dicens: Qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit. Matth. 24. Paulus item de seductoribus Timotheum admonens, ait: Tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. 2. Timoth. 3. Turpissimè ergo falluntur, qui hodie, propter diuersas de fide doctrinas, nouo quodam docendi genere opus esse existimant, & ad conciliationes quasdam conuersi eiusmodi doctrinæ formam constituere conantur, quæ ab omnibus recipi & ferri possit, modò pertinaces esse desinant. Quia enim circa fidem varia & diuersa dogmata seminari, & homines in discordes sententias scindi videmus, ideo constantia fidei & agnitæ veritatis perseueranti atque pertinaci studio opus est. Nec enim nostri iuris est Dei verbum, vt quæ illo traduntur, pro nostro arbitrio mutare, & ad hominum placita formare liceat. Cæterum quia ad eam doctrinam relegat Ioannes quæ ab initio statim tradita, & per Apostolos cum ecclesiæ congregarentur prædicata est, operæpretium erit, eam summatim comprehensam inspicere, vt ceu in speculo videamus, quid nobis hodie amplectendum, quid uè vitandum sit.

Potest vniuersa Apostolorum doctrina duobus capitibus comprehendi, è quibus vtrumque in duas partes diuiditur. Primum salutis nostræ rationem tradit: alterum circa eorum officiũ versatur, qui redempti vel salui facti sunt. Quoad primum duo tradunt Apostoli. Docent enim omnes homines naturali corruptione infectos & peccatores esse, & proinde ex seipsis saluari non posse. Est hæc doctrina perquam necessaria ijs, qui salutem cupiunt assequi. Nisi enim suæ corruptionis sibi conscius fuerit homo, salutem penes seipsum quæret frustra, neglecto interim eo, in quo solo omnis salus est. At quia caro nostra tam confidens est, vt nihil non sibi tribuere ausit, multum in hoc omnes scripturæ versantur, vt innatam nobis corruptionem ob oculos statuunt. Nam ipse Deus testatur, signum cordis humani malum esse ab ineunte ætate. Gen. 8. Dauid verò ipsos fontem huius mali inuestigat, illud nobis hæreditarium esse, & naturaliter inhærerè docet, cum inquit: En ego in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea. Psal. 51. In eandem sententiam propheta nos omnes ouium instar errauisse, & iustitias nostras fœdas & abominabiles esse, fatetur. Isa. 53. & 64. Vt enim ex fonte infecto salubres riui duci nõ possunt: ita ex homine, qui peccati massam sibi innatam habet, opus aliquod omnibus partibus absolutum manare impossibile est. Quare communis hæc fuit sanctis omnibus vox: Ne ambules in ius cum seruo tuo Domine: nullus enim viuens corâ te iustificabitur. Psal. 142. Item Psal. 133. Si iniquitates obseruare velis ô Deus, Domine quis subsistet? Hanc doctrinam ceu elementa prima Christianæ institutionis, Apostoli tam constanter tradunt, vt cum hominis viribus & propriæ iustitiæ fiducia bellum irreconciliabile suscepisse videri possint. Quid enim primis capitibus præstantissimæ illius ad Romanos epistolæ Paulus agit, quàm quòd omnes homines, tam gentiles quàm Iudæos, peccatores esse grauissimis rationibus euincit? Idem ad eò nos omni virtute spoliât, vt ad cogitandum quoq; idoneos esse neget. 2. Cor. 3. Urgent verò hanc rem tam sedulo Apostoli, quia & pœnitentiæ seruit, quæ prima euangelicæ prædicationis pars est (Luc. 24.) & cogit vel inuitos nos, vt de proprijs viribus & humana iustitia desperantes, iustificationem & salutem extra nos ipsos quæramus.

Ne tamen peccatorem, qui corruptionem suam iam agnoscit, & de agnita dolet, diutius suspensum teneant Apostoli, & conscientie terroribus excrucient, Christum Iesum proponunt, in quo omnes gratiæ diuinæ thesauros & salutem vniuersam comprehendi docent. Hunc nobis iustitiam, sapientiam, sanctificationem, satisfactionem & redemptionem factum esse tradunt. 1. Corint. 1. Sed præstat singulorum de hoc testimonia audire, cum omnes in hoc missi fuerint, vt Christi testes essent. Acto. 1. Ioan. 15. Exordiamur autem à Petro, vt illis satisfaciamus, qui huius autoritate primatû quendam Persicum in ecclesia stabilire conantur. Is cum ingens auditorû multitudo à Christo deficeret, interrogatus: Num & vos vultis abire? respondet: Domine, ad quem ibimus?

Conciliatores de
uersorû dogmatû

Summa doctrinæ
Apostolica.

Omnes homines
peccatores.

Omnis salus in
vno Christo.

C A P V T I I.

Verba vitę æternę habes. Et nos credimus & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei viui. Ioan. 6. Non videt ad quem relicto Christo eat Petrus, quia in solo hoc verbum & rationem vitę æternę ac salutis comprehensam videt. Idem coram senatu Hierosolymitano fidei & doctrinę suę rationem reddens, inter alia de Iesu Christo dicit: Hic est lapis ille, qui reiectus est à vobis & edificatus est in fundamentum, qui factus est caput anguli: nec est in alio quoquam salus. Non enim aliud nomē est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Acto. 4. Et apud Cornelium de eodem sic ait: Huic omnes prophetę testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Acto. 10. Alibi rursus scribit: Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, quod peccatis mortui, iustitię uiueremus. 1. Pet. 2. Et hæc quidem ex Petro adduxisse sufficiat. Ioannes verò, dilectus ille Christi discipulus, breui sententia quod alij multis dixerunt, complectitur dicēs: In ipso vita erat. Item: Quotquot eum receperunt, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri. Ioan. 1. Sed & supra cum omnes nos peccatores esse demonstrauisset, addit: Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1. Et paulò post: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Christum Iesum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. 1. Ioan. 2. Et infra non alij doctrinę credendum esse probabit, quàm quæ Iesum Christum nostrę salutis ergò in carnem venisse, & redemptorem nostrum factum esse, tradit. 1. Ioan. 4. Et si quis (inquit) ad vos venerit, qui doctrinam hanc non affert, illum ne in domum quidem recipite, & ne dixeritis ei, Aue, &c. 2. Ioan. 1. Habemus igitur duorum Apostolorum testimonia, quorum alter Christum præ cæteris dilexisse, alter à Christo præ alijs dilectus fuisse fertur. His si electū illud Christi organum & gentium doctorem Paulum coniungas, adeò nihil ab ijs quæ dicta sunt, diuersum inuenies, vt potius copiose explicatum & firmissimis argumentis munitum visurus sis, quod alij breuius docuerunt. Legantur ipsius epistolę, & imprimis, quas ad Rom. Galat. & Ephesios scripsit, & verū dixisse deprehendemus. In Synagoga Antiochena illum dixisse legimus: Notum sit vobis viri fratres, quod per Iesum Christum vobis remissio peccatorū annunciat, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Acto. 13. Idē alibi scribit: Certus sermo, & dignus quem omnibus modis amplectamur, quod Christus Iesus venit in mundū, vt peccatores saluos faceret. 1. Timoth. 1. Et rursus: Vnus Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. 1. Timoth. 2. Idem se non aliud nouisse testatur, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. Præterea absit (inquit) vt glorier, nisi in Cruce domini nostri Iesu Christi, &c. Galat. 6. Consentit hisce Apostolorum testimonijs primus noui testamenti præco, Ioannes Baptista, sanctissimus inter natos mulierum, qui Christum digito monstrans ait: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioan. 1. Et ne hominum testimonijs niti videamur, Dei vocem allegare possumus, qui post totas promissiones patribus de Christo exhibitas, post typos legales, post prophetarum oracula, cœlitus de illo pronunciat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Matth. 3. & 17. Et hæc quidem simplex & vnanimis est de salutis nostrę negotio Apostolorū doctrina, qua nos omnes peccatores esse, salutem verò in vno Christo contineri demonstrant.

Christianorū officia.

Fides in Christū.

Spiritualis cultus.

Transeamus nunc ad alterum apostolicę doctrinę caput, quo ea traduntur, quæ nostri sunt officij. Est & illud bimembre. Comprehendit enim ea quæ religionem spectant, & quæ ad vitę finem morum institutionem pertinent. In religione primas obtinet fides in Iesum Christū, quæ nos illi inserit, & per hunc diuinę gratiæ & regni cœlorum consortes reddit. Quæ causa est, quod Apostoli docent, nos sola fide in Christum iustificari, eò quod sola hæc Christum, qui iustitia nostra est, apprehendit. Et Paulus alibi, sine fide Deo neminem placere posse docet. Hebr. 11. Exigit hanc vbique Christus, cuius rei testimonia plura & luculentiora sunt, quàm vt multis ea recitari debeant. Ioannes certè, hanc causam finalē euangelicę prædicationis esse dicit, vt credamus, quod Iesus est Christus ille filius Dei, & credentes habeamus vitam per nomen eius. Ioan. 20. Possent hic de fide in Christum multa dici, quæ omittimus, eò quod commodior de illis dicendi locus infra ca. 3. offerretur. Manat ex fide hac spiritualis ille cultus Dei, quo totū sese Deo patri homo consecrat, de quo Christus Ioan. 4. & Apostolus ad Roman. 12. loquitur. Nec enim fieri potest, quin de amplexus in hoc diuinę bonitatis excellentiam sentire cœpit. At qui totus Deo consecratus est, externa non curat, nec frigidarum Ceremoniarum obseruationem multum moratur. Quare ab apostolica doctrina vehementer alieni sunt, qui circa Ceremonias occupantur, quasi in his vniuersa diuini cultus ratio consistat. Qui fidem in Christum habet, & per hanc Deo vnitus verbo Dei ducitur, illo gubernatur, iuxta hoc sua omnia instituit, is Dei verus cultor solus habebitur.

Christianæ

Christiane vitæ conuersatio iuxta apostolicam doctrinam in duobus consistit, sanctimonia nimirum vel puritate vitæ, & mutua dilectione. Quia enim nos Christi sanguine à peccatis ablutus docent, vitæ sanctimonia simul exigunt, vt in puritate ea maneamus, cuius nobis author Christus sua morte factus est. Hinc Paulus sanctificationem nostram Dei volutatem esse dicit, & tum ab omni alia impuritate, tum à scortatione cum primis dehortatur, quæ corpus Deo sacrum pollut. 1. Thessal. 4. 1. Corinth. 6. Idem nos in mortem Christi baptizari docet, vt cum illo ad vitæ puritatem resurgamus. Roman. 6. Et sanè magnam Christo iniuriam faciunt, qui pretioso sanguinis sui lauacro mundati, peccatorum luto sese temere polluunt, quos idem Paulus Christi abnegato esse dicit, eò quòd vita negent eum, quem ore profitentur. Tit. 1. At quia multi vitæ puritatem tum se præstare putant, quando in solitudines profecti hominum commercia fugiunt & sibi solis viuunt, alterum Christianæ conuersationis ex Christi doctrina præceptum Apostoli tradunt, charitatem videlicet, qua nos totos fratribus impendere iubemur. Hanc non temere Christus verè fidelium tessera facit, ex qua agnosci queant. Ioan. 15. Quia enim in Christo omnes nos eiusdè patris filij, imò vnus & eiusdem corporis membra facti sumus, eam inter nos charitatem esse conuenit, quam inter nostri corporis membra & fratres verè germanos videre licet. At cum de charitate in sequentibus multa dicturus sit Ioannes, quæ de ea dici poterant, in suum locum referuabimus. Nostrum est, apostolicè doctrinæ prima capita tenere, quibus nos peccatores esse, salutem verò in vno Christo contineri discimus, quæ nos fide amplecti decet, vt per hunc Deo vniti, illi seruamus in spiritu & veritate, retineamus verò vitæ puritatem & dilectionem fraternam. In his nos manere iubet Apostolus. Hæc enim ab ipsa mundi origine tradita fuerunt, & vnanimi omnium Apostolorum consensu, iuxta spiritus sancti inspirationem, ecclesiæ præscripta sunt.

Christiane vitæ
conuersatio.

I. Si in vobis manserit, quod audistis ab initio, & vos in filio & patre manebitis. Et hæc est repositio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Fructus perseverantiæ exponit, & amplissima præmia ijs pollicetur, qui in doctrina per Apostolos tradita constanter manent. Primum est: Vos in filio & patre manebitis. Promittunt hæc nobis communionem cum Deo, de qua primo capite dictum est. Meminit huius & Christus in euangelio, cum ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14. Comprehendunt hæc omnia, quæ ad hominis felicitatem spectant, quia impossibile est ei quicquam deesse, qui Deo, omnis boni fonte, tam familiari utitur. Eadem verò & summam hominis dignitatem ostendunt. Quid enim de hoc excellentius dici poterat, quàm quòd eo honore contubernalis esse velit? Quòd si autem hoc honore eos dignatur Deus, qui in doctrina veritatis per Apostolos tradita perseverant, satis euidenter patet, à Deo alienissimos fore, qui apostolicæ doctrinæ reclamant, ei aduersantur, vel nimium leues ab illa deficiunt. Docent idem & Christi verba ad Apostolos, quæ in euangelio habentur: Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Quicumque non exceperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes ex ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum vestrorum. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm ciuitati illi. Matth. 10.

Fructus apostolice
doctrinæ.

Alterum, quod perseverantibus in doctrina apostolica pollicetur, est vita æterna. Est verò secundum hoc prioris consequens. Quia enim Deus ipsa vita est, non potest non æternum viuere, quicumque Deum in se manentem habet. Cæterum quò maior esset huius promissionis auctoritas, non suo nomine hanc proponit Apostolus, sed Christum ipsum allegat huius promissionis auctorem. Is enim iam Crucem aditurus pro omnibus illis orat, quicumque iuxta Apostolorum sermonem in ipsum credunt. Ioan. 17. Et Apostolos in orbem emittens prædicatum, ait: Ite in mundum vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Mar. 16.

Quoties ergo hodie de constantia fidei in solum Christum & perseverantia in doctrina apostolica cõtendimus, non de lana caprina lis est, nec de rebus (vt multi putant) superuacaneis, sed de salute nostra & eius causis principalibus agitur. Nam Christo teste, qui euangelio per Apostolos prædicato crediderit, saluus erit: qui illi credere detrectat, condemnationi & morti æternæ subiacet. At grauius multò est & pœnam atrociorē meretur, fidem datam Christo negauisse, vel à veritate cognita deficiuisse, quàm eius lucem nunquam voluisse admittere. Si enim quouis malo dignus est, qui fidem suam apud homines fallit, quantò horribilius peccat, qui Deo patri, qui filio Dei, cuius sanguine redemptus est, fidem in baptismo datam, & toties obstrictam, quoties cum fidelibus mensæ domini communicauit, fallere audeat? Meritò igitur de talibus Apostolus scribit: Pæcta sunt illis postrema peiora primis: Et satius fuisset illis, non cognouisse viam iustitiæ,

C A P V T I I.

quàm vbi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto præcepto. 2. Pet. 2. Hæc olim non oscitantibus animis expenderūt sancti Dei martyres, qui corpora potius horribilibus tormentis excrucienda præbere, & cum sanguine animas ipsas profundere maluerunt, quàm à Christo & doctrina veritatis deficere. Horū exemplū nobis imitandum, proponamus. Felix ille dolor est, qui pro veritate defendenda sustinetur, & æternis regni cœlorum gaudijs terminatur. Reuera autem infelices & miseri sunt, qui breui perituram mundi pacem, & instabilem carnis voluptatem, æternæ beatitudinis iactura redimunt. Quid enim prodest homini, si totū mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Matth. 16.

Officium pastoris

Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Repetit periculi mentionem, ne frustra hæc monuisse & tanto studio inculcauisse videatur. Nisi (inquit) essent, qui vestræ saluti insidias abducere studerent, veritatis doctrinam suis commentis inficiunt, qui à via salutis ad auia perditionis abducunt, facile hoc meum studium omittere & animum tam sollicita cura liberare poteram. Sed cum seductores multi sint, & iam nunc agere incipiat iniquitatis mysteriū perditionis filius Antichristus, hæc non potui non scribere, nisi mercenarium me præbere, non bonis pastori officio desingere, voluissim. Admonet hæc Ioannis cura omnes dominici gregis pastores, vt lupos obseruent diligenter, vt falsas doctrinas arguant, seductores accusent, deniq; in hoc toti sint, ne quis ipsorum negligentia & incuria impostoribus eiusmodi præda fiat. Nec enim illi audiendi sunt, qui hunc laborem superuacaneum esse putant, & interdum seditionum auctores esse dicunt, qui in erroribus arguendis fidelem operam nauant. Sunt hi stolidarum ouium instar, qui pericula potius incurrere quàm vitare malunt, quorum stoliditati prudens pastor non cedere, sed potius fidei industria occurrere debet.

Didicimus hoc sermone, fratres, inter controuersias de fide & religione tutissimum asyllum esse perseverantiam in doctrina primitiæ ecclesiæ per Apostolos tradita. Audiuimus in quibus illa versetur, & quàm ampla huius constantes obseruatores præmia maneant. Suspectos itaq; habeamus omnes eos, qui ab huius simplicitate nos auocant. Christi solius vocem sectemur, quod ouium ipsius proprium est. Sic fiet, vt omnibus errorum laqueis exempti, Deo patri tuto seruire possimus, æternæ vitæ coronam olim recepturi ab eo, cui debetur benedictio, honor, gloria & postestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X I I I I.

Et unctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis. Et non necesse habetis, ut quisquam doceat vos: sed sicut ipsa unctio docet vos de omnibus, & uerax est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non pudeamus ab eo in aduentu eius. Si scitis quod iustus est, scitote, quod omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

Quamuis multa sunt corruptionis nostræ argumenta, quibus illa facile agnosci potest, euidētissimè tamen seipsam prodit in causa religionis & salutis nostræ negotio. Cum enim Christus Iesus omnem salutis rationem breui & dilucido compendio proponat, iugumque eius (vt ipse fatetur) sit suaue & facile, ea tamen est ingenij humani peruersitas, vt contempta simplici Christi traditione, & relicta salutis via plana & facili, ad ea conuertamur totis animis, quæ nec esurientes animas pascere, nec sitientium æstum restinguere possunt: imò relicto fonte aquæ uiuentis cisternas vacuas & pertusas nobis effodimus. Ier. 2. Meretur tanta ingratitude, vt successum aliquem falsis doctoribus Deus permittat, vt efficacem illusionem sentiant, qui veritatis amore amplecti noluerunt. 2. Thess. 2. Quia tamen idem ille suorum curam habet, & eisdem paterno animo semper prospicit, frequenter de falsis doctoribus & erroneis doctrinis admonet, & erudit, vt harum laquei caueri possint. Sunt eius argumenti tam in veteri quàm nouo Testamento infiniti loci, quibus postrema huius Capitis pars, quæ de Antichristianis doctoribus agit, adnumerari debet. Comprehendit hæc plenissimè quæcunque de hac causa dici possunt. Docuit enim falsos do-

los doctores agnoscere, & vt in simplici apostolicæ doctrinæ veritate constanter perseuerent, mouit. Pertinet ad admonitionem hanc & præsens hic locus, quo doctrinam apostolicam aliquot argumentis commendat, illius certitudinem & omnibus numeris absolutam perfectionem describens, vnâ cum amplissimo præmio, quod eius sectatores in nouissimo die recipient. Tandem locum hunc concludens ad sequentem tractationem commodè transit. Nos singulas huius loci partes, qua fieri poterit breuitate, percurramus.

*Argumentum præ
sentis loci.*

I. Et unctio, quam uos accepistis ab eo, manet in uobis. Et non necesse habetis, ut quisquam doceat uos: sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, et uerax est, et non est mendacium. Et sicut docuit uos, manete in eo. Comprehendit his uerbis apostolicæ doctrinæ certitudinē & absolutam perfectionē, quæ duo ad doctrinarum cōmendationem plurimū faciunt. Quis enim incerta dogmata uel amplecti, uel eadem cum uitæ periculo tueri, uelit? Quis itē eam doctrinā magni faciat, cui multa adhuc deesse uidet, quæ ad eius perfectionē necessaria sunt? Vtrumq; autē eo testimonio probat, quo nullū & plenius est & irrefragabilius, spiritus sancti nimirum, quē fideles singuli intra animos suos testificari de se de sua sentiunt. Hunc enim unctiois uocabulo intelligi, ex superioribus patet. Sic ergo dicere uideatur Apostolus: Si ea doctrina recipi & retineri meretur, quæ & certa & absoluta est: præ omnibus alijs retineri debet constantissimè, quā de Christo per Apostolos traditā habemus. Hac enim nihil certius & absolutius est. Nec longè huius argumenta petantur. Vos enim ipsos appello, & cōscientiarum uestrarum testimonia audire cupio, quibus Christi spiritus inest, quē is fidelibus suis promissit, & promissum liberalissimè largitur. Is quid credi à uobis debeat, uos edocet. Idem in cultu tam externo quàm interno uos instruit. Deniq; de omnibus, quæ salutem seruiunt, sic instituit, ut nullo alio doctore uobis opus sit. Vnus siquidem hic plus præstat, quàm nemo hominū præstat reposcit. Colligantur. n. in vnū Rhetores eloquentissimi, Dialectici acutissimi, Philosophi sapientissimi, profundissimi Theologi, & iungantur his quicumq; aliqua autoritate in mundo ualent: nunquam tamen omnes illi efficiunt, ut hominis animus, in salutis causa fluctuans, tutū fidei portum inueniat. Solius spiritus Dei hoc opus est. At si hunc consulatis, nostræ doctrinæ omnino astipulabitur. Agnoscet enim Christi uocē, cum Christi spiritus sit. Et de salutis uestræ ratione, quæ per nos traditur, tā certos faciet, ut nullis nouis traditionibus, nec alicuius generis additionibus uobis opus sit. Est hæc singularis euangelicæ doctrinæ dignitas, & admirabilis fidei in Christum Iesum uirtus, quam soli sentiunt, qui ea non frigidis modò uerbis gloriantur, sed eandē in animis suis uia & ueritatem apprehenderunt. Cum hac si conferas omnes aliarum religionum doctrinas, eas nullius precij & momenti esse uidebis. De omnibus enim, qui in religionē humanæ sapientiæ traditiones sequuntur, uerissimè dicitur, quod Samaritidi respōdet dominus. Vos adoratis quod ne scitis. Ioan. 4. Cum enim cor hominis sit imperuestigabile, nō possunt non fluctuari & dubij herere, quicumq; cordis humani placitis nituntur. Soli Christiani adorant quod sciunt, eò quod fidei suæ & religionis fundamentū habent, Iesum Christum, super quo ipsi uiui lapides in domū spirituales ædificati sunt. 1. Pet. 2. Quamobrem rationibus hisce Ioannes præceptum interserit, ut nimirum in eo constanter maneant, quod unctio, id est, spiritu sancto docentur. Sunt tamen hic quædam paulò diligentius nobis excutienda, priusquam ad reliqua transeamus.

*Apostolorum do
ctrina certa &
perfecta.*

Primo dicit Ioannes: Non necesse habetis, ut quisquam doceat uos. Quæ uerba nonnulli eò torserunt, quasi uerbi ministeriū quod Christus in ecclesia instituit, euertant. Sed falli eos, si nō alijs argumentis, saltem Christi exemplo probari potest, qui per euangelij prædicationem homines ad fidē & salutis cōmercium adduci uult. Et iam discessurus à suis inquit: Oportet prædicari sub nomine meo pœnitentiam & remissionē in omnes gentes. Luc. 24. Et Paulus ait: Quomodo credēt ei, de quo non audierunt? Quomodo autē audient absq; prædicante? Rom. 10. Et alibi Christum Iesum ecclesiæ suæ dare dicit apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores ad institutionem sanctorum. Eph. 4. Errant itaq; qui hac Ioannis sententia ecclesiæ ministerium & docēdum munus abrogari putant. Nouas potius traditiones oppugnat apostolus, quibus fideles nequaquā opus habere dicit. Quia enim in Christo data sunt nobis, quæcumq; ad nostram institutionē & salutem faciunt, ineptū est, illis aliquid adiuuere uelle. Quid enim humana ratio excogitabit, quod diuinis mandatis conferri queat? Aut nū illa imperfecta putabimus, & humanarum traditionum afumento indigere? Itane hominē Deo non æquabimus modo, uerum etiā præferemus? Christus nobis à Deo patre sapientia factus est. 1. Corinth. 1. In Christo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri recōditi sunt. Col. 2. Hunc ergo audiamus, nec extra hunc aliquos admittamus doctores, qui nos uos fidei articulos cōdūt, & uia salutis, quā fidei nostræ antecessores ignorauerūt, mōstrare audēt.

*Nonæ traditio-
nes nō necessariæ*

Deinde ait Apostolus: Sicut uos docuit, manete in eo. Præcipit perseuerantiam, de qua in præcedēti sermone satis dictum est. Obseruandus uerò hic est perseuerantiæ modus & regula, quam

*Christiana perse
uerantia modus*

nisi obserues, sub perseuerantiæ Christianæ prætextu pertinax eris & impiè rebellis: quales multi hodie sunt, qui ne leues videantur, olim conceptos errores deponere nolunt, nec à maioribus acceptam superstitionem exuere. At Ioannes nos in Christo manere iubet, nec id simpliciter, sed sicut (inquit) spiritus vos docuit, sic manete in eo. Falluntur ergo, qui in ea fide et religione perseuerare volunt, quam spiritus in scripturis non docuit, nec in animis ipsorum suo testimonio probat. Falluntur etiam, qui Christum fingunt alium, quàm qui scripturis traditur: vt qui saluatorem quidem fatentur, non autem soli tribuunt quæ salutis nostræ sunt, sed infinita cõminiscuntur, quæ Christi defectus suppleant, & ipsius imperfectioni succurrant. Sunt tales qui vnà cum Christo alios habent apud Deum aduocatos, iustitiæ Christi suorum operum iustitiam coniungunt, sacrificium Christi nouo Missæ sacrificio perficiunt, & alia eius generis commenta pertinaciter retinent. Aut enim nullus Christus habendus est, aut talis, qualem scripturæ tradunt, credendus erit. Hæ autem non saluatorem modò, sed vnicum saluatorem esse tradunt. In his non mediatum modò inter Deum & homines, sed vnicus mediator esse dicitur. Spiritus illum non immolatum modò in ara crucis esse docet, sed victimam illam semel duntaxat oblatam, & sufficientem expiationem esse affirmat pro peccatis totius mundi. Simili ratione vnicus populi sui rex, vnicus & æternus sacerdos, vnicus ecclesiæ suæ sponsus, vnicum sui corporis caput nobis describitur. Vni & soli redemptionis nostræ gloria cedere debet. Vni & soli debetur suæ ecclesiæ regimen. Talem ergo agnoscamus, & in agnito constanter perseueremus. Id qui faciunt, doctrinam sequuntur verè apostolicam, cuius cettitudinem spiritus sancti testimonium demonstrat, & cuius perfectio tam absoluta est, vt nulla aliarum traditionum additamenta ferre possit. Iugulantur his verbis omnes humanae traditiones quocunq; fucò & prætextu ornentur. Quia non necesse habemus, vt quis alia nos doceat, quàm quæ spiritus tam in scripturis quàm animis nostris testatur, & talem nos Christum firmiter retinere decet, qualem idem spiritus in scripturis tradit.

Fideles in iudicio Christi sub-
stant.

I I. Et nunc filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et nõ pudeamus ab eo in aduentu eius. Est hæc altera apostolicæ doctrinæ cõmendatio, quæ sinè lætissimum & amplissimum præmium continet, quod eius sectatores expectant. Ideo (inquit) manendũ in Christo, qui vobis per euangelij prædicationem traditus est, quia qui in hoc manent, illius aduentum certa fiducia sustinere poterunt, nec in illo cum alijs impijs pudebunt. Loquitur autè de aduentu Christi ad iudicium, in quo fratres suos & coheredes agnoscat eos, qui ipsum vera & cõstanti fide retinuerunt & coram hominibus liberè cõfessi sunt. Rursum verò fratres suos esse negabit, nec in regni sui cõfortium admittet, quicumq; mudi huius degeneris & adulteri autoritatè tanti fecerint, vt ipsum negare, & à fidei veritate declinare audent. Vide de hoc Matth. 10. & Marc. 8. Sunt hæc diligenti cõsideratione digna. Nec enim ea erit eius iudicij ratio, quam in nostris sæpe feruari videmus, ubi actorem multis modis fallere, iudicè detrectare, testes reijcere, causas in aliud tempus protrahere, locum iniquum causari, & infinita alia cõminisci possumus, quæ causam iniquam aliquo modo iurare possunt. Hic enim necessariò omnes sistemur ad tribunal Christi, qui in gloria patris sui veniet, vt reportet vnusquisque ea, quæ in corpore suo designauit, siue bona, siue mala. Rom. 14. 2. Cor. 5. Accusatorẽ habebimus illo tempore, non diabolum, qui & ipse tunc finalè suæ damnationis sententiã recipiet, sed propriam conscientiam quæ mille testiũ loco est, quam fallere nunquã licebit. Iudex erit, qui non ex aliorum verbis de causa præsentis pronuntiabit, sed quæ ipse vidit. Vidit autè omnia, cum scrutator sit cordiũ & renum. Psal. 7. Hic causam nostrã sustinere & tueri solus Christus poterit, qui & iudex est. Quos enim hic pro suis agnouerit, eos illi coheredes esse volet Deus pater. Quos idè reiecerit, in ignem infernalẽ cum diabolo & angelis ipsius æternum cruciandi detrudentur. Pro suis autè agnoscat Christus, quicumq; euangelio per Apostolos prædicato crediderunt, & sermonẽ Apostolorum, ceu fidei sui regulã infallibilem, secuti sunt, & propter nomen ipsius affligi potius, quàm illud abnegare, voluerunt. Testatur hoc, cum se nõ pro Apostolis modò orare dicit, sed pro omnibus ijs, qui in se credunt, iuxta doctrinã per Apostolos traditã. Ioan. 17. Huic diei conditionẽ quicumq; diligenter expenderit, intelliget quãtum bonum sit, quod hoc loco Ioannes pollicetur: sentiet quoq; quod infelix & horribilis futura sit illorum confusio qui Christũ abnegare, cõtemnere, doctrinã et membra eius persequi ausi sunt. Nam vt sapiens inquit: Prohibent pauidi peccatorũ suorum reputatione, suisq; sceleribus coram conuincuntur. Tunc iustus coram oppressoribus suis laborumq; suorum vituperatoribus magna cum audacia stabit: quo illi viso, grauè pauore percellẽtur, & præ inopinata salute stupefcẽt. Pœnitentiã tacti, & præ angustia spiritus gemẽtes, sic apud se dicẽt: Hic est ille, quẽ risui quondã habuimus, puerbioq; cõtumelioso. Stulti vitã eius existimabamus vesaniã, & exitũ eiusdẽ ignominiosum. Itãne vnã cũ filiis Dei adnumeratus est, & suã inter sanctos sortem adeptus? Aberrauimus vtiq; à via veritatis, lumen iustitiæ non

Iudicij extremi

substant

fulsit nobis, nec intelligentiæ sol est exortus. Itinerib. iniustitiæ & interitus affatim vsi sumus: per-
uafimus inuia deserta, viâ verò domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia? diuitiæ fastuo-
sæ quid nobis contulerunt? Tanquam vmbra nunciûsq; transcurrens illa præterierunt omnia, &
in modum nauis fluctuosas aquas permeantis, cuius elapsæ vestigium non inuenias, &c. Vide lo-
cum Sap. 5. cap. & elegantem videbis confusionis, quæ impios manet, hypotyposin.

Docent hæc quanta fidei in Christum Iesum præstantia sit, quæ tum iuuat, quando omnia
huius mundi suos cultores fallunt, & præsidio suo destituunt. Nec enim in illo die aliqua erit diui-
tiarû utilitas, vt quæ vno incendio vnâ cû elementis consumptæ erunt. 2. Pet. 3. Non pderit insana
mundi gloria, quæ nulla omnino supererit. Non iuuabûr eloquentia & prudètia humana simul cõ-
iunctæ, quia non verbis nec humanis rationib. sed diuinæ iustitiæ sentètia irrefragabili lis illa termi-
nabitur. Non clientû & amicorû fauore siue patrocinio defendi poterimus, eò quòd omnes ab eo
dè iudice iudicandi sunt. Sola fides in Christû ea nos iustitia vestire potest, quæ iudicè nobis non
equû modò & beneuolû, verumetiam fratrem facit. Hac qui carent, veste nuptialis carent, sine qua e-
terni gaudij nuptijs interesse nõ licet. Matth. 22. Allegabunt quidè multa, quibus cœli cõmercium
se meruisse dicet: sed dicetur illis: Nõ noui vos. Discedite à me, pcul operarij iniquitatis. Matth. 7.

*Fidei Christianæ
præstantia.*

Habemus hoc loco ingens piorum & impiorû discrimen. Pij fiduciâ habent in aduentu Chri-
sti, imò in hoc sperant, illum auidi expectant, huius spe quæuis aduersa fortiter & patienter susti-
nent. Norunt enim, Christû tunc quoq; ipsis saluatorè fore. Et cum ea, quæ diè aduentus Christi
præcessura ipse prædixit, euenire vident, non animis suis pauidi consternantur, nõ desperant, sed
iuxta præceptû Christi, attollunt capita sua, eò quòd diè redemptionis suæ instare noterûnt. Luc.
21. Sic fortissimus ille patientiæ miles Iob, maximû consolationis argumentum ex nouissimi diei
consideratione sumit, cû ait: Noui & ego, quòd vindex meus viuit, & nouissimo tempore adhibe-
bit suâ vim pulueri. Postquâ verò circumdederint hoc mea cute, spectabo Deû è carne mea. Quæ
ego mihi cõttemplabor, & oculi mei videbunt, & non alius: quod vnicû meum est desyderiû. Iob.
19. Eadem mente præditum legimus Paul. Apostolum, qui cû sub Nerone tyranno truculentissi-
mo captiuus in singulas horas carnificis ensem expectaret, magna cum animi fiducia scribit: Ipse
iâ immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Certamen bonû decertavi, cursum consummaui, si-
dem seruaui. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quâ reddet mihi dominus in illo die,
qui est iustus iudex: non solûm aut mihi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum ipsius. 2. Tim. 4.

*Discrimen piorû
& impiorum.*

Cum his si impios & à fide Christi alienos conferas, longè alios videbis. Quia enim cœlestia igno-
rant, terrenis solis inhærent, in his voluptuantur & sperant, nihil illis molestius incidere potest,
quàm nouissimi diei mentio. Sentiant enim in animis suis conscientiæ stimulû, quæ illos tanti iu-
dicis conspectû minimè sustinere posse docet. Ne tamen cogitatio hæc ipsos omni gaudio & volu-
ptate spoliaret, multis artibus illâ eludunt, & argumenta fingunt, quibus vel reclamante propria cõ-
scientia, omnè de aduètu Domini doctrinâ in dubiû vocent. Nâ vt Petrus illorû sermones descri-
psit, ferè dicunt: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidè ex quo die patres dormierunt, sic om-
nia permanent vt ab initio conditionis 2. Pet. 3. Ab anteaetis enim falsò argumentantur, & quia
mundû hunc per annos plus quinquies mille durauisse, nec vnquâ interitum sensisse vident, nul-
lam omnino eius consummationè fore dicûnt. Deinde & patres accusant, qui & ipsi vana spe ducti,
finem mundi frustra expectarint. At omnia hæc eò tendunt, vt sibijpsis animum faciant, ne mole-
sta cogitatione rei, quâ maximè oderunt, infestati rerum mundanarû voluptatem amittant. Eius-
dem rei gratia & sacras cõciones deuitant, quibus cogitationes istæ excitantur, & cõpotationibus
potius indulgent, cum q; sui similibus conuersantur, quòd facilius omnem harû rerum memoriam
excitere possint. Sed sequitur illos infelix, de qua paulò ante diximus, cõfusio, cuius præludia in-
terdum in hac quoq; vita sentiunt, dum morte præmatura circumuèti, sibi è mundo migrandum
esse vident, nec aliqua futuri seculi cognitione instructi, nihil præter horribiles desperandè mè-
tis terrores experiuntur. Hæc vtinam obseruarent, quibus hodie volupe est omnem salutis do-
ctrinam ridere, religionem omnem in dubium vocare, & Christum lusum iocumq; ducere. Sed
tandem vltima huius loci verba, quibus tractationem hanc concludit, videamus.

III. *Si scitis quòd iustus est, scitote, quòd omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Videtur illis oc-
currere velle, qui fidè in Christum pfecti, apostolica doctrina gloriatur, cû interim sub huius præ-
textu carnis licentiâ quærant, & eius prauis desyderijs indulgeant turpissimè. Sic enim vult dice-
re: Cum iubeo vos manere in Christo, velim vos simul cogitare quis ille sit. Est is iustus, adeo quæ
ipsa iustitia verè dicitur. Ex hoc igitur nati non videbuntur, nisi qui & ipsi iustitiam fecerint. Est
aut iustitiâ facere, idè quòd iustitiæ studere, & illius officiû præstare, tâ in ijs quæ Deo, quàm quæ
proximo debentur. Memorabilis omnino sententia, quæ si tâ diligenter expenderetur, quàm fre-*

*Occurrit pseudo-
euangelicû.*

C A P V T I I I.

quens est Christiani nominis & apostolicæ doctrinæ professio, minus in Ecclesia offenculorū, plus autem pietatis & profectus in fide haberemus.

Iustificatiois ordo.

Obseruandus hic nobis est nostræ iustificationis ordo, ex quo & salutis nostræ certitudo & officia Christianæ vitæ dependent. Primum in hoc locū obtinet regeneratio, qua filij Dei nascimur. Nisi enim homo renatus fuerit è supernis, nō potest videre regnū Dei. Ioan. 3. Sed vt nō est humanarū viriū, nec arbitrij humani, naturalis nostra generatio, qua homines mortales nascimur, ita multò minus nostri arbitrij & virtutis erit, vt filij Dei nascamur. Confertur autē nobis ex mera gratia per Iesum Christum, quē vbi fide amplexi fuerimus, ipsi inferimur. Hic enim dat omnib. qui ipsum recipiunt, vt possint filij Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ioan. 1. Porro cū Christus iustitia nostra à Deo patre factus sit, necessariò iustificatur quicūq; illi per fidē inserti sunt. 1. Cor. 1. Nam ideo ille pro nobis peccatū factus est, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. 2. Cor. 5. Quid verò iustificati aliud q̄ opera iustitiæ facient? Siquidē qui exercet iustitiā, iustus est. 1. Ioan. 3. Naturali ergo ordine inter se cohærent, regeneratio ex gratia, iustificatio fidei per Christū, & iustitiæ veræ studiū, quod operari verè bona cōplectitur. Arguit hoc illorum impudentiā, qui fidei doctrina peccandi licentiā plā tari clamāt. Fatemur quidē plures esse, qui Christo & iustitia ipsius turpiter abutuntur: sed num propter impuros aliquos Epicuri de grege porcos, doctrinā Christi inuertere & corrumpere fas est? Vsum potius verum & finem iustificationis per Christum factæ respiciamus, qui est, vt abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè viuamus in præsentī seculo, expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu, qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem honorum operum. Tit. 2.

Constat ergo ex his, quæ hucusq; dicta sunt, apostolicā doctrinā, qua fides in solū Iesum Christum, vnicū mundi saluatore traditur, certā & irrefragabilē esse, vtpote quæ ipsius spiritus sancti testimonio in animis hominū obsignatur. Constat eandē & omnibus numeris esse absolutā, nec vllō nouarum traditionū additamento indigere. Vidimus insigne præmiū, quod illius sectatoribus Deus pater proposuit. Eam itaq; fide sincera amplectamur, sancta constantia retineamus, & secundum illius præscriptionem instituamus omnia nostra, vt in aduentu glorioso filij Dei fiduciam habere & cum illo in regno patris sui viuere possimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

C A P V T I I I.

H O M I L I A X V.

VIDETE quantam charitatem nobis dedit pater, ut filij Dei nominemur. Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum innotuit, quod futuri sumus. Scimus autem, quod cum apparuerit, ipsi similes erimus: quoniā uidebimus eum, sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in ipsum, purificat se, sicut et ille purus est.



Vamuis Deus, pater misericordiæ, in filio suo dilecto, domino & saluatore nostro Iesu Christo, quæcunq; ad humani generis salutem spectant, paucis & sufficienter cōprehensa nobis proponat: ea tamen est multorū peruersitas, vt vnico hoc saluatore nō cōtenti, salutem extra hūc, vel in proprijs vel aliorum meritis quærant. Euenit his, quod Israelitis olim euenisse legimus, qui derelicto fonte aquæ uiuentis, cisternas vacuas & pertusas sibi foderūt. Iere. 2. Quicunq; enim aquā proprijs viribus hausta biberit, sitiet iterū. Solus Christus aquā dat, quæ semel hausta, facit ne sitiamus in æternū. Ioan. 4. & 7. Contra eos igitur, qui aliò con fugiunt, hucusq; Ioan. multis disputauit. Docuit enim, nos, quoad naturā nostrā, peccatores esse, & tales quidē, qui cū Deo, æterna luce, cōmunionem habere non possimus. Rursum verò ostēdit, sanguine filij Dei nos à peccatis ablui: qui idē noster apud patrē aduocatus & intercessor sit, si quā do carnis infirmitate superati denuo peccemus. Simul quoq; monuit, vt in simplici hac euangeli j doctrina, per Apostolos tradita, perseueremus: cū reuera impostores & Antichristi sint, quicunq; Iesum

Iesum hunc Christum esse negare audent, & redemptionis nostrae gloriam alio transferunt. At cum haec doctrina proponitur, aliud prodit hominum genus, quibus non minori studio occurrere oportet. Sunt hi carnales & mundi studio dediti. Hi enim facile sibi persuaderi sinunt, ut Christum unicum saluatorem & unicam pro peccatis nostris satisfactionem agnoscant: sed sub huius praetextu carnis licentiam venando, ita viuunt, ut Christum (quem ore profitentur) factis & rebus ipsis abnegent. Tit. 1. Cum his ergo in sequentibus sermonem instituit Apostolus, multa de vitae Christianae officijs, maxime autem de vitae puritate & fraterna charitate disserens: quae singula suis locis videbimus.

Status siue primariae totius tractationis propositio est: **Qui habet spem vel fidem in Deum, purificet seipsum, sicut & ille purus est.** De hoc in praesenti loco sic agit. Primo a diuinae bonitatis commendatione orditur, ut illius consideratio in nobis studium Deo obediendi & eidem placendi excitet. Deinde offendiculo occurrit & medetur, quod ex corrupto de nobis mundi iudicio & assiduis tribulationibus oboritur. Tandem statum, cuius modo meminimus infert. Et de his modo pro gratia diuinitus data ordine dicemus.

I. **Videte quantam charitatem nobis dedit pater, ut filij Dei nominemur.** His fundamentum propositae disputationis iacit, diuinae erga nos bonitatis considerationem ob oculos nobis statuens. Non contentus vero, Dei bonitatem praedicasse, nos ut illam consideremus, adhortatione excitat. Similis locus in Psal. 34. extat, ubi sic legitur: **Gustate & videte, quam bonus sit dominus: felix ille vir, qui sperat in eum.** Poterat autem multa diuinae erga nos bonitatis et beneficentiae argumenta producere, utpote quod ex gratia nos condidit, cum nostri minimè indigeret: quod propter nos omnem hanc mundi machinam fieri voluit, cum ijs quae hac continentur: quod nos pascit, tuetur & omnis generis bonis quotidie accumulatur. Sed quia haec corpori ferè seruiunt, & caduca sunt ac temporaria: summi beneficij, quod in nos extat, meminit: eius nimirum, quod nos filios suos vocari voluit. Vocari autem idem est quod esse. Quae enim Deus vocat, talia reuera sunt, qualia ab ipso vocari solent: quia verax est, nec quenquam inanibus titulorum fucis & praestigijs ludit. Comprehendit hic titulus, quaecunque de hominis aeterna felicitate dici possunt. Si enim filij Dei sumus, ritique & haeredes. Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. Rom. 8. Et sic impletur, quod in primo foederis diuini articulo comprehensum est, dum Deus se nostrum Deum, & nostram omnifufficiantiam, fore pollicetur. Genes. 17. Exod. 20. Ierem. 31. Indicant haec singularem in Deo erga nos amoris affectum, qui tum luculentior erit multò, si circumstantias, quae hic incidant, simul omnes consideraueris. Obseruabis ergo eas hoc ordine.

Primo personae proponuntur, Deus & homo, quae sibi inuicem collatae admirabilem huic considerationi diuinae bonitatis lucem inferunt. Deus, quoad essentiam eius, aeternus est, immortalis, incorruptibilis, & extra omnem mundi huius fortunam constitutus. Attributa eius & propria sunt, quod est aeterna sapientia, infallibilis veritas, iustitia perfecta, lux inaccessa, insuperabilis potentia, gloria ineffabilis & maiestas immensa. His si hominem conferas, tam eum cum illo disidere videbis, quam album à nigro differt. Nam quoad essentiam hominis, creatura est, initium & finem habens: mortalis siquidem, est, & quamdiu hic viuit, tot aeternis & fortunae casibus obnoxius, ut arenas citius quam quae humano generi incidunt, calamitates numeraueris. Propria homini sunt ob innatam naturae nostrae corruptionem, stultitia, qua excæcatus non percipit ea quae sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. Mendacium, quo & seducit & seducitur. Psal. 116. Peccatum, quod omnes nos irae filios, & aeternae mortis reos facit. Rom. 3. Tenebrae excæcationis & vertiginis, quas & diligit, ne ipsius opera praua arguantur. Ioan. 3. Infirmitas carnis, quae nec peccati illecebris fortiter resistere, nec huius poenas patienter ferre potest. Ignominia & dedecus sempiternum, si iustitiae suae potius seueritatem, quam clementiae facilitatem Deus sequi velit. Quis ergo non stupore dignam censebit eam bonitatem Dei, quae ipsum, ut ad tam infelices creaturæ communionem sese demittat, nosque non amicorum modò, verumetiam filiorum & haeredum loco habeat, commouet? Clementiae singularis laudè principes ferunt, qui subditos vel salutare, vel familiariter alloqui dignantur. Sed nihil vel in vulgari homine, imò non in parente quidem, fingi poterit, quod non haec Dei bonitas longè superet.

Secundò medium inspiciendum venit, per quod eò dignitatis euecti sumus. Quia verò est hominis conditio, qualem modò descripsimus, nihil certè in ipso inuenies, quod eum in tam altum dignitatis gradum extollere possit. Hic ergo Christus prodit, unigenitus ille & dilectus Dei filius, patri coaeternus, consubstantialis & coequalis per omnia. Quia enim quoad nos, omnis & salus & salutis spes amissa erat, hunc hominem ex Maria virgine nasci, & fratrem nostrum fieri Deus voluit: ut sic nostram causam suscipere, nosque cofrater suos, Dei filios & haeredes facere posset. Nec enim aliud erat medium, quod hoc praestaret. Solus Christus is est, qui fide apprehensus nos sibi

Argumentum praesentis loci.

Diuinae bonitatis consideratio.

Deus nos sibi filios adoptat.

Dei & hominis comparatio.

Medium per quod filij Dei reddimur.

ita unit, vt nos in ipso simus, & ipse in nobis. Ioan. 6. & 15. Et huc referri debent, quæ Ioan. 1. legimus: In sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri: videlicet his, qui credidissent in nomen ipsius. An verò Deum patrem filio suo tam iniquum putabimus, vt huius incarnatione & morte nos saluare, & in filiorum numerum accensere voluerit, si vlla alia superesset eius dignitatis consequendæ ratio? Quis ergo hanc Dei erga nos beneficentiam satis admirabitur? Laudantur, & meritò quidem, qui ære suo captiuos vel ex carceribus vel è trementibus redimunt, & in libertatem asserunt: cum ijdem ferè in eo beneficentia gradu quiescant, nec bonorum suorum hæredes faciant, quos semel redemerunt. At Deus non auro & argèto, corruptibilibus bonis, sed sanguine filij sui nos redimere dignatus est. 1. Pet. 1. Nec hic quieuit ipsius beneficentia, sed redemptos filij sui consortes & cohæredes esse voluit.

Causa efficiens merito gratia Dei.

Tertiò causam efficientem huius rei considerasse iuuabit. Hic enim humana ratio, Deum vel nostram opis indigum, vel nostris meritis prouocatū fuisse putabit, vt tanta in nos beneficia conferre voluerit. Sed Ioannes vnica charitatis voce vtrumq; negat. Videte (inquit) quantam charitatem nobis dedit Deus. Charitatem dedit, non retributionem accepti à nobis beneficij. Eadem enim verba ipse infra exponet, dicens: In hoc est charitas Dei, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filiū suum, &c. 1. Ioan. 4. In eandem sententiam & Christus loquitur: Sic Deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitū traderet, &c. 1. Ioan. 3. Et ideo M V N D I vocabulo (quod plerunq; in malā partem sumitur) vt voluit, vt merā diuinæ gratiæ bonitatem assereret. Eodem faciunt, quæ à temporis circumstantia, imò ab æternitate, in huius causæ asserionem argumenta proferuntur. Nam Petrus Apostolus, Christum antequā mundus hic conditus esset, præordinatū fuisse dicit, vt ipsius merito redempti filij Dei efficeremur. 1. Pet. 1. Et Paulus nos priusquā mundi fundamenta iacerentur, electos scribit. Ephes. 1. Nec est quòd dicamus, Deum præuidisse quales futuri eramus, & meritis, quæ præuidebat, hanc gratiā ab æterno præparauisse. Contra has enim argutias & superbas philautiæ nostræ ratiocinationes omnis scriptura cõclamat. Isaias dicit: Omnes tanquā ouis errauimus. Isa. 53. Dauid se in peccatis cõceptum & genitum fatetur. Psal. 51. Deus figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua esse, testatur. Gene. 8. Solomon iustum in die septies labi, affirmat. Prou. 24. Paulus, Omnes (inquit) peccauerunt, & genitum fatetur gloria Dei. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c. Rom. 3. Item, Concluserit Deus omnia sub incredulitatem, vt omnium miseretur, Rom. 11. Si ergo gratis iustificamur, non utiq; ex merito. Nec enim meritum cum gratia conuenire potest. Si item nostri miseretur Deus, non est in nobis, quo iustitiæ ipsius rigorem emollire & gratiam demereri possimus. Omnis igitur hic euertitur nostrorū meritorum & operum fiducia, vt necessario cū sanctis orare cogamur: Domine: ne intres in ius cum seruo tuo: quoniam corā te nõ iustificabitur omnis caro. Psal. 143. Hæc est immensa illa Dei charitas, in cuius considerationem Ioannes nos abripit, tantam innuens, vt nullis humani ingenij viribus satis inuestigari, nec vllis hominum linguis pro merito prædicari possit: quæ & sola nostræ salutis origo est & colophon.

Vnus diuinæ bonitatis.

Sed quorsum (inquis) tã diligens gratiæ & bonitatis Dei consideratio seruit? Magni & salutarissimi huius fructus sunt. Nam prætequam superbam nostrarū virium & meritorum fiduciā nocentissimum salutis nostræ impedimentū, reprimat, præsentem etiã Ioannis instituto mirè cõuenit. Prius enim officij nostri nos admonet, & studiū excitat obedientiæ, qua Deo, qui ita dilexit nos, placere possimus. Sed de hoc postea suo loco dicitur. Deinde, consolationem affert admirabilem, quæ sola omnes mundi molestias leuare, & animos in desperationis præcipitiū vergentes, reuocare potest. Si enim filios suos nos fecit Deus, seq; patrē nostrū profitetur, utiq; nostri memor esse & nostri curā gerere vult, quod patres fidos maximè decet. Testatur hoc ipse de se apud prophetam dicēs: Num obliuioni tradit mulier infantē suū, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar. Ecce in manib. istis ambabus insculpsi te, &c. Isa. 49. Hoc ergo nobis in animo ob oculos versetur, quoties vel propter paupertatē, vel morborū pertinationes, vel alia quæcūq; nos vexat aduersa, de Dei in nos beneuolentia dubitare incipimus. Sic enī vna hæc Apostoli sententia plus cõsolationis asseret, quàm ois totius mundi maiestas polliceri queat.

Sed obiiciat hic aliquis: Si filij Dei sumus, & pro talibus agnoscit pater, cur non idem ille efficit, vt totus mundus nos tales esse intelligat? Cur permittit, vt tanquam hostes Dei & ecclesiæ ipsius desertores contemnamur & conuictijs omnium proscindamur? Cur nos omni malorū genere ab impijs peti & obrui patitur? Est hæc frequens admodū tentatio, quæ ob carnis infirmitatem multum negotij facit infirmis adhuc & simplicioribus. Ea enim carnis natura est, vt ex præsentibus rebus veritatis fidei & salutis æternæ argumenta perat: quare non potest non vehementer offendi,

offendi, si videat ijs, qui fidem in Christum profitentur, & euangelicæ doctrinæ sese regendos præbuerunt, omnia aduersa cōtingere. Huic igitur offendiculo in sequentibus Ioānes occurrit dicēs:

II. *Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum innotuit, quod futuri sumus. Scimus autem quod cum apparuerit, ipsi similes erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est.* Duobus argumentis hic utitur Apostolus, quorum alterum à mundi ingenio, alterum ex futura fidelium Christi conditione desumit. Prioris sensus est: Si mundus hic Deum non nouit, utique & vos nouisset huius esse filios. Sed mundus hic Deum ignorat. Licet enim eius cognitione gloriatur, Dei nomen frequenter in ore habeat, vana tamen est omnis hæc gloriatio, quia Christum non amplectitur, sine quo nemo venit ad patrem. Ioan. 14. Fieri ergo nequit, ut vos pro Dei filijs agnoscat & reueretur. Potest etiā aliud ex his argumentum duci, ad hunc modum. Mundus eos nouit, id est, obseruat, amat & magnificat, qui de mundo sunt, & eius studia sequuntur. Vos de mundo non estis, sed Christus de mundo selectos patri suo, ceu obediens filios, consecrauit. Ioan. 15. Ergo mundus hic vos nec amare nec magni facere potest. Adde his & tertium. Mundus hic veritatis lucem odit, quia opera eius mala sunt, nec eos ferre potest, qui ut hæc luceat auctores sunt. Ioan. 3. Ergo nec vos ferre unquam poterit. Obseruamus in his diligenter, quid pij & fideles, dum hic viuunt, de mundo sibi polliceri debeant. Crucem nimirum perpetuam, & assiduos omnis generis aduersitatum fluctus. Christus enim inquit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. Alibi item: In mundo afflictionem habebitis, Ioan. 16. Rursus: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Ioan. 15. Quorum probè memor Paulus, ait: Omnes, qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. Tim. 3. Quid ergo o fratres offendimur, quando ea eueniunt, quæ Christus nobis euentura prædixit? Etenim stultissimi sunt mortaliū, qui Christianam fidem & religionem professi, Cruce & aduersis offenduntur, quos Christus suorum indiuisos comites esse voluit. Quin potius ad exempla sanctissimorum hominum respicimus, qui iam olim similibus casibus sunt exercitati. Primus ex Adamo natus Dei cultor fraterni odij sequitiam & parricidas manus expertus est. Quid Noe, quid Abraham, quid Lot, quid Isaac, Iacobus & reliqui fideles perpessi sint, partim historia sacra docet, partim ex illorum temporum conditione & impurissimarum gentium, quibus cōuersati sunt, corruptissimis moribus facile conijci potest. An ergo nostram conditionem illorum præstantiorem esse volumus? Meminerimus nos Dei filios & hæredes, hostes vero nostros duntaxat diuinæ iræ seruos, & iudiciorum Dei, quæ carnis nostræ infirmitas meretur, executores esse. Sæuiunt interdum in heriles filios nequam serui. Sed ubi hero visum fuerit, eijciuntur domo, cum filijs integra reposita sit totius patrimonij hereditas. Ideo Paulus pij & fidelibus hoc quasi proprium tribuit, quod in afflictionibus quoque gloriantur. Rom. 5. Et ipse non in excellentia reuelationum alijsque donis, quæ mundo quoque præclara videntur, sed in infirmitate & aduersis, pro Christo exhaustis, gloriari solet. 2. Cor. 11. & 12. Qui hoc facere norunt, eos nulla mundi infania ex fidei gradu unquam deijcere poterit.

Fides non mouetur mundi iudicio.

Pijs in mundo crux parata.

Alterum argumentum à futura fidelium conditione desumptum sic enunciat: Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum innotuit quod futuri sumus. Scimus autem quod cum apparuerit, ipsi similes erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Ratio argumenti talis videtur. Quicumque ita stabilem felicitatem & immarcescibilem gloriam sibi repositam norunt certo, præsentis vitæ incerta & instabili fortuna minime affici vel concuti decet. Atqui nos scimus quam ampla conditio, quæ gloria & felicitas in Christi aduentu parata sit. Quid ergo ob huius seculi aduersa de patris erga nos voluntate dubitamus? Cæterum quod paucis dici poterat, propter consolationem nostram paulò fusius explicat. Charissimi (inquit) iam nunc filij Dei sumus. Quasi dicat: Non ex incerta spe pendemus, nec dubia est nostræ salutis conditio. Ad hæc non expectandum nobis, quando post molestam diuini temporis moram à Deo in filiorum locum adoptemur. Sed iam nunc Dei filij reuera sumus. Quod autem nec mundus tales agnoscit, nec nostræ carni id semper persuadetur, hinc est, quod nondum innotuit publicè ea, quæ nos sub Christi aduentum manet, gloria. Interea certò scimus nos, quæ illa futura sit. Nam Christo similes reddemur, qui (ut Paulus ait) transfigurabit corpus nostrum humile, ut cōforme reddat corpori suo glorioso, secundum potentiam, qua potest sibi subijcere omnia. Phil. 3. Cōprehendit verò hac locutione Ioānes, quæcumque ad corporum & animarum perpetuam felicitatem spectat. Ut enim Christus in morte non mansit, sed tertio die resuscitatus est: ita nec nos à morte æternum detinebimur, sed virtute resurrectionis Christi resurgemus & nos. Ut Christus illo ipso corpore, quo in Cruce pro mundi peccatis oblati & acerbos mortis dolores perpessus est, resurrexit, clarificato tamen & ab omni corruptibilitate liberatus: ita & hæc nostra corpora, quæ modò esuriunt, sitiunt, algent, laborant, & infinitis periculis vndique imminentibus subiacent, resuscitabuntur, sed clarificatione excocta, quæ omnem ex peccato

*Certitudo gloria
pijs parata.*

corporibus obortam molestiam absorbet. De hac Paulus scribens inquit: Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia. Item: Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. 1. Corinth. 15. Præterea ut Christus nunc in gloria patris sedens regnat, nec regni eius erit finis: ita fideles eiusdem cum illo gloriæ & regni consortes cernentur. Ipse enim dixit: Vado paraturus vobis locum. Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, ut vbi ego sum, & vos sitis. Ioan. 14. Et alibi: Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Luc. 22. Item: Pater, quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum, &c. Ioan. 17. Non ergo Apostoli Ioannis, sed Christi verba agnoscimus, quibus hæc nobis promittuntur. Sed addit & causam huius glorificationis nostræ: Quia videbimus eum sicuti est. Videbunt & impij Deum in iudicio. Videbunt Christum, in quem pupugerunt. Ioan. 19. Sed quia conscientiarum terroribus illos concutiet tam seueri iudicis iustitia, non inde gloriam & gaudium, sed confusionem & dolorem reportabunt. Pij verò patrem cernent, paterni pectoris largissimas indulgentias experientur, conscientiarum fiducia erigentur, & ita in conspectu Dei stabunt semper, in quo est satietas gaudiorum perpetuo. Psal. 16.

Vnde salutis certitudo?

Vnde verò hæc Ioanni fiducia, quod hæc tam constanter affirmat? Quod non credendi aut sperandi, sed sciendi verbo utitur. Scimus, inquit, quod ei similes erimus. Operatur hoc in animis fidelium spiritus Christi, qui arrhabo salutis & adoptionis nostræ, indefinenter in animis nostris nos Dei filios esse testatur. Plura de hoc apud Paulum videre est. Ephes. 1. 2. Cor. 1. & 5. Rom. 8. Gal. 4. Et est hæc magna fidei & salutis nostræ tam certitudo quam gloria, quod non nostris opinionibus, non hominum stipulationibus, non angelorum promissis, sed ipsius spiritus sancti testimonio intra animos nostros obfirmatur.

Vt de fidelium statu iudicandum?

Ceterum, quod huius loci caput est, probe obseruemus: ut de nostra & omnium fidelium Christi fide & beatitudine, non ex præsentis vitæ conditione, sed præparata illis in futuro seculo gloria iudicare discamus. Incredibile dictu, quantum hic erretur cæco hominum iudicio, qui dum præsentis vitæ commoda vnicè quærunt, ex eius conditione de fide & religione pronunciant. At si eius iudicij aliqua debet esse autoritas, iam nemo erit sanctorum, quotquot à prima mundi huius origine extiterunt, quem non damnari oporteat. Imò nec ipse Christus sententiam hanc tam præcipitem effugere poterit. Is enim post infinitos labores & horrenda pericula in crucem inter latrones medius affixus est, ut iuxta prophetæ sententiam ex eorum numero videri posset, qui diuino iudicio damnati scelera pœnas exoluunt. Isa. 53. Cogitemus igitur in cœlis patriam nostram esse, in qua cœlestis hæreditatis thesauri nobis repositi sunt, quos nulla fortunæ iniquitas, nulla diaboli ferocia, nulla etiam principum tyranniam eripere poterit. Cogitemus aliud superesse iudicium, ad quod filius Dei in gloria patris venturus palam monstrabit, quantum discrimen miriter iustum & iniustum, contemptorem Dei & eiusdem fidum cultorē. Malach. 3. Cogitemus mirabilem rerum vicissitudinem, quam tunc videbimus. Qui enim hic propter Christum & veritatis studium afflicti sunt, pro filiis Dei dilectis agnoscentur: confusi autem & reprobi stabunt, qui totius mundi fauore & applausu muniti, illos persequi ausi fuerunt. Lege in libro Sapientiarum cap. 5. & plenam huius retaliationis cognitionem auferes. In hanc qui animi oculos conferunt, & de aliorum conditione iudicaturi illorum fidem ex verbo Dei æstimant, nunquam fallentur, & de mundo hic sursum & deorsum perturbet. Sed statum huius loci videamus, quem omnibus istis infert ad hunc modum.

Fideles purificationi studeant.

III. Et omnis, qui habet hanc spem in ipsum, purificat se, sicut & ille purus est. A fidei ingenio argumentum ducens fideles sui officij admonet. Ingenium fidei est, ei se quoad fieri potest, conformem reddere, cui nititur. Nititur autem vni Deo, qui purus, immaculatus & sanctus est. Purificationi ergo, sanctificationi ac innocentiarum & ipsa studet. Potest etiam à fine vel præmio fidelium argumentum formari, ut præcedentibus sic cohæreat: Quicumque olim in glorioso Christi aduentu Dei similes fieri cupiunt, eos dum hic viuunt, Deo se conformes facere oportet. Impossibile enim est ut ad Dei similitudinem vnquam pertingamus, nisi eius studium in hac vita suscipiamus, quando defunctis nulla superest quicquam operandi occasio. Hic ergo purificationis nostræ initium faciamus, ut coram Deo puro & sancto in die iudicij subsistere possimus. Nihil vero hic exigit Ioannes, quam quod vnanimi totius scripturæ consensu præscribitur. Fœderis cum Abrahamo facti caput est: Ego sum Deus omni sufficiens: ambula coram me, & esto integer. Gene. 17. In lege idem dominus dicit: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Levit. 19. & 20. &c. Eodem totus Psalmus 15. referri debet, hanc ipsam felicitatis consequendæ viam commonestrans. Et apud prophetam spiritus sanctus clamat: Quis ex nobis habitabit cum igne deuorante? Quis

Quis habitabit cum ardoribus æternis? Qui ambulat iniustitijs, & loquitur quæ recta sunt: qui abhorret ab emolumento per vim & calumniam quæsito, qui excutit manus suas, ne munus contrectent: qui aures suas obturat, ne audiat sanguines: & oculos suos comprimit, ne intueatur malum. Isa. 33. Atqui omnibus istis veram sanctimoniã & puritatem vitæ quasi per partes vel species describit. Huc dictum Christi pertinet: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matt. 5. Et alibi pedes, id est, affectus carnis, quibus ceu pedibus in viam malitiæ & impuritatis ferimur, abluere docet. Ioan. 13. Ad eundem modum D. Paulus scribit: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes, quæ non nouerunt Deum. 1. Thess. 4. Sed tempus me deficeret, si omnes locos, qui sanctificationis & puritatis studium nobis commendat, recensere vellem. Illud obseruasse sufficiat, non posse leuiculum & nullius momenti esse, quod tot ac tam diligentibus vtriusq; scripturæ testimonijs nõ modò comendatur, sed vt supremè necessarium exigitur. Consideremus ergo diligenter, quæ ad purificationem istam pertinent.

Primum, quid purificari oporteat, inquirendum erit. Vbi totus homo sese offert, qui quãtus est, pollutus & contaminatus est. De omnibus enim dicitur, quod de semetipso fatetur Dauid: Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea. Psal. 51. Ad omnes similiter pertinet, quod Deus ipse loquitur: Fimentũ cordis humani malum est ab adolescentia sua. Gen. 8. Adde quòd apud prophetam pij clamant: Fuimus omnes nos veluti immundum, & tanquã ve-
 stis centonum sordidorum omnes iustitiæ nostræ. Isa. 64. Omnibus enim naturaliter insidet & hereditario primæ transgressionis iure adhæret totius naturæ corruptio. Excæcata peccati illecebris & mundi tenebris ratio nostra, non videt nec percipit ea quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. Rationem corruptam non potest non sequi voluntas corruptissima, quam improbissimi affectus sic exagitant, vt ex nobis ipsis ne cogitare quidem possimus quod bonum est. 2. Cor. 3. An verò impura opera deesse possunt tam improbæ voluntati, cum tantæ nos vndique circumstant malè operandi occasiones? Nullus hominis sensus est, qui non & prouocetur ad peccandum quotidie, & peccet. Peccant oculi rerum huius mundi & illicitarũ concupiscentia. Peccant aures vel voluntate audiendi quæ impura sunt, vel nimia patientia in ijs audiendis, quæ diuinæ gloriæ & honestati officiant. Peccat gustus, totumque corpus helluationis & crapulæ mancipium reddit. Peccat tactus tot modis, quot sub cælo hoc nobis offeruntur peccatorum species. Quæ ergo hic salutis & communionis cum Deo, spes esse poterit, nisi totus homo, quãtus est, purificetur? Huc itaque, quæ alibi monemur, referri debent. Christus Nicodemo ait: Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Ioan. 3. Eam igitur purificationem requirit, quæ totum hominem quasi regeneret, & nouum vel alium faciat. Rursum idem Christus nostri abnegationem ijs necessariam dicit, qui ipsius discipuli haberi velint. Matt. 16. Et Paulus membra hæc in Christi mortem sepultos cum eodem ad vitæ nouum nos induere iubet. Col. 3. Ephes. 4. Idem in se homo esse existimet, quod vel purum vel tolerabile coram Deo videri possit, sed se totum purificatione opus habere intelligat.

Totus homo purificatione opus habet.

Secundò purificationis huius fines aut modos, intra quos consistat, aut quousque progredi
 debeat, nouisse oportet. Circumscribit hos Ioannes dicens: Purificet se, sicut & ille purus est. De Deo autè hic loquitur, cuius puritatem nostræ purificationis modũ, limitè vel regulam esse vult. Sed ò difficilem, imò impossibilem modum. An verò carnis nostræ infirmitas ad hanc metã, tam à nobis remotam, vt nec oculis cerni, nec mētis & ingenij acumine satis inuestigari possit, vnquã pertinet? Num homo impura carnis mole grauatus ad tam altum diuinę puritatis gradũ subuolabit? Nunquam profectò id fiet, vt vt vel meditando, vel operando sese conficiat. Cur ergo quod factũ impossibile est, exigit dominus? Annon hoc modo de salute nos desperare cogit? Minimè gentium. Imò hoc nostræ saluti cum primis seruit. Sic enim de nostris viribus & meritis desperare, & ad Dei gratiam, quæ sola per Christi meritum succurrit, confugere discimus. Confutatur ergo, qui vt primum vitæ puritatem & quæ ad hæc spectant, exigi audiunt, ex operibus hominum iustificari & saluari clamant. Exigitur quidem puritas & innocetia, sed talis, ad quam nemo hominum vnquam peruenire possit. Nemo igitur ex eadem iustificari poterit. Ad hæc studium purificationis indefessum & indefinens hæc diuinæ puritatis meta nobis commendat. Facile hic delassatur caro nostra, & vt primum aliquousque se progressam videt, sibi ipsi applaudit, & hunc profectum ad salutem sufficere credit. Sed quoad nos ab eius puritatis perfectione, quæ in Deo est, abesse videmus, tam diu nobis pergendum est. Et cum Paulo apostolo vnum illud agamus,

Purificationis modus.

vt ea quæ à tergo sunt obliuiscetes, ad ea quæ à fronte sunt enitamur, & iuxta præfixū signum assequamur palmam supernæ vocationis Dei per Iesum Christum. Philip. 3.

*Purificationis or-
ganum.*

Postremò purificationis huius organum vel instrumentum habere conuenit. At qui purificamur quidè à peccatis & omni corruptione merito sanguinis Christi. Sed hic de eo organo inquirendum, quod in nobis sit oportet, vt ad purificationē Christi pertingere possimus. Mōstrat hoc nobis D. Petrus Apostolus, qui de gentibus legis sarcina non grauandis loquens, fide corda illorū purificata esse dicit. Act. 15. Fidem verò nominamus firmum illum & certum assensum, qui verbo Dei à nobis præbetur. Hac nos purificari multis argumentis constat. Primò enim per hanc solam Christum & meritum ipsius apprehēdimus, in quo vno nostra iustitia, sanctificatio, satisfactio & redemptio consistit, 1. Cor. 1. Qui enim in hunc credit, eidem insitus, omnium quæ in hoc sunt bonorum confors redditur. Et vt extra hūc salus nulla est: ita nec purificatio aliqua esse potest, quæ cunque non cum fide in hunc coniuncta fuerit. Præterea, fides hæc Dei verbo viuo & efficaci nittitur, quod non viam modò purificationis monstrat, sed eiusdem studium accendit, & eandē pro sua natura operatur. Est enim acutus ille gladius, qui penetrat vsque ad diuisionem animæ simul & spiritus, compagumque & medullarum. Heb. 4. Per hunc refecantur superflua affectuum nostrorum cogitationes. Hoc reprimuntur luxurians cupiditatum seges. Eodem abscinduntur & effodiuntur membra, quæ nobis sunt offendiculo. Mar. 9. De hoc Christus loquitur, Apostolis dicens: Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis. Ioan. 15. Ad hæc fides charitatem sibi perpetuò coniunctam habet, per quam efficax est & operatur, Gal. 5. Nec enim fieri potest, vt non amet Deum, quicumque Christi beneficio ab hoc collato totus innittitur. Quomodo enim filij censebuntur qui patrem non amauerint? Malach. 1. Quòd si patrem diligimus, vtique & homines diligemus, quos apud illum tanto in pretio esse videmus, vt & filium suum vnigenitum pro illis dederit. At charitas legem implet, quod clarius est, quàm vt multa demonstratione opus habeat. Rom. 13. 1. Corinth. 13.

Habemus ergo hic fratres, in quibus & examinemus & exerceamus fidem nostram. Prodest hic multum diuinæ in nos bonitatis & beatitudinis, quæ in cælis nobis reposita est, consideratio: quæ facit, vt mundi de nobis iudicium susque deq; feramus. Interim annitendum nobis, vt purificationis studio accensi, dum hic viuimus, quoad fieri potest, Deo sancto & puro conformemur, vt in magno illo die iudicij, quando omnis caro iudicabitur, Dei filij comparere, & in cælestis patrimonij hæreditatem ingredi possimus, cum Iesu Christo, saluatore & redemptore nostro, cui deberetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X V I .

Omnis qui committit peccatum, idem & iniquitatem committit: & peccatum est iniquitas. Et scitis, quòd ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum.

Magna extat in nos diuinæ beneficentiæ argumenta: maximū tamen est, quòd sanctus ille & omnipotens Deus, infelices nos, qui propter peccatū iræ & dānationis filij censerī merebamur, per filium suum Iesum Christum, ex mera gratia, in filiorum suorum numerum & regni sui hæreditatem adoptare dignatus est. Postulat autem à nobis optimo iure Deus pro tanto beneficio, vt vitā viuamus, quæ filios tam sancti patris deceat, quæq; in ipsius gloriā redundet. Matth. 5. Rectè ergo Ioannes, cum Dei beneficium exposuisset nuper, subiicit: Qui habet hanc spem in ipsum, purificat se, sicut & ipse purus est. Et quia diuinæ puritatis exemplar imitandum proponit, perpetuo & indesinenti purificationis studio opus esse docet, cum ad huius perfectionem nobis, quoad hic viuimus, peruenire sit impossibile. Cæterum in hac causa plurimum nobis obest cæcum & corruptum carnis de peccatis iudicium. Quia enim natura peccatores sumus, misericè nobisipsis inter peccandum blandimur. Et sunt, qui quicquid agunt, quantumuis iniustum & iniquum, per carnis infirmitatem excusare student. Habent etiam exempla sanctorum, quibus impudenter & perniciosè abutuntur. Sic ebrius Noæ & Loti vinolentiam sibi patrocinari putat. Et adulter Dauidis peccatum suæ impuritatis prætextum facit. Sunt rursus alij, qui hoc nomine se iustos censent, nec pro peccatoribus haberi volunt, quòd à grauib; illis & enormibus flagitijs, quæ

rijs, quæ ipse mundus quoque abominatur, immunes sint. Hinc fit, vt cum pœnitentiam à se flagitari audiunt, mox respondent, se nec fures, nec raptores, nec sicarios, nec veneficos esse, quos ista doctrina obtundi oporteat. Tantæ ergo pesti, qua non alia purificationis studio nocentior est, in præsentî Ioânes medetur, vt euincat necessariam esse omnibus hominibus purificationem, quam antea tradiderat. Primò enim de peccato rectè iudicare docet, vt fucatq̃ iustitiæ laruam nobis detrahat. Deinde solidis argumentis probat, peccandi studium à verè Christianis & fidelibus alienissimum esse debere. Tandem conclusionem infert, ex qua omnes homines facilè agnoscemus, quales censi debeant. Et de his quidem, si suo spiritu nobis adsit dominus, modò dicitur.

*Argumenti præ-
sensu loci.*

1. *Omnis qui committit peccatum, idem & iniquitatem committit: & peccatum est iniquitas.* Obsecura multis visa est Apostoli sententia, dum nescio quod discrimen peccati & iniquitatis anxie inquirunt, cum tamen Ioannes hæc eadem esse disertè testetur. Sed fefellit hos, partim quòd consilium & institutum Ioannis minus diligenter inspexerunt, partim quòd in Græca voce expendenda fuerunt oscitantiores, dum vulgari translationi nimium inhærent. Ioannis consilium est, docere, vt de peccato iudicari cõueniat, & contra eos potissimū (vt paulo ante diximus) sermonem dirigit, qui sibipsis blãdientes, purificationis præceptū nihil ad se pertinere putabāt. Docet ergo nullum peccatū tam leuiculum esse, in quo deponēdo nō laborare debeāt homines. Id verò probat per definitionē peccati, quod dicit *ἀνομία* esse. Est quidē *ἀνομία* iniquitas Latinis, latius tamē Græca vox patet, & omnem legis transgressionē, vel quicquid contra legem fit, significat. Sic ergo Ioânes argumentari videtur: Omnis qui legem Dei trãsgrreditur, iram Dei & maledictionē incurrit. (Moses enim ait: Maledictus, qui non implet verba legis huius, vt faciat ea, & dicit vniversus populus, Amen. Deut. 27.) Omnis verò, qui peccat, legem trãsgreditur. (Quia peccatum est quicquid contra legem fit.) Ergo quisquis peccat, quocunque peccati genere, legis transgressionem facit, iræ Dei & maledictioni subiacet. Nec tamen hinc quisquam colligat, Ioannem stolidam Stoicorum sententiam sequi, qui omnia peccata paria esse dicebant. Manet enim peccatorū discrimē, vt alia alijs grauiora sint, licet in suo genere, quod est legis trãsgressio, omnia cõueniāt. Et Ioannes eorum refellit stultitiam, qui quæ ab ipsis fiebant, parui facientes, nulla emendationis cura tenebātur: quasi dicat: Quid prodest ò viri fratres, in peccatis vestris defensionem inutilem querere? Scio quidem alium alijs grauius peccare. Quali acunque tamen vestra peccata sint, legis transgressiones sunt. Licet igitur nemo accuset, accusabit tamen lex, per quam & iudicabimini. Quin ergo abiecto vanæ defensionis studio, culpam agnoscite, & vobis quoque necessariam putate purificationem, de qua modò dixi, ne dum illam negligitis, pœnam sentiat tandem, quæ peccatis diuino iure debetur.

*Contra peccati
blanditias.*

Non temere autem peccatum legis transgressionem esse definit hoc loco. Sic enim docet, vt de omnibus actionibus nostris iudicare debeamus. Non vtique secundum cæcum & corruptum carnis nostræ iudicium, sed secundum legem diuinitus datam. Ideo enim Hebræis lex Thorah, id est, regula siue norma dicitur. Regulæ verò vsus non modò in ædificando est, sed etiam in eo, vt per hanc opus iam absolutum probetur. Ad hanc itaque examinemus quæcunque à nobis fiunt tã in religione, quàm in totius vitæ nostræ conuersatione. Sic enim videbimus, in multis nos grauius peccare, in quibus extra omnem culpam nobis constituti videbamur. Quædam tamen exempli loco inspiciamus, vt huius examinis formam aliquam simpliciores habeant.

*Vt de peccatis in
dicare debeamus*

In religione ea ferè est mundi huius sententia, vt quâuis religionis formam Deo placere posse existiment. Habent quo suum illud commentum probent, Deum videlicet animū hominis, nō externos ritus inspicere. Probari ergo ei animã cultus sui studio flagrantem, vt cunq̃, ipsius præscriptionibus externæ Ceremoniæ nō per omnia respondeant. Plausibilis sanè sententia, & huius seculi filijs valde commoda, quibus absurdū videtur, de religione & fide sic contēdere, vt propter has mutua amicitia & cõcordia interrūpatur. Et multos videre est, qui nec Turcas nec Iudeos in religionis causa à quoquam damnari velint. Hinc fieri videmus, vt facilè novos fidei articulos & novos cultus admittamus, nec quicquã in religione certi & firmi habeamus. At si hoc factū ad legis regulam examines, longè aliam Dei sententiam videbis. Is enim per Mosē inquit: Ne peruestigetis post cor vestrum, aut post oculos vestros, post quos scortari soletis. Quin memores sitis, & facietis omnia præcepta mea, eritisq̃, sancti Deo vestro. Num. 15. Et apud prophetã eorum religionem damnat, qui hominum præceptis inhærebant. Isa. 29. Sed & ipse Christus eandē prophetæ sententiã citans, addit: Omnis plantatio, quã non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Matt. 15. Confirmantur hæc sententiæ innumeris diuinorū iudiciorū exēplis, quæ in illos edidit Dei iustitia, qui cõtra facere ausi sunt. Igne cœlitis immisso perdūtur Aaronis filij, quòd igne alienū in sacra intulissent. Leuit. 10. Saulē regē magiæ & incatationis accusat Samuel, quòd ex ijs

sacrificare vellet, quæ dominus excindere iusserat. 1. Sam. 15. Corinthios peste mulctatos Paulus author est, quod sacram domini Cœnam nouis additamentis peruertere ausi fuissent. 1. Cor. 11. Hęc ergo & alia his similia consyderantibus, facilè patebit, non tam leuem culpã esse quam carnis iudicio videtur, in religione & cultu aliquid contra Dei præceptum instituire.

Idem in totius vitæ conuersatione obseruemus ô fratres, & quãtum carnis iudicio fallamur, facilè patebit. Leue multis videtur vitium diuini nominis abusus, quem vel propria vel vulgari aliorum consuetudine pleriq; excusari posse existimant. Sed si ijdem legem Dei dicentem audiunt: Non impunitum dimittet dominus eum, qui nomen ipsius vanè sumpserit. Exo. 20. Vitium hoc longè atrocius esse intelligent, quàm vulgo æstimetur: maxime cum olim diuino mandato lapidatus fuisse legatur, qui in nomen Dei blasphemus fuerat. Leuit. 24. Similiter scortationis & adulterij scelera mundus pro leuiculis æstimat, imò his deditos ferè risu iocisq; prosequitur. Sed si his diuinæ legis regulam applicemus, illa cum hac ex diametro pugnare videbimus. Lex Domini enim est: Ne mœcheris. Exod. 20. Et rursum: Ne sit scortum de filiabus Israel. Deut. 23. Ad hæc Paulus Apostolus nec scortatores, nec adulteros regni Dei hæredes fore, disertè pronunciat. 1. Cor. 6. Sed & mortis supplicium diuina lex adulteris statuit. Leuit. 20. An ergo leuiculum censerì debet, quod Deus morte mulctari vult, & quod à regno cœlorum excludere consuevit? Ita qui militiam mercenariam sequuntur, sanguinis effusionem leuem culpam esse iudicant. Imò plures inuenire est, qui summam viri fortis laudem & gloriam in hac sitam existimant. Sed longè alter iudicare discent, si diuinæ legis sententiam audierint. Hęc enim ita pronunciat: Qui effundit sanguinem hominis, eius sanguis per hominem effundetur: quia in imagine Dei homo factus est. Gen. 9. Item: Sanguis facit vt terra fallat, nec potest terra à sanguine, qui in ea effusus est, expiari, nisi per sanguinem illius qui sanguinem fudit. Num. 35. Adde his solennè illam & publicam totius ecclesiæ approbatione confirmatam sententiam. Maledictus, qui accipit munus, vt percutiat animam sanguinis innocentis, & omnis populus dicet, Amen. Deut. 27. Nec desunt exempla priuata & publica, quibus docemur, sanguinis studium & effrenem bellandi rabiem nemini vnquam feliciter celsisse. Væ enim ei qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, vt propheta exclamat. Hab. 2. Sed longum foret, de singulis peccatis dicere. Hęc exempli loco dicta sint, vt hinc discamus actiones nostras omnes ad legis diuinæ amussim examinare, peccatorum abominabilem atrocitatem agnoscere, eadem horrere, & purificationis studium, ceu vnice necessariũ, sequi. Huc enim pertinet, quæ Ioannes secunda huius loci parte subiungit:

Peccandi studium à Christianis alienum sit.

Christus tollit peccata.

I I. Et scitis quòd ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est. Probat Ioannes, peccandi studium à Christianis alienissimum esse debere. Sunt autem huius demonstrationis rationes duæ, vtræque à Christi exemplo desumptæ, cuius autoritas apud Christianos merito maxima esse debet. Prima est: Christus ideo apparuit, id est, carne sumpta in mūdum venit, vt peccata nostra tolleret. Tollendi verbo autem non expiationem modò peccatorum in ara Crucis factam comprehendit, qua fit, vt pœna peccati à nobis non exigatur, qui per fidem Christi iustitiæ confortes reddimur: sed eam quoque liberationem intelligit, qua Christus peccata sic sustulit, ne amplius in nobis regnare, & satanæ mancipia, quæ æternum damnentur, constituere possint. Huc enim pertinet, quod infra sequetur, Christum venisse vt opera diaboli, inter quæ primatum peccata facilè obtinent, dissoluat. Sic ergo argumentatur Ioannes: Non decet, vt Christiani ijs sese inuoluant & implicent, quæ Christus suo in mundum aduentu remouit & planè è medio sustulit: imò propter quæ tollenda ille homo factus est. Constat verò præcipuã incarnationis Christi causam fuisse, vt peccata nostra tolleret. Nam propheta clamat: Infirmittates nostras ipse baiulauit. Isa. 53. Et ipse eodem quasi alludens: Venite (inquit) ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Matth. 11. Et Petrus eodem sensu Christum nostra peccata super lignum tulisse scribit. 1. Pet. 2. Quis ergo non videat, rem Christiano nomine indignissimam esse, si peccatorum studio nos ipsos denuo consecremus? Annon hoc erit, Christi meritum contemnere, & vniuersum incarnationis mysterium quasi pedibus conculcare? Paulus certè non immeritò, tales Christum denuo sibijpsis crucifigere & ludibrio exponere dicit. Hebr. 6. Reprehenduntur rectè, qui aliorum beneficentia ære alieno liberati, eodem se denuo prodigalitate suã implicent, imò indigni censentur, quibus succurratur. At eadem omnium ratio, qui Christo satisfactore redempti, peccatorum sarcinis scientes & volentes se rursus aggrauant. Admonet simul locus hic, vbi liberatio à peccatis & redemptio quæri debeat. Apud Christum scilicet, qui (vt Paulus inquit) in mundum venit, peccatores saluos facere. 1. Tim. 1. Quia enim hic sese omni bus vniuersalem seruatorem offert, turpe est aliam extra hunc salutem quærere. Sed cum de hoc supra semel atque iterum dixerimus, eadem hic fusius repetere, superuacaneum foret. Alterum

Alteram rationem, qua Ioannes à peccandi studio dehortatur, his verbis comprehensam proponit: Peccatum in eo non est. Argumentatur verò vt supra: Qui Deo inferi & bonorū ipsius cōsors fieri cupit, debet sicut ipse lux est, in luce ambulare. Sensus ergo presentis loci est: Quotquot Christi fratres & membra dici volunt, Christo similes esse studeant. In Christo peccatū non est. Nam propheta inquit: Iniquitatē non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Isā. 53. Et in euangēlio acerrimis hostibus dicere audeat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioā. 8. Decet ergo vt qui huic inferi cupiunt, à peccandi studio alieni & immunes sint. Si enim bonus & virtutis amās pater filios bonos & virtutis amantes habere cupit, Deum patrem eo ingenio præditū putabimus, qui cū ipse sanctissimus sit, peccatis & vitijs addictos filios ferre velit? Quē enim virum bonū dabis, quē turpis sodalitiij nō pudeat, cum tales vulgo putemur, quales sunt quibus cum vērsumur? An ergo Christus feret, vt ipsius fratres & membra dicantur, qui omni scelerum labe polluti sunt? Ipse certē in euangēlio ait: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem, qui fert fructum, purgat, vt fructum copiosiorē afferat. Item: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Ioan. 15. Quis verò dubitet, Christū de veræ fidei fructibus, innocentia nimirum & charitate, loqui, cum hos vbique tam anxie requirat: Sed videamus presentis loci conclusionem, quam ex ijs, quæ hucusque dicta sunt, infert.

II. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Bimembris est hæc Conclusio. Familiaris enim hic Ioanni mos est, vt sententijs suas antithesi ornatas proponat, vt contraria sibi inuicem opposita magis elucescant. Primum membrum est: Omnis qui in Christo manet, non peccat. Alterum: Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eū. In Christo manere dicuntur, qui in Christum credunt. Fides enim vnicum illud medium est, per quod illi inserimur. Ipse enim inquit: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Ioan. 6. At Christum fide comedi & bibi ad vitam æternam, manifestius est, quàm vt vt longa demonstratione opus habeat. Facit etiam huc quod in opposito membro dicitur. Cum enim dicere debuisset: Omnis qui peccat, non manet in eo: potius dicere voluit: Non vidit eum, nec cognouit eum: quæ vtraque non nisi ad fidei sensum referri debent. Prioris ergo membri sententia hæc est. Quicumque in Christum verè credit & eidem vera fide insitus est, nō peccat. Huic alterum membrum sic opponitur: Quicumque peccat, in Christum nō credit, nec ei vera fide adhuc insitus est. Sunt hæc paradoxa & valde absurda primo intuitu. Dicat enim aliquis: Quicumque in Christum credit, non peccat. Peccamus autē omnes. (Nam & iustus in die septies labitur. Proverb. 24.) Ergo nemo hominum in Christum credit. Sed peccandi verbum aliter hoc loco, quàm alibi solet, accipitur. Nec enim de corrupta hominis natura vel carnis infirmitate Ioannes loquitur, qua superati quotidie peccamus: sed de peccandi studio, quo impij excæcati absque omni pœnitentiæ sensu affectuum habent laxatis in omne nefas effrenes feruntur. Peccare igitur hic idem est, quod peccato seruire & eidem omni studio addictum esse. Hoc à verè pio & fideli alienissimū est. Peccant quidem fideles, & iustus in die septies labitur: sed idem septies quoque resurgit, & in peccati luto non hæret, cum ideo nos à peccato per Christi meritū sciat redemptos esse, ne illud posthac regnet in corpore nostro mortali, Rom. 6. Sic peccauisse Dauidem legimus. Sed idē peccatum suum verè pœnitentiæ lachrymis & contritione profecutus est, cauens sibi ne ad eundem lapidem denuo impingeret. Et Christus in euangēlio pœnitentiam doceri vult, cuius prædicatione opus non esset, si peccata in pijs locum non haberent. Valeant ergo phanatici Anabaptistarum & Libertinorum spiritus, qui hoc & alijs similibus locis decepti, se peccatores esse negant, & mirabilia quædam atque inaudita suorum operum discrimina fingunt, ne peccatores esse conuincantur. Quæcunque enim ab ipsis improbè & turpiter fiunt, ea carnis opera esse dicunt, non sua. Caritatem verò nihil ad se pertinere, cum illi iam olim valedixerint, & toti spiritu regantur. Sed ô calliditatem homicidæ diaboli. Itane homini persuades, perfidissime quadruplator, vt quæ proprijs sensibus & membris committit, & ad quæ proprijs affectibus impellitur, nihil ad se pertinere existimet? Fugiamus ô fratres hæc verborū præstigijs, & diabolicam sanctimonie gloriationem esse certò credamus, si nos ab omni peccato liberos esse iactemus. Agnoscamus potius cum Dauid, nos in peccatis conceptos esse & genitos. Psal. 51. Teneamus Ioannis sententiam, qui supra didicimus: Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis nō est: imò mendacij arguimus Deum, & verbum eius non est in nobis. 1. Ioan. 1.

Obseruemus autē singulari diligentia posterioris conclusionis huius membrū: Omnis qui peccat, id est, peccandi studio addictus est, peccato seruit & nulla tangitur pœnitentiæ cura, is Christianus esse nec vidit nec cognouit. Negatur hac propositione in Christū credere, vel Christianus esse, quicūq; peccatis addictus est. Quam multos ergo inuenire licebit, qui Christi nomine frustra glo-

Christianus non peccat.

Excommunicatur impenitentes, &c.

C A P V T I I I.

riantur: & quàm rursus pauci sunt, quos verè Christianos dicere possis? Excommunicatur enim hac sententia quotquot scortationis & adulteriorum finem facere nolunt, vtvt per Dei verbum crebrò & diligenter admoneantur. Excommunicantur sanguinarij milites, qui cædibus superbiunt, & hoc suo quæstu, ceu omnium honestissimo, gloriantur. Excommunicantur ebrij & vinolenti cômessatores, impœnitentes gulæ & ventris serui. Excommunicatos dicere oportet incurabiles vsurarios, quos nullæ verbi Dei admonitiones, nullæ leges politicæ, nulla pauperum angustia adducere potest, vt peccati sui atrocitatem agnoscere & pœnitere velint. E Christianorù numero remouentur, quotquot in odijs & inimicijs persequendis pertinaces charitatem omnem excludunt. Publicani & ethnici censentur, quotquot auaritiam secuti, in opibus spem omnem reponere pergunt. Denique Christiano nomine indignos, à Christo & regno ipsius alienos Ioânes pronunciat, quotquot non contenti peccasse, in peccatis improbè pergunt, pœnitentiæ studium rident, admonitionum impatientes sunt, & curari nolunt. Nec est quod illorum clamores audiamus, quibus se & Christianos & Dei cultores esse vrgent. Nam respondet illis Christus, dicens: Non omnis, qui dicit mihi: Domine domine, introibit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est. Matth. 7. Non etiam iuuabunt hos sacramenta, quæ cū verè Christianis communia habent. Nam & olim multos ex Israelitis circumcisos fuisse legimus, quibus tamen dicitur, quòd in fœdere Dei non permanserint. Iere. 31. Similiter eosdem frequenter sacrificauisse & adoleuisse constat, idq; iuxta ritum diuinitus præscriptum: quibus tamen dominus dixit: Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum. Holocausta arietum & adipem saginatorù fastidio, bouum sanguinem, taurorum & hircorum non amo. Item: Cum expanderitis manus vestras, abscondam oculos meos à vobis: etiamsi multiplicaueritis orationem, non exaudiam: quia manus vestræ plenz sunt sanguinibus. Isa. 1. Similia his videre est & Psal. 50. Itè Ier. 4. & 7. Mich. 6. Hose. 6. Concludimus ergo cum Ioanne, à fide Christiana & consortio regni Christi alienos esse, quotquot pœnitere nescij peccatis seruiunt, nec magis profuturâ his Christiani nominis professionem, baptismum, Cœnam domini, preces & quæcunq; huius generis sunt, quàm olim Iudeis profuit, quòd peculium Dei & filij Abrahami dicebantur, quòd templo gloriabatur, & in eodem quotidie sacrificabant atque adolebant. Quia enim Christus Iesus veritas est, populum requirit verè sanctum, non talem, qui falso sanctitatis titulo sese venditet.

Euangelium non plantat peccandi licentiam.

Porrò ex his docemur quoque, quàm iniqui nobis sint, quicūque euangelij doctrina & gratuita remissionis peccatorum prædicatione bona opera prohiberi, simulq; securitatem & carnaliam licentiam plantari dicunt. Atqui bona opera totum euangelium vbiq; exigit, & Christus cum palmitem refecandum dicit, qui fructum non tulerit. Ioan. 15. Opera autem requirit, non quæ nobis bona videntur, sed quæ iuxta Dei præscriptum facta, ipsius iudicio pro bonis haberi possunt. Carnis licentiam adeò non plantat euangelij prædicatione, vt nos Christianos esse neget, nisi carnem mortificauerimus, abnegauerimus, crucifixerimus. Coloss. 3. Matth. 16. Galat. 5. Sed hæc est mundi principis eius astutia, qui eiusmodi calumnijs euangelij doctrinâ inuisam facere conatur cum eadem non alio nomine magis oderit, quàm quòd luce sua opera praua arguit, & dignos pœnitentiæ & fidei fructus requirit. Ioan. 3. Nostrum est, fratres, præsentem hunc locum diligenter obseruare, vt de peccatis verè iudicare possimus. Eadem tamen agnouisse non sufficit, nisi illa fugiamus, & perpetuum pœnitentiæ studium secuti, fidem in Christum innocentie & charitatis studio exprimamus. Sic enim cum illo viuemus & regnabimus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X V I I.

Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut opera diaboli dissoluat. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen eius in ipso manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli.

Perquàm memorabilis est spiritus sancti sententia, quam Psal. 49. pronunciat: Homo cum in honore sit & pretio, non intelligit: similis ergo erit iumentis, quæ prorsus intereunt. Vt enim munere sibi commisso nunquã dignè fungitur, qui illius dignitatem nõ expendit: ita impossibile est, cura

est, eam hominem vitam suam coram Deo, vt par est, instituere, qui dignitatem nostræ conditionis, in quam diuina gratia euecti sumus, non probè considerat. Quamobrem cū Ioannes de vita Christiana & Christianorum officijs sermonem instituisset, prudenter inde exordium fecit, vt ostenderet, quàm excellens sit eorū, qui Christo insiti sunt, conditio. Docuit autē nos à Deo in filiorum numerum adoptatos esse, vt cum filio Dei Iesu Christo, cui olim cōformes reddemur, in nouissimo die, regni cœlorum hæreditatem consequamur. Quid uerò præstantius dici poterat? Superat enim hoc omnem regum huius mundi honorem & gloriam. Cæterum ex his ea colligit Ioannes, quæ ad vitæ nostræ institutionem faciunt. Si enim filij Dei sumus, & in eius communione permanere cupimus, decet vt puritatem & sanctimoniam, quæ in Deo est, nostris moribus & vita exprimamus. Rursum, si Christi fratres & cohæredes dici volumus, minimè conuenit, vt eorum studijs teneamur, propter quæ tollenda & propulsanda Christus in mundum venit. Venit autem, vt peccata è medio auferret, quæ nos à Dei facie repellebant. Christianos ergo pro virili peccatis abstinere oportebit: imò pro Christianis minime habendi sunt, qui semetiplos illis conserauerunt. Sunt hæc argumenta graua, & quæ meritò authoritatis magnæ apud nos esse debeat. Quia tamen ea est nostra corruptio, vt facilè admittamus peccatorum illecebras, multi quoque indies exurgāt, qui scurrilibus disterijs animis nostris peccati horrorem & diuini iudicij metum excutere solent, plura ad hanc causam pertinentia Apostolus subiungit. Et primò quidē breuit filios Dei, verè fideles scilicet, & pœnitere nesciōs diaboli filios. Finis huius collationis est, vt vtrorumque mores agnoscere, & horum quidem exemplum cauere, illorum verò studia imitari possimus: id quod argumētis firmis & solidis nobis persuadere studet. Adsit nobis spiritu suo dominus, vt non sine fructu, quæ ad filiorum Dei institutionem pertinent, proferantur.

Argumentū præsentis loci.

Filioli, nemo uos seducat. Breuis quidē, sed fidelis & paterna admonitio. Filiolos vocat, paterni pectoris pro salute ipsorū sollicitudinē exprimens. Addit: Nemo uos seducat. Quibus uerbis non tam alijs, quam illis ipsis, quid facere debeant, præscribit. Perinde enim est ac si dixisset: Vestrū est cauere, ne aliorū dolis aut blanditijs seducamini. Et quia de hoc admonet, satis testatur, fideles, quoad in mundo viuunt, extra seductionis periculum non fore. De ijs autem seductoribus hic loquitur (vt ex toto sermonis cōtextu conijcere licet) qui vitæ & morum integritati insidiantur, dum peccata extenuant, illorū atrocitatem tegunt, Deū ista abominari & iudicij suis punire negant, vt hoc modo omnem Dei timorem pellere, & quiduis agendi securam audaciā in hominum animis plantare possint. Habuerunt eius generis seductores omnia secula. Apud Isaiam enim vbi illis imprecatur dominus, qui bonū malum, & è contra malum bonum dicere aufint. Isa. 5. Et alibi in eos grauissimè inuehitur, qui puluillos & ceruicalia consuebant, id est, qui alijs securè peccandi adeoq; peccatis indormiendi authores erant. Ezech. 13. Diligenter verò obseruandū, quòd has pestes nouissimo seculo maximè grassaturas scripturæ prædicunt. Christus certè homines eorum similes fore dicit, qui temporibus Loth & Noæ vixerunt, securos nimirum in peccatis suis, admonitionum & minarum Dei contemptores, quiq; indies peccando proficiant. Matt. 24. At Petrus Apostolus tantū mali fontem demonstrans, venturos dicit illusores, qui quæcunque de Christi aduentu, de extremo iudicio & præmio peccatorum dicuntur, in dubium vocāt. 2. Pet. 3. Quid enim in homine superest quo peccandi licentia & scelerum audacia frænari possit, quando diuini verbi authoritas contempta iacet, & iudiciorum Dei metus explosus est? Num verò nostris seculis tales sint, videre operæpretium est. Securitatem certè peccandi regnare passim, nemo negabit. Vnde verò hæc orta est? Nimirū ex ijs animis, quos multi verbis palàm produnt. Audiūtur enim, qui cum Nabal dicunt, vel Deum omnino nullum esse, vel certè eundem non curare mortalia. Psal. 14. Sunt, qui de peccatis leuiter iudicant, dum vel veteris consuetudinis prætextu, vel multitudinis peccantium authoritate, vel carnis natura & ingenio, atrocissima quæq; flagitia excusare audent. Allegant exempli loco felices impunè peccantium successus, & quæcunque alia in hanc sententiam adduci possunt. Capiuntur horū sermonibus multi, maximè cum exemplis quotidianis, quorum maxima est authoritas, simul oppugnantur. Sed Ioannes breui sententia, ne hos audiamus, monet. Causa est, quia seductores sunt. Quis in via ambulans eum audire & sequi velit, quem seductorem esse, & manifesta deuia monstrare videat? Atqui hoc illi faciunt, & perniciosius multò seducunt, quàm si quis ad immania ferarum lustra, ad præcipitia horrenda, ad latronum stationes, denique in præfens mortis periculum abduceret. Abducunt enim à via iustitiæ & præceptorum Dei, quæ sola ad vitam potest perducere. Authores sunt, vt post carnis cupiditates ambulemus, quæ in mortiferos peccatorum laqueos trahunt. Pacem pollicentur & incolumitatem rerum omnium sectatoribus suis, cum nihil horū præstare possint. Nec enim in ipsorum

Pij caueant seductores.

Seductores quibus hic dicantur.

manu sunt Dei iudicia, qui suo tēpore tam ipsos quā sectatores ipsorū horribiliter punit. Discamus ergo fratres, suspectos habere omnes, quicūq; peccatis nostris blandiuntur, & eorū sermonibus aures nō praebeamus. Beatus enim, qui in eorū via non stetit, nec in cōfessū eiusmodi illusorum sedit. Psal. 1. Sed ad collationem piorū & impiorū, quae praesentis loci caput est, trāeamus.

*Collatio filiorum
Dei & diaboli.*

I I. *Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est.* quoniam ab initio diabolus peccat. Primo loco de filiis Dei, qui verē fideles & iusti sunt, agit. Sic verō sermone instituit, vt eos arguere videatur, qui cum à iustitiæ studio alieni sint, fideles tamen & iusti haberi volunt. Sic enim vult dicere: Noui equidem multos iustitiæ titulo gloriari, qui se Christi merito iustificatos & sanctificatos esse dicunt. Sed minimē putādum est, quōd nudi tituli gloriatio quenquam coram Deo iustum efficiat. Christus patrem suum nobis imitandum proponit, dicēs: Perfecti estote, sicut pater vester in cœlis perfectus est. Matth. 5. Atqui is non dicitur tantummodo iustus in scripturis, sed reuera iustus est, & iustitiam suam in omnibus suis iudicijs & operibus conspicendam profert. Quisquis ergo idem studiū secutus fuerit, vt opera iustitiæ edat, iustus est. Iustus dici poterit. Argumentū, si libet, sic formare licebit. *Qui Dei iustitiā imitari studet, iustus est.* Deus iustitiā non modō gloriatur, sed iustitiam facit. Ergo, qui iustitiam facit, iustitiā non in hæc, sed diligenti consideratione digna sententia. Nam docemur, Christianorum iustitiā non in titulorum splendore, non in externo fūco vel hypocrisi, sed in ipsa re consistere. Iustitiā hic voco, non eam quae propter fidem in Christum imputatur nobis, quae sola coram Dei iudicio nos defendit: sed eius effectus, quos in externa vitæ cōuersatione profert. Quia enim fides verē Christo in se rit, & viuos facit illius vitis palmites (Ioan. 15.) minimē otiosa est, sed fructus Christo & eius cōmunionē dignos operatur, non clam, sed in propatulo, vt ex fructibus fides nostra dijudicari possit. In hanc sententiam Christus loquitur: Vos estis lux mūdi. Non potest oppidū abscondi supra montē situm: neq; accendūt lucernā, & ponunt illam subter modiū, sed super candelabrum, & luceat lux vestra corā hominibus, vt videāt vestra bona opera, glorificentq; patrē vestrum, qui in cœlis est. Et paulō post: Nisi abūdauerit iustitiā vestra plus quam scribarum & pharisæorū, nō poteritis ingredi in regnum cœlorū. Matt. 5. Eodem Iacobum respexisse videmus, qui cōtra vanos fidei & iustitiæ fidei gloriatores disputās, ait: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendā tibi ex factis meis fidem meam. Iac. 2. *Qui loci satis euidenter docent, fidei quidē deberi iustitiæ & salutis nostræ gloriam sed viuae & veræ fidei, quae nō vana & inanis est gloriatio, siue verborum fucus, sed certus & efficax animi assensus, quem spiritus sanctus in nobis excitat, & per eundem nos Christo inserit, vt & salutis in illo confortes, & eidē, quoad sanctimoniam & puritatem conformes reddamur. Firma ergo & solida stat Ioannis sententia, iustum & filium Dei vereq; fidelem eum esse & reuera dici, qui iustitiæ studium, iuxta exemplar in Deo propositum, secutus fuerit.*

Filij diaboli.

Alterū antithesis mēbrum impios & à fide alienos cōprehendit. De his sic loquitur: *Qui facit peccatū, ex diabolo est.* Obseruandum verō (quod & supra monui) Ioannem peccati vel peccati vocabulis nequaquā carnis nostræ corruptam naturā & infirmitatem & quae inde promanant delicta, cōplecti. Quia si hanc spectes, omnes peccata facimus, & in multis labimur omnes. Iac. 3. Sed & Ioannes supra mendacē eum esse dixit, qui se peccatū nullum habere, gloriari ausit. I. Ioan. 1. *Quam ob rem de deuoto peccandi studio Apostolum loqui sentiamus, & eos intelligere, qui nihil nisi peccant, qui semel lapsi resurgere nolunt, qui peccatorū luto gaudent, & absq; omni poenitentia & doloris sensu in eo obstinati perseuerāt. Quos alibi seruos peccati scriptura vocare solent.* Ioan. 8. 2. Pet. 2. *Qui talis est (inquit Ioannes) tam abest vt Christianus, vel Christi membrū, filius & hæres Dei dici mereatur, vt potius diaboli filius dici debeat.* nō quidem generatione (nec enim quenquam diabolus generat, nec inter principia Manichaico errore collocari debet) sed imitatione. Id quod argumento subiecto declarat. Addit enim: *Quia ab initio diabolus peccat.* Initio quidem bene conditus erat, vt minister esset diuinæ maiestatis, ad salutem eorum, qui electi sunt. Sed in veritate non stetit. Ioan. 8. Et vbi semel excidit, non contentus peccauisse, Deo & voluntati ipsius obstinato animo sese pertinaciter opposuit. Mox enim primos parentes mendacijs seductos in nassam perditiōis illexit. Nec cessat etiamnum hodie, sed semper ceu leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. I. Petr. 5. Tales verō non sunt boni angeli. Tales non sunt sancti & fideles Dei cultores. Sed vt primum illi per carnis infirmitatem & mundi blanditias superati peccant, mox admoniti peccatum agnoscunt, fatentur, dolent, poenitent, & à lapsu per Dei gratiā resurgunt. Nota sunt Dauidis, Ezechiae, Petri Apostoli, peccatrici, & multorum aliorū exempla, quae omnes pij sedulō imitantur. Quis ergo non ab horum moribus & ingenio alienos, & diaboli potius quam Dei filios dicat, qui non contēti peccasse, toti sese peccatis cōsecrant, admonitiones omnes

omnes contemnunt, & peccata peccatis pœnitere nescij accumulunt, imò alijs quoque nunquam non peccatorum authores sunt. Verè ergo argumentatur Ioannes: Quicumque diaboli mores & ingenium imitantur, ex diabolo, non Deo, nati esse censeri debent. At diaboli mores & ingenium imitantur, qui peccatis addicti, in ijs deuoto animo pergunt. Diaboli ergo, non Dei filij existimandi sunt. Argumento hoc tam libere & audacter Ioannes vtitur, quia eodem Christus quoq; vsus erat. Nam cum pharisæis, patris Abrahami titulo gloriantibus, disputans ait: Si filij Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Vos ex patre diabolo estis, & desyderijs patris vestri vultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, &c. Ioan. 8. Finis ergo & scopus huius collationis est, vt intelligamus, Christianos & filios Dei esse, qui fide in Christum viua animati, iustitiæ studium sectantur: rursus, diaboli filios esse & censeri debere, qui deuoto animo & pœnitere nescij peccatis indulgent. Dura quidem sententia, & quam molles filiorum huius seculi aures difficulter admittunt: vera tamen & inuolabilis, quia Dei verbo nititur, & dictante spiritu sancto scripta est. Applicemus hanc nostri seculi hominibus, & facillè patebit, quos pro domesticis fidei agnoscere, & quos publicanorum & ethnicorum loco habere debeamus. Patebit inquam, quorum mores imitari cõueniat, & quorum commercia cane peius & angue odisse oporteat.

Admonet item hic locus, vt in ecclesia doctrinæ antistites de palàm sceleratis & pœnitere nescijs, tum iudicare tum loqui debeant. Hic enim si mundi iudiciũ audiamus, modestiæ nos admodum & charitatis, cum interim ipse nulla vel modestiæ vel charitatis cura tangi soleat. Quasi vero modestiæ lex sit, immodestam quiduis patrâdi licentiam plantare, & charitas præcipiat, ne cui peccandi modum & limites præscribamus. Longè aliter spiritum sanctũ, qui & modestiæ & charitatis spiritus est, iudicare & loqui videmus. Nam in lege, cum voluntatis suæ capita exposuisset Deus, contra illorum transgressores sententiã proferens, maledictos & execrabiles pronunciat: nec alicui mortalium copiam facit aliter de his iudicandi. Maledictus (inquit) qui fecerit sculptile, opus manuum artificis: & respondebit omnis populus, Amen. Maledictus, qui maledicit parentibus suis: & omnis populus respondebit, Amen, &c. Deut. 27. Publico totius ecclesiæ testimonio suas sententias dominus probari vult. Quæ ergo temeritas fuerit, eadem sub modestiæ & charitatis prætextu inuertere, Deumq; quasi rigidior & crudelior æquo fuerit, in simulare? Inter prophetas certè neminem tam confidentem fuisse legimus, qui vel iubentibus regibus & toto populo, aliter loqui ausus fuerit, quàm dominũ loqui audiuisset. Legatur sermones illorũ, Isaïæ imprimis, Ieremiæ & Ezechielis, & quam docendi ratione secuti fuerint, facillè constabit. Nec est quòd eos audiamus, qui noui Testamenti mitiorẽ spiritũ fingunt. Vnus & idẽ tã veteris quàm noui testamenti spiritus est. Nam spiritus sancti impulsu locuti sunt prophetae. 2. Pet. 1. Vna igitur & eadem quoq; est vtrobique de peccatis & flagitijs loquedi ratio. Primus certè noui testamenti minister, Baptista, pharisæos & scribas progeniem viperarũ vocare, & eosdem filios Abrahami esse, negare audebat. Matt. 3. Christus Iesus, quo cũ nemo opinor modestiæ & mansuetudinis certamè facillè susceperit, eosdem nõ modò rapaces lupos, cæcos cæcorũ duces, deuoratores viduarum sepulchra dealbata & hypocritas, sed diaboli filios, fures & latrones vocare cõsuevit. Ioan. 8. & 10. Matth. 23. Quid ergo dicemus? Num vel Christum Iesum immodestiæ accusabimus, vel illos his titulis dignos fuisse fatebimur? Similis Apostolorũ doctrina est. Petrus, cum primã Hierosolymis concionem haberet, de populi peccatis non adulatorio more loquitur, sed ait: Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suũ Iesum, quẽ vos tradidistis, & negastis in conspectu Pilati, cum ille iudicasset esse absolendum. Vos autẽ sanctum & iustum negastis, & postulastis, vt virum homicidam donaret vobis, authorẽ verò vitę interfecistis, &c. Act. 3. Quæ verba si probè examinentur, nescio quid grauius, immanius, atrocius & horribilius dici possit. At digni erant (inquis) quibus hæc obijcerentur, ob immane illud proditi & occisi filij Dei facinus. Sed heus tu, annon eadem seueritate dignos censebis, qui effreni peccandi licentia sanguinẽ filij Dei prophanant, & eundem (quantum in ipsis est) denuo crucifigunt? Heb. 6. Cur ergo tales à Ioanne diaboli filij dicuntur, quo nulum fingi & excogitari potest conuictũ grauius? Cur eosdem à regno cœlorum Paulus excludit? 1. Cor. 6. Aut ergo veterem corripiendi & increpandi libertatem retinere oportet, aut demonstrandum erit, nostro seculo eam esse morum sanctimoniã, eam vitæ integritatem, tam ardens sinceræ religionis studium, vt hac opus non sit. Id verò si quis affirmare ausit, eum Christus mendacij arguit, qui nouissimo seculo iniquitatem abundaturã, fidem verò & charitatem quasi intermortuam prædixit. Matt. 24. Luc. 18. &c. Contradicit eidem totus mūdus, si nõ verbis, factis certè, quod testimoniũ est longè locupletius. Friget vbique fidei & religionis amor. Exincta iacet charitas.

*Vt in ecclesiâ cor-
ripi debeant fla-
gitiosi.*

Iam olim terras Astræa reliquit. Expulsa, apud Garamâtas fortasse, vagatur vitæ innocentia. Exulant pudor, temperantia, honestas, cum toto aliarum virtutum choro. Subiere in horum locū impietas, inconstantia, leuitas, odia, inuidia, æmulationes, vsuræ, rapinæ, furta, doli, impostura, ini-ebrietas, omnis denique vitiorum caterua, quam olim ex imo Acheronte profusam poëta fixerunt. Et adhuc in ministris modestiam requirimus, dum ista accusant? Ingēs profectō periculum est, ne plures hic eo nomine accusari possint, quōd in hominū gratiam canes muti fiunt, & stulti speculatores venientem gladium prædicere nolunt. Imitandi potius prophetæ, & inter hos Ioanas cum primis, qui intra quadragesimum diem orbi tot scelerum sarcinis onusto interitum minitetur. Imitandus Christus, & cum hoc Ioannes noster, vt libere diaboli filios dicamus, quicunq; pœnitere nolunt. Eæ enim sunt scelerum blanditiæ, vt nisi illis fucum detrahas, neminem illorum pœnitere possit. Vidit hoc Cato, homo ethnicus, qui apud Salustium omnis corruptelæ causam dicit, quōd rerum nomina vera & propria iam dudum amisissent. At indignè fert mundus, qui facta sua non vult argui. Ioan. 3. Quid tum postea? Verbum Dei intonare vel inuitis oportet, etiam si fractus illabatur orbis. Hunc qui audire nolunt, tandem hostium clamores, armorum strepitus, & cornuum bombos exteri militis horribiles & non intellectas minas, bombardarum tonitrua, & ruentium turrium fragores, & si quid aliud belli alea parturit, audire, cogētur. Sed longius quàm institueram, progressus sum. Redeamus ad Ioannem, qui hinc occasione sumpta, firmissimis argumentis, quod dixit, denuo confirmat, sic tamen vt iisdem ad innocentiæ & integritatis studium Christianos homines adhortetur.

Christiani nō peccant.

I I I. In hoc apparuit filius Dei, ut opera diaboli dissoluat. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen eius in ipso manet: & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Pertinent hæc ad prius anthesis membrum, quod duobus argumentis probat vel confirmat. Habent tamen & exhortationem, vt qui fideles siue Christiani haberi volunt, innocentia & sanctimonia studeant, eò quod impuritas & peccandi libido cum natura & ingenio Christianismi planè pugnent. Primum argumentum à sine incarnationis Christi sumitur. Filius Dei ideo apparuit & homo factus est, vt diaboli opera dissoluat. Nam in paradyso serpenti dictum fuerat: Pona inimicitias inter semen mulieris & inter te. Ipsum conculcabit tibi caput, & tu insidiaberis calcaneo ipsius. Gene. 3. At inter opera diaboli primas obtinet peccatum. Per hoc primi parentes seducti sunt. Per idem hodie in filiis inobedienciæ diabolus regnat. Per illud quoque letiferum illud mortis venenum in omnem Adami posteritatē transfusum est. Vnde sequitur principalem incarnationis Christi causam fuisse, vt peccatum dissolueretur, ne per illud in nobis ad interitum nostrarū animarum satan regnare posset. Atqui id, cuius gratia Christus venerat, perfecit. Nam & ipse principem huius mundi foras eiecit & iudicatum esse testatur. Ioan. 12. & 16. Ad hæc, cum mortem, quæ peccati pœna est, gloriosa sua resurrectione deuicerit, peccati vires dissolutas & enervatas esse oportet. 1. Corinth. 15. Ex his autem euidenti demonstratione colligitur, quod Ioannes probare instituit. Fideles nimirum & verè Christianos iustitiam facere, & peccatis abstinere. Sic enim argumentabimur: Qui Christo per fidem insiti sunt, ea sectari non possunt, quæ Christus suo in carnem aduentu dissoluit. At Christus venit, vt dissolueret peccatum, quod præcipuum diaboli opus, & diabolicæ tyrannidis quasi caput est. Indignum ergo & planè absurdum fuerit, si huius studium sectari velint qui Christum profitentur.

Semen filiorum Dei.

Alterum argumentum à fidelium persona sumit, adeoq; à causa efficienti, per quā isti creatur. Omnis qui natus est ex Deo, peccatū non facit. Probat hoc: Quia semen eius in ipso manet. Deinde hoc ipsum explicat per amplificationē: Non potest peccare, quia ex Deo natus est. Priusquam verò argumenti formā inspiciamus, de quo semine loquatur, videndum erit. Docet id Petrus Apostolus, qui de Christianis loquens ait: Renati nō ex semine mortali, sed ex immortali per verbum Dei viuum & manens in æternum. 1. Pet. 1. Immortale hoc semen esse dicit Petrus. Quia si mortale esset, immortales creare non posset. Idem verò, quasi digito demonstrans, verbum Dei esse dicit, quod apud prophetam in æternum manere legimus. Isa. 40. Et sanè non aliud regenerationis, per quam filij Dei nascimur, semen constitui potest, cum ipse Christus seminis parabola eius naturam exponere voluerit. Matth. 13. Luc. 8. Per hoc enim intellectus hominis, qui non capit ea quæ sunt spiritus Dei, illuminatur, & quasi alius efficitur, vt regni cœlorū mysteria videre & intelligere possit. Per illud ipsum, vbi animis nostris cōceptum & spiritu viuificatū fuerit, voluntas nostra reformatur, vt diuinæ voluntati obtemperare cupiat. Hoc ipso animatus homo vires nouas cōcipit, quibus ea faciat & exequatur, quæ dominus præcipit, quibus itē à lapsu per gratiam Dei resurgat: vt meritò regeneratus vel nouus homo factus dici possit. Ad hæc igitur alludēs

Apostolus

Apostolus, sic argumentatur: Quicumque ex Deo natus est, seminis sui naturam & ingenium refert. At Christiani ex Deo nati sunt. (Nisi enim hoc demus, Christiani nequaquam dici poterunt. Nam Christus inquit: Nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Ioan. 3.) Christiani ergo sui seminis, quod est verbum Dei, naturam referre debent. Quæ autem verbi Dei natura est? quod ingenium? Idem haud dubiè, quod & ipsius Dei est. Si enim in homine animi in dex sermo est, multò magis in Deo hoc dicendum erit, qui cum ipsa veritas sit, ab omni simulatione & dolo alienissimus est. Vt ergo Deus purus est & sanctus, ita verbum eius purum sanctum quæ sit oportet. Vnde Dauid exclamat: Eloquia domini, eloquia munda: vt argentum excoctum in caltino terreo, defecatum septies. Psal. 12. Deinde vt Deus non ipse modò purus & sanctus est, sed & alios sanctificat. Ezech. 20. & 37. ita verbum Dei sanctificare solet omnes, qui illud ritè amplextantur. Consumit enim quæcunque in nobis terrenam originem sapiunt, & acutior quouis gladio accipiti, penetrat ad compages ossium & medullas intimas. Heb. 4. Quomodo ergo impuritate peccatorum polluetur, qui ex hoc renatus fuerit? Imò peccare deuoto animo non potest, quicumque per hoc semen ex Deo natus est. Si enim cõmunis sensus & quotidiana experientia dicat, impossibile esse vt vrticæ aut cardui semen rosam generet, aut è contra, ex rosæ semine vrtica nascatur: qua ratione fieri poterit, vt ex puro, sancto & immortali semine verbi Dei homo nascatur impurus, pphanus, peccatis deditus, & pinde mortis æternæ reus? Fortes creatur fortibus, inquit poeta. Et nos è Deo natos p verbũ ipsius æternũ, nõ Dei, sed diaboli potius ingenium referre dicemus?

Sunt hæc magno studio nobis meditanda õ fratres. Vt enim de ingenio filiorum Dei nos erudiant: ita quàm atrox flagitium sit docent, si, qui filij Dei nati sumus, peccatorum luto temere denuo inuoluimur. Sunt qui hoc leuiculum & venia dignum existiment, quòd sibijpsis peccent, & sibijpsis duntaxat noceant. Sed hæc Ioannis verba expendenti longè aliud videbitur. Sic enim peccamus in ipsum Deum, qui nos ex se renasci voluit. Peccamus in verbum Dei, cuius semè animis nostris fuerat insitum. Peccamus in ipsum Christum, cuius incarnationem & passionem, quantum in nobis est, irritam facimus. Viros bonos filiorum pudet, quos præter officium multa iniquæ & impudenter designare vident, & illos abdicare consueuerunt. An ergo Deum tam facilem putabimus, vt filios ferre possit tam ingratos, & tot modis in se, in verbum suum & in filium Iesum Christum iniquos? Sed audiamus tandem huius loci epilogum.

In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Finem & scopum eorum, quæ dixit hucusque, indicat. Est is, vt inter filios Dei & filios diaboli discernere discamus, ne vel ipsi nobis falsi tituli gloria imponamus, vel corrupto filiorum diaboli exèplo seducamur. Notas verò manifestas esse dicit, ex quib. vtriq; agnosci possint. Quis. n. non dignoscit iustitiæ studiũ à deuota & effreni peccadi libidine? Quis ergo fallitur, sciens volensque, fallitur, nec habet quo ignorantia vel errorè suũ excuset. Obseruemus autem locutionem, qua Ioannes vti voluit. Poterat dicere: In hoc vel per hoc sumus filij Dei, & filij diaboli. Sed sic operibus iustitiæ tribuere videri poterat, quasi per illa filij Dei efficeremur. Cauere ergo volens periculosum illud propriæ fiducia præcipit. In hoc manifesti sunt (inquit) filij Dei, & filij diaboli: vt intelligamus opera hæc nequaquam nos iustificare coram Deo, sed fidei iustificantis esse signa & indicia. Signa verò hæc certa sunt & infallibilia. Fieri ergo nequit, vt fides, quæ spiritum sanctum sibi perpetuò coniunctũ habet, otiosa quiescat. Quã obrem, vt nostrorum operum meritis salutis gloriam tribuere non debemus, ita vicissim cauendum erit, ne fide gloriemur falso, dum peccandi studio nos totos addiximus. Nec enim mendaces sui nominis professores fert, qui ipsissima est veritas. Suspecta ergo nobis sint, quæcunq; suis blanditijs persuadere caro studet. In timore & tremore operemur salutem nostram. Denique in hoc verbum incumbamus, vt purum illud sanctumque semen, quo renati sumus, in vniuersa vitæ nostræ conuersatione conspici possit, vt germani Dei filij, cum Christo Iesu viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Scopus totius loci.

Opera, non causa efficiens, sed signa sunt filiorum Dei.

Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligamus nos inuicem. Non sicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Ne miremini fratres mei,

si odit uos mundus. Nos scimus, quòd transiuimus ex morte in uitam, quia diligimus fratres,

Multæ & graues sunt regni Iesu Christi in hoc mundo remoræ, multa quoque communis salutis nostræ hostis satan quotidie comminiscitur, quibus illud turbet, nosq; ab eius communionem abstrahat. At nulla hic tam noxia sunt obstacula, quàm quæ ab ijs struuntur, qui Christi nomen & fidem falsò iactant. Ex illorum enim numero seductores & antichristi (vt præcedenti capite vidimus) emergunt, qui & Christi regnum & omnem salutis nostræ rationem humanarum traditionum tenebris obscurare student. Ex illis etiam sunt, qui Christum priuati commodi gratia profitentur, sacris Christianorum communicant, interim verò Christum & fidem factis (vt Paulus inquit Tit. 1.) negant. Est hoc hominum genus cum primis noxium & detestabile. Quia et infirmiores suo exemplo offendunt, & apertis Christi hostibus occasionem præbent, qua fidem & doctrinam Christi calumniantur, quasi hæc libidinis & licentiæ peccandi vnica causa sit. Non temere ergo fit, quòd de vita Christiana & eius conuersatione tam diligenter Ioannes disputat. Non contentus enim purificationem nostri nobis commendauisse, & ad hanc tam ipsius Dei patris quàm Christi exemplo instigauisse, eleganti antithesi filios Dei & filios diaboli inter se committit, & firmis argumentis probat, non Dei, sed diaboli filios esse & censerì debere, quicunq; purificationis studio abiecto, peccandi licentiam sequuntur. Scopus verò omnium hic est, vt qui filij Dei censerì cupiunt, puritatis studium amare, & deuotam peccandi consuetudinem abominari discant. Eodem & hic locus referri debet, qui simul alteram quoq; Christianæ conuersationis partem, siue notam, proponit. Primò enim repetit quæ ante dixerat de discrimine filiorum Dei & filiorum diaboli. Deinde, quia charitatis fraternæ meminerat, docet, hanc quoque germanam filiorum Dei notam esse. Tertio loco consolationem subiicit, qua illis medetur, qui dum charitati stultitia, ordine differemus.

*Argumentum
presens loci.*

I. *Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Dependet hæc ex præcedentibus. Dixerat eos, qui ex Deo nati sunt, non peccare, imò peccare non posse: quia semen Dei, verbum scilicet regenerationis, in illis sit. Ex illis ergo contrarium inferit: Omnis qui non facit iustitiam, id est, omnis qui peccat, ex Deo non est. Est hæc vera consequentia, quam nemo negare poterit, si ad hunc modum proponatur. Omnis qui ex Deo natus est, non peccat, eò quòd semen Dei in ipso manet. Omnis autem, qui non facit iustitiã, peccat. Ergo omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo. Minor facillè probatur. Peccatū enim est, quicquid contra officium facimus, quod à Deo iustis & æquis legibus nobis præscriptum est. Cæterum, quia de hac Christianissimi nota prius satis copiosè disputauit, in præsentem alteram quoque, charitatem fraternam nimirum, adiicit. Possumus ergo ex hac Ioannis sententia duas notas constituere, ex quibus tam filios Dei quàm filios diaboli dignoscamus. Quicunq; enim iustitiã faciunt & fratres suos diligunt, ex Deo sunt, & Dei filij censerì debent. Rursus, qui non faciunt iustitiam, & fratres non diligunt, ex Deo non sunt. Diaboli ergo filij sint, necesse est. De vtraque nota fusius paulò differendum est, tam vt alios homines internoscere, quàm vt nostri officij magis memores esse possimus.

*Note filiorum
Dei.*

1. *Iustitia.*

Prima filiorum Dei nota est, ex qua fides illorum & spiritus adoptionis agnoscitur, facere iustitiam. Iustitiæ vocabulū latius hic extendimus, quàm vulgò solet. Comprehendit enim omnium præceptorum Dei obseruationem. Nam iustitia (vt à philosophis & iurisperitis definitur) virtus est, quæ unicuique quod suum est tribuit. Vnde iustitiam facere Ioannes dicit eū, qui unicuique, tam Deo quàm hominibus, tribuit quod illis diuino iure debetur. Hic ergo & Deus & homines nobis considerandi veniunt, vt quid singulis debeatur, videamus.

Iustitia erga Deum.

Inter ea quæ Deo debentur, primatum fides obtinet: vt nimirum talem agnoscamus, qualis reuera est, omnemq; fiduciam & spem in ipso solo habeamus repositam. Exigit hoc ipse suo iure, dum inquit: Ego sum Dominus Deus tuus: Ne sint tibi Dij alieni coram me. Exod. 20. Debetur eidem amor, & tantus quidem, vt à nobis diligatur super omnia, ex toto corde, ex tota anima et totis viribus. Deuter. 6. Matth. 22. Cohæret his cultus, tam internus quàm externus, cuius iustitia in hoc erit, vt secundum ipsius præscriptum institutus sit. Quisquis igitur ex Deo natus est, iustitiam hanc facit, vt Deo nihil neget eorum, quæ ille suo & optimo iure à nobis exigit, cum pater sit & benefactor liberalissimus. Regnabit in illo homine certa & sincera in vnum Deum fiducia, nec animum suum post Creaturas fornicari patietur. Non opes, non voluptates, non mundi stadia, non coniugem, non liberos, non corpus suum, non ipsam vitam pluris faciet quàm Deum, sed hæc

sed hunc amabit super omnia, quæ in mundo amari solent. Idem animum totum Deo consecra-
bit, vt illum colat in spiritu & veritate. Ioan. 4. Quæcunque verò in externa religione diuinitus in-
stituta sunt, sanctè obseruabit, vt ab illis ne latum vnguem discedat. Et hæc quidem iustitia est,
quam in ijs quæ Deo debentur, præstant Dei filij. His si contrarium opponas, qui nam Dei filij nõ
sint, mox patebit. Quisquis enim fiduciam & spem suam in Creaturis aut etiam proprijs operibus
sitam habet: quisquis mundi huius studia præ Deo diligit, & propter illa obedientiam, quæ Deo de-
betur, negligit: quisquis labijs ad Deum appropinquat, spirituales verò cultum, quo is vnice dele-
ctatur, omittit: quisquis in externo cultu tantum sibi permittit, vt pro suo arbitrio quicquam adij-
ciat, auferat, mutet vel inuertat, iustitiam non facit, & proinde ex Deo non est, quantumuis splen-
dido titulo gloriatur.

Sed ad homines quoq; transeamus, inter quos varia sunt vocationum & conditionum discri-
mina, quæ singula eum inspiciere oportet, qui iustitiam facere voluerit. Habent hic primum locum
parentes & liberi, & quicumque parentum loco sunt, vtpote doctores, pædagogi & magistratus. De-
bent parentes liberis educationem honestam, religionis & morum institutionem, eruditione, cor-
reptionem, omnia denique, quæ corporum & animarum saluti inferuire possunt. Ephes. 6. Debent
vicissim his liberi obedientiam spontaneam, dilectionem, reuerentiam, alimenta quoque & quæ-
cunq; sunt vitæ subsidia, si hos egere conspexerint. Præstabunt hæc vtrinq;, qui iustitiam facere &
Dei filij censerent. Similiter magistratus est populum Deo adducere, ius dicere ex iustitia
& æquitate, vindicare afflictos, seruare pauperes, iniustitiã & vim prohibere, vsuris obstare, pacem
publicam defendere, plantare denique, quæcunque Dei gratiam populo conciliare possunt, excin-
dere autem & è medio auferre, quæcunque eiusdem iram & meritas pœnas prouocant. Psal. 72. Pro-
iustis autem officijs subditi obedientiam debent voluntariam, amorem, reuerentiam, timorem, cen-
sus, tributa, vectigal, & si quæ alia sunt eius generis. Hæc qui vtrinq; præstant, iustitiam faciunt &
verè filij Dei sunt. Eodem modo mutua coniugum officia recenserent possent, & quæ heri seruis de-
bent, quæq; ab his vicissim iure exiguntur, sed breuitatis studio illa omittimus. Possunt enim quæ
dicta sunt sufficere, vt erga omnes ea exequi studeamus, quæ diuina & naturali lege nos illis debe-
re intelligimus. Et vt ad omnes hominum ordines hæc iustitia extenditur: ita in omnibus vitæ no-
stræ actionibus locum habet, ex quibus nullæ sanctæ erunt, nullæ Deo placere, nullæ etiam filios
Dei decere poterunt, nisi iuxta huius iustitiæ regulam administrantur. Ob oculos ergo versetur
in iudicijs, in foro, in contractibus, in coniugijs, in agricultura, in artibus discendis & exercendis,
in bello, in pace, in re domestica, omnibus denique negotijs: & sic nihil tam leuiculum erit, in quo
non Dei filium à filio diaboli dignoscere possis.

Altera filiorum Dei nota est, fraterna dilectio. Fratres qui sint, octauo sermone diximus. Com-
prehenduntur eo nomine omnes omnium locorum homines, imprimis tamen, qui per fidẽ & spi-
ritum adoptionis nobis in Christo fratres facti sunt. Omnibus ergo dilectionem debemus, nec ali-
quem excludere licebit, nisi eundem & hominem esse, negare possimus. Si quis enim homo est,
frater sit oportet, cum ex vno patre omnes simus progeniti. Quod si idem & Christianus fuerit,
duplici fraternitatis vinculo nobis obstrictus, magis diligi debet. At in dilectionis vocabulo mul-
tum à multis erratur. Sunt enim, qui philautia & carnis iudicio excecati, tunc se fratres diligere ar-
bitrantur, si neminem lædant vel dicto vel facto. Sed hæc nõ magis dilectio dici poterit, quàm lux
dicetur, cui fulgor & splendor omnis abest, aut ignis, qui calore omni careat. Dilectio enim is in ho-
mine affectus est, qui animum totum in rem amatam inclinat & propensum reddit, vt ei bene ve-
lit, & proinde bene de illa loquatur, benefaciat eidem, nec quicquam omittat eorum, quæ ad eius
incolumitatem faciunt. Quia enim amoris ea vis est (quod vulgò cernitur) vt animum totum ab-
ripiat, & quasi auferat desyderio, quo cum re vel persona amata coniungi cupimus, ab eodem bene-
uolentia & beneficentiæ studium abesse non poterit. Testantur hoc Christi verba, qui in dilectio-
ne Dei & proximi totam legem consistere dicit. Matth. 22. Et Paulus de eodem loquens ait: Nemi-
ni quicquam debeatis, nisi hoc vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem impleuit. Rõ-
man. 13. At ridiculum foret, dilectionem legis impletionem dicere, si illa in frigido carnis affectu ac-
quiesceret, nec voluntate & beneficijs suam vim testaretur. Vehementer ergo eos falli dicimus,
qui cum abs se neminem vnquam læsum esse, vel adhuc lædi dicere possunt, eo nomine sic sibi pla-
cent, vt vterius progrediendum esse non arbitrentur. Christus certè Deum patrem nobis imitati-
dum proponit. Matth. 5. Is verò non ita diligit, vt ab iniuria tantummodo & malefactis abstineat,
sed simul benefacit, & quæcunque in se habet bona, hominibus communicare studet. Quod stu-
dium quicumque negligunt, neglectæ charitatis ab ipso Christo accusantur. Docet hoc parabola,
quæ Lucæ decimo capite describitur. Licet enim miserum illum & faucium, nec Leuita nec sa-

*Iustitia erga ho-
mines.*

*2. Fraterna cha-
ritas.*

*Charitas quomò
do accipienda.*

cerdos spoliauissent, proximum tamen dilexisse negantur, quòd opem egenti non tulerunt. Samaritanum verò imitari iubemur, qui ad faucij aspectum misericordia motus, vulnera eius abluuit, iumento impositum deduxit, hospiti commendauit. Adde his, quòd in nouissimo die nõ de ijs conqueretur dominus, qui vestem eius abstulerint, qui victum rapuerint, corpus pulsarint, famam legerint, occiderint denique: sed famelico cibum, sitienti potum, nudo vestem non præbuisse, & captiuum vel ægrotum non visitauisse, ad æternæ damnationis iudicium sufficiet. Matth. 25. Satis enim nocet, qui egenti opem, quam ferre posset, denegat. Annon per te frater moritur, dum fame perit, nec abs te victum vllis precibus impetrat? Annon vestem negando conficis eum, qui frigore vel mox deficit, vel in morbum incidit incurabilem? At quomodo fratrem diligit, qui ista fieri patitur? Desinamus ergo nobis ipsis adulari ò fratres, & operibus testemur charitatem, quæ germana filiorum Dei nota est. Per hanc enim fides operari dicitur. Galat. 5. Nec fieri potest, quin proximum diligit, qui Deum verè nouit, & in illo omnem salutis spem repositam habet. Qui principis aut opulenti alicuius fauorem demereri student, eius filios & domesticos diligere & colere cõfueuerunt. Et tu Deo te gratum fore putas, si homines diligere recuses, quos ille ex gratia confidit, quos pro filiis agnoscit, quos filij vnigeniti sanguine redemit? Rectè ergo Ioannes, Dei filios esse negat, quicumque fratres non dilexerint. Sed vtinam in his considerandis ingenij vires & totos animos magis intenderemus, & mox insanum illud iniuriarum pelagus, & horribiles priuatæ vindictæ furias, procul cedere videres. Fugerent quoque, imò euanescerent, doli, imposturæ, iniquitas & quicquid tandem malorum insatiabile priuati commodi studium peperit. Si enim neglectæ charitatis rei sunt, & æternæ damnationis sententiæ subiacent, qui opem non ferunt egenti, quid de illis futurum putabimus, qui hac animorum duritia non contenti, in super nocent? Damnatur qui nudum non vestit, & tu impune te laturum speras, qui vestes auferens aliena pecunia emptas? Damnatur qui victum egenti negauit. Quid ergo de te fiet, qui domum vi diripis, qui segetes proculcas, nec contentus præsentia abstulisse, spem anni in herba extinguis? Accusatur à Christo, qui peregrinum in domum propriam non suscipit. Tunc ergo accusari non debes, qui domum alienam, mercenarius miles, incendis? qui vsura, fraudulentis contractibus, imposturis & omni iniuriarum genere tuæ opis indigos auitis & paternis sedibus extrudis? Qui captiuum, cum potest, non consolatur, damnationi subiectus est. Quæ igitur in te statuetur pœna, qui calumnijs & falso testimonio circumuentos vincula ferre cogis? qui vsuarijs artibus illectos ex alieno grauas, & grauatos cum soluendo non sunt, carceribus mancipas? Hæc hæc peccata illa sunt fratres, quæ in cœlum clamare legimus. Hic ille Abeli sanguis est, qui vindictam postulans à Deo auditur. Ad hanc regulam si eos examines, qui hodie Christiani dici volunt, quàm exilis sit illorum numerus, videbis. Regnant enim passim, quæcunque charitate pugnant, vitia. Et eò peruentum est, vt bonus haberi possit, qui à notorijs iniurijs, violentia & dolo malo abstinet, licet charitatis officia omnibus denegat. Quid ergo Dei nos punientis iram miramur? Mendacium non fert qui ipsa est veritas. At quod nam mendacium tam detestabile, quàm in Dei conspectu filium Dei te dicere, cum omnis vita & actiones vniuersæ diaboli filium loquantur? Si Dei filij censeari, & imminens nobis excidium vitare volumus, iustitiam facere & fratres diligere conueniet. Nobis ipsis blandiri & hominum iudicia fallere possumus: Deum verò, qui corda scrutatur & renes, fallere non possumus.

*Demõstratio pro
positionis.*

I I. Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligamus nos inuicem. Non sicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Est hæc secunda huius loci pars, quæ demonstrationem habet, qua fraternam dilectionem, filiorum Dei germanam & propriam notam esse probatur. Quia enim natura philauti sumus, & priuato commodo studemus, difficulter nobis persuaderi patimur, quod nostris affectibus aduersatur. Vtitur autem duobus argumentis, quorum alterum à pronuntiatis desumptum Christi testimonio nititur, alterum exemplo constat.

A pronuntiatis sic argumentatur: Verè Christianorum vel filiorum Dei notæ sunt, quas Christus ab illis exigit. At fraternam dilectionem à suis vbique Christus requirit. Eadem ergo vera & germana filiorum Dei nota est. Nec nouum est, quod nunc dicimus. Ab initio enim prædicationis euangelicæ hæc audiuitis. Etenim Christus inimicos diligere iussit, & idem, vt nobis exemplo esset, pro ijs orat, à quibus crucifigebatur. Matth. 5. Luc. 23. Quomodo igitur vel nouum vel absurdum videbitur, si fratres diligere iubeamur? Addam & aliud testimonium multò luculentius. In vltima cœna Christum discipulis dixisse legimus: Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuò, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos mutuam. Ioan. 13. Si ex mutua charitate discipuli Christi esse agnoscimur, charitas eorum

rundem nota sit, oportet. Sed idem postea hoc ipsum repetens, inquit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos. Et rursus: Hæc præcipio vobis, ut diligatis vos mutuò. Ioannis 15. At quid testimonijs hisce recensendis immoramur, cum illa scripturas legenti, passim occurrant?

Alterum argumentum exemplo constat, quod ex prima ferè mundi origine producit. Vide- *Exemplum Caini*
tar enim à contrarijs vel oppositis argumentari, hoc modo: Filiorum diaboli perpetua nota, ab ipso statim mundi exordio, fuit odium contra fratres. Ergo perpetua filiorum Dei nota semper fuit fraterna dilectio. Antecedens exemplo Caini probat. Fuit is ex illo malo, id est, diabolo: non quidem generatione (nam ex Adam & Eua nõ minus quàm Abel natus fuit) sed imitatione, adeoque diaboli primogenitus dici potest, cum primus sit ex vniuerso mortalium genere, qui se huic per omnia regendum subiecerit. Quæ verò eius fuerunt studia? Vno facto ea declarantur, quòd nimium fratrem suum occidit. Pessima ergo illius studia & plena odij fuisse constat. Nec enim alia eius parricidij causa allegari potest, quàm Caini improbitas, & Abelis simplicitas, & syncerum iustitiæ studium. Patet hoc, si historiã, quæ Gen. 4. habetur, diligenter perlegeris. Qua ratione enim Cainum odio fraterno laborauisse negabimus, cum diuinum fauorem & felices rerum successus illum fratri inuidisse constet? Quia enim ad Abelis sacrificium respexerat dominus, iratus est Cain (inquit scriptura) vehementer, & cõcidit vultus eius. Ut igitur in Caino peruersi animi & planè diaboli nota fuit fratrum odium: ita ex eadem nota, quales sint, dignosci poterunt, quicumque odio fratrum ringuntur. Ad huius probationem multum facit temporis circumstantia. Quia enim in exordio mundi in primis Adami filijs ista indicia sese protulerunt, non dubium est, quin eadem apud omnem posteritatem duratura sint. Caini enim, qui diaboli primogenitus est, ingenium sequentur quicumque ex diabolo nati sunt: Abelis autem, qui primus ex Adamo Dei filius natus est, mores referent, quicumque Dei spiritu & verbo regenerantur. Porro memorabile cum primis est exemplum hoc, propter multa quæ inde edoceri possumus, quæ obiter inspicienda sunt.

Primo enim admonemur, non sufficere externam fidei gloriationem & religionis externæ professionem, nisi animus vera fide & syncero religionis studio imbutus sit. Nam si Cainum & Abelem conferas, quoad professionem fidei & externum cultum, nihil discriminis inuenies. Vnum & eundem Deum, mundi creatorem uterque agnouit. Vni Deo & eidem uterque sacrificauit. Professionem quoque seminis illius salutiferam tam Caino quàm Abeli notam fuisse, verisimile est. Nec propter sacrificij materiam Deum Caino iniquiorem fuisse dicere possumus, cum nec pecudum sanguine nec frugum manipulis ipse opus habeat. Quid igitur in Abele fuisse dicemus, quod ipse facta Deo commendauit? Apostolum respondentem audi, qui inquit: Per fidem Deo vberiorè hostiam obtulit Abel, quàm Cain, per quam testimonium meruit, quòd esset iustus, testimonium perhibente de donarijs illius Deo, & per hæc mortuus adhuc loquitur. Heb. 11. Fide factum audis, quòd Abel Deo placuit. Quia enim hac fuit præditus, non agnum modò, sed seipsum obtulit, & in hoc fuit, ut innocentia & charitatis studio sese Deo patri approbaret. Eadem quia caruit Cain, dum sacrificat, non Dei gloriam, sed priuatum commodum quærit, cuius studio inuidia in fratrem, inde odium, & tandè immane parricidij scelus procreatur. Misere ergo falluntur, qui propter externos cultus se Deo placere existimant. Is enim quia spiritus est, spiritu & veritate coli vult. Ioan. 4. A veritate aut alienissimi sunt, qui dum Deo cultum præstare videri volunt, sua potius quærent, quàm ea quæ Dei sunt: & in illos dicitur, quod apud prophetam dominus pronunciat: Populus iste ore suo mihi appropinquat, & labijs suis me honorificè prædicat: cor autem eius longè abest à me. Isa. 92. &c.

Secundò, causa obseruanda venit, ob quã impij pios perpetuo odio prosequuntur. Quare (inquit) fratrem suum Abelem occidit Cain? Num ea fuit Abelis morositas & contumacia, ut cum illo conuenire non potuerit? Vel num ab iniurijs & aperta vi sese hoc modo tueri coactus est? Nihil horum dicit Ioannes. Sed quia opera Caini mala erant, fratris aut iusta, ideo ipsis non potuit conuenire inter sese. Quæ enim natura dissident, in vnum conuenire nequeunt. At quid magis dissidet quàm Deus & Belial, Dei filij & filij diaboli, opera denique filiorum Dei & filiorum diaboli opera? Hæc enim praua sunt & verbo Dei prorsus contraria. Illorum aut opera Dei spiritum & verbum per omnia referunt. Quàm ergo difficile est, aquam igni miscere aut tenebris lucem coniungere, tam difficile erit piorum & impiorum studia inter se conciliare. Accedit his alia causa, cuius saluator noster Ioan. 3. ca. meminuit. Quia mundi huius opera mala sunt, lucem ferre non potest, qua illorum turpitudine arguitur. Nam licet corruptus sit mundus, nec aliud quàm peccare possit, idè tamè ambiciosus est, & sanctimonie simulator egregius. At quia apud Dei filios veritatis lux fulget, quæ res omnes arguit, & peccata deterfo fuco quasi nuda in hominum conspectum protrahit, non possunt non Dei filij mundo exosi esse. Atqui hinc originem suam, à primo mundi exordio, habuerunt acres illæ & inde

*Non sufficit fides
professio.*

*Cur impij pios
persequantur.*

finentes pugnae impiorum cum pijs & fidelibus. Vt enim Abeli cum Caino non conuenit: ita nec Noë cum Nephilim ante diluuij tempus conuenire potuit. Exofus est apud Sodomitas Lot, pius Dei cultor. Isaacum Ismael ridet & persequitur. Iacobum Esau à pueris oppressum voluit. Fratres suos ob iustitiæ studium hostes habet Ioseph. Quid multis? Non prophetis cum impijs regibus, non Baptistæ cum Herode incesto, non Christo cum scribis & sacerdotibus, nec cum ijsdem Christi Apostolis vnquam conuenire potuit. Stultissimi ergo mortalium meritò dicuntur, quicumque & Dei cultores haberi, & mundi huius amici esse cupiunt. Verè enim Apostolus dicit, amicitiam mundi huius esse inimicitiam cum Deo. Iac. 4. Et Christus de eodem admonet, dicens: Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego selegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ioan. 15. Cuius dicti Paulus memor, de mundi amicitia ad eò parum sollicitus fuit, vt sic potius argumentari voluerit: Si hominibus placerem, Dei seruus non essem. Galat. 1.

Cæterum cum hæc traduntur, varias secum rationes inuit caro nostra. Quia enim pacis & otij natura appetentes sumus, multi longè consultissimum esse existimant, si fidem in Christum dissimulent, si de religione cum nemine mortalium contendant, si denique omnium moribus & studijs sese accommodent, ne hominum odia morositate sua in se cõcitauisse videantur. Alios rursum est videre, quos perpetua Crux & assiduæ piorum persecutiones ad eò offendunt, vt propter has de fidei veritate dubitare incipiant. Istis ergo mederi studens Apostolus, institutæ tractationi de fraterna charitate breuem consolationem interferit, quæ vltima huius loci pars est.

Contra offendiculum Crucis.

III. Ne miremini fratres mei, si odit vos mundus. Nos scimus, quòd transuimus ex morte in vitam, quia diligimus fratres. Ex præcedentibus ista concludit. Sic enim vult dicere: Cum ea filiorum Dei sors sit, vt perpetuis in mundo hoc tribulationibus subiaceant, quæ sors in Abele initio sumpto ad omnem piorum posteritatem deriuata est: non mirum aut nouum vobis videri debet, si tale quid & vobis contingat. Num enim tot Dei cultoribus, qui à mundi exordio in hæc vsque tempora vixerunt, vos meliores & lætiori fortuna dignos putabitis? Num melius vos, qui serui & discipuli estis, tractari vultis, quàm dominum & magistrum vestrum, Iesum Christum, tractatum fuisse legimus? Quin ipsum loquentem audite: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti fuistis, persecutionem sustinebunt. 2. Tim. 3. Simili ratione Petrus fideles monet, ne mirentur dū per ignem explorantur, quasi nouum aliquod ipsis obtingat: sic nimirum innuens, perpetuam hanc piorum in mundo conditionem fore. 1. Pet. 4.

Certitudo spei nostra.

At Ioannes in præsentem consolationem insignem, à fine vel præmio desumptam, subiicit. Nos scimus (inquit) quòd transuimus ex morte in vitam, quia diligimus fratres. Sciendi verbo huius fiduciæ & spei certitudinem denotat. Consistit hæc partim in nota fidelium, charitate scilicet, de qua modò dictum est: partim verò in Christi promissionibus. Ipse enim inquit: Pater volo, vt vbi ego sum, ibi etiam sint quos dedisti mihi. Ioan. 17. Similia & eadem habentur Ioan. 12. & 14. At qui charitati fraternæ student (vt modò audimus) ex Deo sunt, & proinde Christo dati sunt. Cum Christo igitur erunt, & de morte in vitam transferunt (preterito pro futuro siue præsentem vitur, vt certitudo præmij magis elucescat) sicuti Christum ex morte in vitam & gloriam patris transiuisse constat. Phil. 2. Habet hæc sententia insigne charitatis elogium, quo vix aliud extat præstantius. Nam per hanc nos de salute nostra certos fieri dicit. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi per hanc vel iustificemur vel saluemur. De signo enim, nõ de causa efficiente salutis, Ioannes loquitur, & charitatem infallibile signum esse docet, quo deprehendere possumus, fidem in nobis esse veram, nõsq; in filiorum Dei numero censi debere. Vt enim ignem adesse deprehendimus ex calore & lumine: ita fidei præsentis argumentum est charitas.

Crucis dignitas.

Præcipuum verò huius sententiæ caput est, vt Crucis & afflictionum, quæ propter Christi nomina accidunt, dignitatem agnoscere discamus. Consistit hæc in duobus argumentis, quæ meritò maximi apud nos ponderis esse debent. Primum est, quòd inde constat, nos non ex mundo hoc, sed Dei filios esse. Alterum est, quòd amplissimi præmij spem nobis habemus propositam. Nam si commorimur, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2.

Mundi conatus irriti.

Docemur hic etiam, quàm vani & irriti sint huius mundi conatus, quibus filijs Dei nocere studeat. Occisos hos cupit & deletos. Sed illi transeunt de morte in vitam, Christo dicente: Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnatione non veniet, sed transiit à morte in vitam. Ioan. 5. Quid ergo turbamur o fratres? Num in vitam transire graue est? Num Christo in cælis cohabitare detrectamus? At scio quid multum respondeant, qui non de mortis acerbitate, sed calumnijs queruntur, quibus mundus hic piorum memoriam

memoriam apud posteros infamem facere studet. Sed cogitandum erat, dominum esse, qui impiorum memoriam excindit, ossa autem iustorum conseruat. Psal. 34. Prophetas & Apostolos vide, qui & ipsi calumnijs circumuenti, hæreseos & seditionis accusati sunt. Regnat tamen hodie & floret celebris eorum in ecclesia Dei memoria.

In hoc igitur totis viribus incumbamus, vt viuam in nobis fides sit, quæ iustitiæ & dilectionis studio sese prodat. Hac animati non curemus quæcunque contra nos mundi princeps molitur, qui dum nocere studet, vt plurimum prodest. Nam è valle lachrymarum liberat, facitq; vt à morte in vitam translati cum Iesu Christo viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XIX.

Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatẽ, quòd ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uerò habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Quemadmodum tantæ in nos bonitatis est Deus, pater clemens & misericors, vt non bonam tantummodo sua nobis fruenda offerat, sed simul se totum, qualis & quantus est, nobis donet, quos filiorum loco habere dignatur: ita vicissim optimo iure à nobis eam vitæ conuersationem exigit, quæ ipsius beneficijs respondeat, & quæ tanti patris filios decere possit. Huius rationem & modum Ioannes Apostolus tribus capitibus siue articulis comprehendit. Primò purificationem præcepit, qua peccati sordes deponimus, affectus prauos & cogitationes prophanas excutimus, & sancti atque irreprehensibiles fieri studemus. Quia enim in peccatis concepti & geniti non possumus non quotidie inquinari & pollui, quotidiana quoq; purificatione nobis opus est, si cum Deo sancto & immaculato communionem habere uelimus. Secundò iustitiam præscribit, eam nimirum, qua & Deo & hominibus singulis, quod ipsis debetur, præstamus. Comprehendit hæc fidem, & quæcunq; ad cultum Dei pertinent, simulq; per omnem vitam nostram ad omnes actiones & vniuersos hominum ordines extenditur. Tertium locum fraternæ charitati tribuit, quam totius Christianismi ratio exigit. Sumus enim eiusdem patris filij, quem in spiritu adoptionis inuocamus. Vna & eadem omnium hæreditas in cælis est. Decet igitur vt fraterno amore coniuncti, per hunc probemus nos Dei vnius filios esse. Cæterum, quia cum charitate corrupta carnis nostræ natura ex diametro pugnat, quæ philantiæ malo excæcata subinde quærit & inuenit quod charitatis legibus ogganniat: magno studio & seruore hanc causam Ioannes tractat. Primò enim ijs, qui odia, contentiones, pugnas & cædes diutina consuetudine excusari posse existimant, Caini exemplum, ex ipsis mundi primordijs desumptum, opponit: quo fatetur quidem verum esse quod isti dicunt, sed hæc ipsa certa & infallibilia argumenta esse dicit, satanæ filios esse, qui his student. Deinde, quia ingratitude mundi plures absterrentur à charitatis officijs, illis quoque medetur. Pluris enim facere docet charitatis fructum, quæ filiorum Dei & hæredum vitæ signum est, quàm infelicis mundi amicitiam vel inimicitiam. Sunt tamen infinita alia, quibus caro nos obturbat, quæ singula in sequentibus diluuntur. Et in præsentem quidem locum hæc agit Apostolus. Principio contra illos disputationem instituit, qui charitatis studium adiaphoron esse putant, quod vel sequi vel negligere, salua hominis salute, liceat. Docet enim hoc necessarium esse, eò quòd sine illo nec mortem effugere, nec vitam consequi possimus. Mox limitibus certis charitatem circumseribit, vt intelligamus quousque illa extendi debeat. Tandem illos arguit, qui & Christiani haberi volunt & charitate gloriantur, cū interim vel infima charitatis officia planè negligant. Vtinam Deus, qui lux est, animis nostris suo spiritu affulgeat, vt hæc non sine fructu tractasse & audiuisse videamur.

Argumentum præsentis loci.

I. **Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Docet quàm necessariũ sit fraternæ dilectionis**

Charitatis studium necessarium.

nis studium. Argumentum sumit à contrario, indicans, quæ eius conditio sit, qui charitate vacuus est. Ait enim: Qui non diligit fratrem, manet in morte. Ergo nisi in morte manere velimus, fratres diligamus oportet. Est autem hæc sententia grauis adeoq; horribilis, si quàm exiguus sit eorū numerus consideres, qui fratres syncerè diligunt. Non contentus enim vitā negauisse, eum in morte manere dicit: quo dicto etiam spes vitæ negatur ei, qui fratrem non diligit. Sed non curat eius modi minas caro nostra, imò, pro somnijs & pafforum deliramentis habet. Dictum itaq; suū breui demonstratione cōfirmat, cuius propositiones si inuertas, syllogismum habebis integrum, hoc modo: Nullus homicida habet vitam æternam in se manentem. Omnis qui odit fratrem, est homicida. Ergo nullus qui odit fratrem, vitam æternam in se manentem habet, sed manet in morte. Vides hic Ioannem pro vno & eodem ducere, si quis fratrem non diligit, & si eundem odio prosequatur. Satis enim odit, qui non diligit, nec iuuat cum potest. Rursum, quod dixit: Manet in morte: exponit per id quod est, vitam æternam nō habere in se manentem. Hanc enim si auferas, quid obsecro in homine superest, quàm mors? Sed ad argumentum Ioannis reuertamur, cuius veritatem nisi probè asseramus, difficulter nobis hic mundus consentiet. Nullum homicidam in se habere vitam æternam, omnis scriptura testatur. Psal. 5. Dominus virum sanguinarium auersari dicitur. Quomodo autem vitæ cōfors erit, quem dominus auersatur, in quo solo vita est? Apud prophetam item Deus preces se exaudire negat, qui manus sanguine plenas ad illum extendant. Isa. 1. Nec ignoramus per sanguines ibi quæuis atrociora flagitia designari. Sed cum hæc sanguinis nomine notare velit spiritus sanctus, utiq; inter hæc longè atrocissimum est sanguinis effusio. Paulus quoq; inter ea scelera, quæ à regni cœlorum hæreditate excludunt, homicidium non postremo loco nominat. Gal. 5. Sed & Iesus Christus in reuelatione sua, homicidas cum canibus, scortatoribus, veneficis, & alijs id genus hominibus, per portas cœlestis illius Hierusalē ingressuros negat. Apo. 22. Sed quid hæc adducere opus est, quando nec præsentem hac vita dignos iudicat Deus, qui sanguine effuso sese polluerunt? Notæ enim sunt de his ipsius Dei sententiæ, quas qui volet, legat Gene. 9. Numer. 35. Abunde ergo probata est maior Syllogismi huius propositio, vt diuersum ferè huius seculi filijs videatur. Minorem itaq; videamus, cuius veritatem multò minus carnis nostræ excæcatum iudicium perspicit.

Homicida nō habet vitā æternā.

Qui fratrem odit homicida est.

Qui odit fratrem suum homicida est. Si ex seipso hoc dixisset Ioannes, nimium audaculus & confidens videri poterat. Sed habet qui ipsum omni culpa liberat, Christum Iesum, patris sapientiam & verum diuinæ legis interpretem. Is enim Matth. 5. ait: Audistis quòd dictum sit veteribus: Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico vobis, quòd quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio. Igitur Christo teste in Dei conspectu homicidij reus ducitur, quicumq; in fratrem irascitur. At multò grauior odij quàm iræ culpa est, siquidem odium (vt reuera est) iræ inueteratæ affectum, adeoq; iram pertinacem dicere velimus. Quis ergo Ioannem accuset, quòd homicidam eum vocat, qui fratrem odit, cum Christus iræ hanc ipsam culpam inurat? Dei filium ergo in ius vocet, cui hæc durius dicta videntur. Sed nec Christi sententia displicebit, si rē ipsam ad viuum rescemus. Constat equidem, Deum qui spiritus est, spiritu coli velle. Ioan. 4. Animum ergo requirit, quem suo ingenio conformem vult, vnà cum actionibus, quæ animo propriæ sunt, quales sunt, affectus & voluntas. Quomodo enim animū Deo consecratum dicemus, qui affectibus & voluntatibus, à Dei natura & voluntate alienissimis, distractur? Quia ergo voluntates nostræ totusq; animus Deo debetur, Deus destinata hominis voluntatem meritò punit. Adhæc, cum destinata voluntas actionum quasi parens sit, hæc si non sequantur, aliunde obstaculum accedat oportet. Alioqui, quoad nos, quicquid voluntas nostra semel decreuit, ad finē perductum cupimus. Impossibile ergo, vt non ipsius facti culpa corā Deo imputetur ijs, qui eius voluntatem destinata animo conceperunt. Quis autem ab odio nocendi voluntatem abesse dicat? Qui odit, perditum vult quem odit. Quòd à perdendo abstinet, inde fit, quòd vel timore diuinitus immisso, vel publicis legibus, vel alijs rebus impeditur. An verò ipsius prohibiti imputandum quòd non nocet, cum non propria voluntate & ratione, sed aliena vi, nocere prohibeatur? Imò potius culpa, quæ in ipso hæret, facti pœnam meretur, cum ab ipso factò, nisi prohibitus, non abstineret. Quòd si ad hanc regulam nosmetipsos examinemus, mox videbimus quo loco simus apud Deum. Quem enim dare poteris, qui non legis transgressor & mortis reus iudicari debeat? Omnes ergo ad Dei gratiam confugere oportet, nec possibile est, vt proprijs meritis confisi coram Deo appareamus. Sed hæc est alterius loci tractatio, de qua suo tempore agetur.

Infelix odio laborantium cōditio.

Obseruemus hic, fratres, quæ misera sit eorū conditio, qui à charitatis studio alieni sunt. Quid. n. de homine grauius dici poterat, quàm illū in morte manere, & non habere, in se manentem vitam

æternam? Subiacent autem huic sententiæ, vt modò demonstrauius, quicunq; animos charitatis vacuos habent. Non est ergo, quòd aliunde periculum metuant. Ipsi enim sibi maxime miserie & calamitatis, qua non alia maior est, authores sunt. Quid enim de opum, honorum adeoq; ipsius vitæ iactura conqueri opus est, cum ipse te cœlesti vita, quæ sola vitæ nomen meretur, & æternis regni cœlorum thesauris ac honoribus spoliatus? Vtiam horum memores essent, qui odio pertinaci contabescunt. Gloriosum illis videtur & magni animi indicium, si quis in ira remittenda aduersarium non præueniat, nec ab illo veniam roget, sed rogari potius velit. At magno constat hæc gloria, o fratres. Nam interea temporis, dum inimico nocere studes, tibi ipsi maximum damnum inferis. Cor enim tuum, quo nihil habes excellentius, pertinaci vindictæ desyderio excrucias & conficis: vt non temerè à maioribus nostris dictum sit, neminem hominum tibi delicatioribus, vel preciosioribus vesci, quam eum qui odio laborat irreconciliabili. Cor quippe exedit proprium, & quantum in se est, vitæ suæ dies abbreviat. Sed tolerabilis esset hæc iactura, nisi maior, de qua modò diximus, illi accederet. Qua enim ratione probabimus, eum vita æterna se nequaquam spoliare, qui odium pertinax & inueteratum animo suo occulit, cum proprijs precibus diuinæ iustitiæ vindictam in sese prouocet? Christo iubente oramus: Remitte nobis debita nostra, sicuti nos remittimus debitoribus nostris. At penes te remissio debitorum proximi locum non habet, sed in illum immitis durus & odij tenax es. Quid ergo aliud à Deo postulas, quam vt in te quoq; talis esse velit, & iniurijs, quibus illum offendisti, minus ignoscere? O duram conditionem. Aut non dicenda diuina illa & consolationis speiq; plena oratio, qua Deum sub dulci patris nomine inuocamus: aut sic dicenda, vt in damnationis iustæ te stimonium dicenti cedat. Pertinet enim huc parabola, quæ à Christo Matth. 18. proponitur, quam in præsentis breuitatis studio omittimus. Sequamur itaque Pauli consilium, qui monet, ne Solem super iram nostram occidere patiamur. Eph. 4. Id enim si fiat, ferè eius diuturnitas in odium degenerare consuevit.

Nemo tamen putet, eos duntaxat à charitate alienos esse, qui odio proximi laborant. Vt enim charitas, quæ legis impletio est, omnes ferè virtutes in sese complectitur: ita contra hanc varie peccari solet. Huc enim & avari pertinent, qui à charitatis affectu tam procul absunt, vt illum cum auaritia coniungere impossibile sit. Huic enim debemus dolos, imposturas, furta, rapinas, vsurarium mille artes, & eas quidem inextricabiles, quibus omnibus in charitatem palam peccatur, quare & omnia hæc diuinis legibus prohibita sunt. Imprimis verò hic aures arrigere velim immittes vsurarios & monopolas, qui aliena egestate & publica victualium inopia gaudent & exultant, eò quòd inde quæstus ad ipsos redit vberior. Tunc enim venenatos morsus ijs inferunt, quos opibus suis iuuare debebant: dum artibus suis irretitos eò adducunt, vt tandem auitis sedibus & agris cedere cogantur. Hi sunt, qui onus frumenti accipiunt à paupere. Amos. 5. Hi sunt, quorum iniustis exactioibus terra grauatur, vt cultores suos nec alere nec sufferre possit. Gemit & clamat contra hos afflicta pauperum turba, cuius voces non potest negligere Deus, qui se patronum horum passim in scripturis profitetur. Audiant illi quæso non mea vel alterius hominis, sed Dei domini verba, qui apud prophetam Babylonicæ captiuitatis & horrendi illius suæ gentis excidij causas commemorans, inter ait: Fœnus & excessum accepisti, & emolumentum tuum promouisti cum iniuria proximi tui, atque mei es oblita, dicit dominus Deus. Et ecce ego percussi manum meam super auaritia tua, quam exercuisti, & super sanguines tuos, qui fuerunt in medio tui. Ezechielis 22. Quòd si in terra tã vbera, quæ ob felicissimam fertilitatem lacte & melle fluere dicitur, intolerabilis visa est Deo vsura, non dubium est, quin illa eidem multò intolerabilior videatur in nostra terra, quæ & maiori molestia atque sumptu colitur, & agricolarum laboribus minus liberaliter respondet. Intolerabilis ergo, quam priores illi, in charitatem peccant avari vsurarij, quia & se vita æterna spoliant, & publicarum calamitatum authores sunt: quamobrem ceu publicas pestes communibus omnium suffragijs illos exhibilari oportebat.

Obseruent hæc etiam Cares nostri, venalis mercenariorum militum turba, qui præcipuam viam ad laudem in effusione sanguinis collocant, & numo conducti ad bellum, cuius causas sæpius ignorant, tanquam ad lætum conuiuium concurrunt. Habent illi rationes varias, quibus hoc suum studium tueantur. Belli omnem culpam, si illud iniustum sit, in eius authorè recidere dicunt, se enim hoc tantum facere, ad quod data mercede conducantur. Quasi verò idem sit, ad iugulandos homines & mactandas pecudes conduci. Sed & publicam vtilitatem allegant, dum necessarium esse dicunt, vt respublica viros habeat rei militaris peritos, quorum opera in propulsandis hostibus, si quando opus sit, vtique queat. Sunt qui egestate & inopia se tuentur, & honestius censent, hanc militia mercenaria subleuare, quam furtis aut alijs inhonestioribus artibus. Illorum enim iudicio honestius est, hominem vbi illum spoliaueris domumque eius exusseris, in super mactare in coniugis & li-

Varie in charitate peccatur.

Auari.

Vsurarij monopolæ.

Milites mercenarij.

In Care periculū.

berorum conspectu, quàm simplici furto rem alienam eripere. Sed mirum est, eò deuenisse homines, vt nullam se suosq; alendi rationem superesse norint, quàm furta & bellum, quod omnium scelerum & scholam & palæstram esse constat. Apud ethnicos olim vulgari prouerbio notabatur Cares, quod ad quæuis bella sese conuoci paterentur. Hodie inter Christianos, qui hoc faciunt seq; sponte offerunt, primam laudem sibi vendicant. At rationes illorum non multum moramur, cum vnus hic Ioannis locus ipsis confutandis sufficiat. Aut enim probent, sanguinis effusionem & alia quæ militiâ comitantur facinora, charitatis opera esse: aut se à charitate alienissimos esse facti cogētur, & proinde vitam æternâ in se manentē non habere. At prius illud nunquā probabit. Posterius ergo illud in ipsis hæreat oportet, iuxta Dei sententiam, dicentis: Maledictus esse facit munus, vt percutiat animam sanguinis innocentis: & dicet vniuersus populus, Amen. Deute. 27. Discant itaque omnes, non moueri cæcæ carnis rationibus, quæ odij, auaritiæ, ambitionis & superbæ affectibus superata in charitatem peccare docet. Firma enim & in æternum rata manet ipsi sententiæ sancti: Omnis, qui non diligit fratrem suum, manet in morte.

Porro hic multos audire est, qui sibiipsis mirificè placent, & charitatis officia abs se nequaquã negligi existimant. Dicunt enim: Nemo est mortalium, quem odio prosequamur, aut quem alias ob causas vellemus perditum. Scientes & volentes nemini iniuriam facimus. Fratrum concordiam non turbamus, quin potius dissidentes sibi inuicem reconciliari cupimus. Nullius bonis vel per vsuram vel alias artes illicitas inhiamus, sed nostris contenti viuimus. Linguam ita frenamus, ne alicuius fama & honor lædatur. Manus quoq; abstinemus, ne cuiquam mortalium iniuriam faciamus. Quis ergo nos charitatis vacuos dicit? Annon hæc secundum charitatis leges sunt? Sed alteram duntaxat charitatis partem isti homines considerant, quæ monet ne quem lædamus. At nemini nocuisse non sufficit, sed vt omnibus prodesse studeamus, exigitur. Quam ob rem Ioannes sequenti sententiâ charitatis limites describit, vt quousq; illa extendatur, intelligamus. Sic enim ait:

Charitatis limites.

I I. *In hoc cognouimus charitatem, quòd ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Christi exemplum commendat, & hunc nobis imitandum proponit. Quia enim priuati commodi studium omnibus charitatis legibus plurimum aduersatur, nunquam ea abs se impetrari pateretur caro quæ hic exiguntur, nisi aliquem suo exemplo præuuisse videret, quæ sperare non possit. At quis eò audaciæ & impudentiæ procedat, vt Christi exemplum contemnere velit? Sic ergo Ioannes argumentatur: Christianæ charitatis termini sunt, quos Christus suo exemplo præfixit. Christus verò nos amando eosq; processit, vt animam quoq; pro nobis posuerit. Ergo quicunque verè diligunt fratres, pro iisdem animas ponere parati sunt. Ne quis tamen Apostoli sententiam humani ingenij figmentum putet, obseruandum est, hoc ipsum Christi verbis asseri. Nam in euangelio inquit: Hoc est præceptum meum, vt diligatis vos inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt quis animam suam ponat pro amicis suis. Ioan. 15. Dicit hæc Christus pro vulgari hominum consuetudine. Inter hos enim quidam inuenti sunt, qui pro amicis mortè obire dignati sunt. At Christus pro inimicis mori sustinuit, cuius exemplo nemo vnquam eorum imitatus est, qui extra huius cognitionem sunt versati. Docemur itaq; hoc loco, charitatem totum hominem requirere, nec satis esse, si nemini noceas, sed omnibus pro virili profis oportet. Imò non sufficit, opes, ingenium, vires, eloquentiam & quæcunq; habes bona, ad proximi salutem & emolumentum contulisse, nisi & vitæ tuæ iactura illius incolumitatè redimere paratus sis. Monet hoc Christi exemplum, qui vt nō sibi sed nobis, & propter nos homo natus est: ita propter nos in terris vixit, propter nos docuit, propter nos miraculis claruit, propter nos capi, dānari, cōspui, flagellari & tandem crucifigi voluit, cū ipse omnibus istis minimè opus haberet. Imitati sunt hunc, quotquot ipsius spiritu verè animati fuerunt. Inter alios enim Mosem vide, qui enormi Israelitarum ingratitude & atrocissimis iniurijs superari non potuit, quin in extremo ipsorum periculo suam vitam apud Deum interponeret, ne illi, vt meriti erant, delerētur. Nam ait: Nunc remitte peccatum hoc eorum: aut si non vis, expunge me quæso ex libro tuo, quæ scripsisti. Exod. 32. Eodè animo Dauidè præditum legimus: qui cum angelum in Israele funesta lue grassari videret, exclamauit: Ego peccaui, ego iniquè egi: oues autè istæ quid fecerunt? Sit quæso manus tua contra me, & contra domum patris mei. 2. Sam. 24. Quid de Paulo dicemus? Is certè post graues cōtumelias & iniurias iniquissimas, à Iudæis sibi illatas, non veretur dicere: Optarim ego ipse anathema esse à Christianis pro fratribus meis, pro cognatis meis secundum carnem, qui sunt Israelitæ, &c. Rom. 9. Et alibi, quauis sibi conducibile videat, dissolui & esse cū Christo, mauult tamen diutius vitæ huius ærumnis & calamitatibus exerceri, q̄ suo auxilio ecclesias destituere. Phil. 1. Non est ergo, vt consiliū, non præceptum, esse putemus quod hic traditur: cum certò constet, fidelissimos quosq; Dei cultores iuxta hoc Christi exemplum & viuere & mori voluisse, vt multorum salutem consulerent.

Cæterum

Cæterum nemo hæc ita accipiat, quasi Christus velit nos pro quouis fure aut latrone mortis supplicium subire, & illorum vitam nostra morte redimere. Nec enim nostræ mortis idem meritum est, quod mortis Christi fuit. Is vt æternam vitam miseris hominibus impetraret, mortem subijt. At nemo nostrum, vel millies moriendo, alicui mortaliu salutis cœlestis author fuerit. Soli quippe Christo hæc debetur gloria, qui torcular calcavit solus, nec aliquem in huius laudis cōsortium admittit. Isa. 42. 63. Adhęc, idem ille politicas leges, quibus manifesta scelera puniuntur, nequaquam sustulit. Nam & latronem, qui ex electorum numero erat, crucifigi, non alterius innocentis morte à supplicio liberari voluit. Et Paulus magistratui gladium datum esse docet, vt hoc boni defendantur, puniantur autem iniusti & improbi. Rom. 13. Sed & Deus lege cavit, ne propter patres filij occidantur, aut filiorum culpam parentes luan. Deut. 24. An ergo Deum velle putabimus, vt aliorum culpa & pœna grauentur, qui illis nullo necessitudinis vinculo coniuncti sunt? Sano igitur sensu charitatis termini intelligendi sunt, vt quoties fratrum salus periclitatur, omnia nostra, vitam quoque, pro ijs impendere parati simus, saluis tamen legibus diuinitus latis, sine quibus publicam salutem & pacem consistere, est impossibile. Restat vltima huius loci pars, quam paucis absolvemus.

Nemo pro facinorosis mori iubetur.

III. *Qui uerò habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clausit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Quoniam docendi ratio in his potissimum cōsistit, vt homines & quid sit officij ipsorum intelligant, & videant quantum ab ipsis peccatum sit, tum qua in re emendatione opus habeant: opportunè Ioannes, postquam charitatis modum & limites constituit, eos iam apertius arguit, quorum supra quoque mentio facta est, qui charitatis nomine gloriantur, eo quod nemini vim & iniuriam inferunt, cum interim vel infima charitatis officia negligant. Sic enim vult dicere: Audio quidem sermones vestros, quibus vestram innocentiam prædicatis: quasi satis sit neminem suis possessionibus eiecisse, neminem dolis & usurarijs artibus circumuenisse, neminem per vim spoliasse, & pulsauisse neminem. Sed toto cœlo erratis, si hoc putatis. Charitas enim vt ab iniurijs abstinet, ita benefacit quoties potest: & cum vires benefaciendi defunt, saltè totis visceribus commouetur ad alienæ calamitatis conspectum, nec alium dolorem grauiorem sentit, quam quod periclitanti & laboranti subuenire non potest, cum non fortunas modò, sed & vitam (vt modò diximus) pro fratribus deponere parata sit. Quid ergo charitate gloriari iuuat o homo, qui habes substantiam mundi, qui opibus affluis & abundas, ijs autem securus frueris, tibi soli viuus, nec aliena tangeris miseria? Vides famelicum, nec cibus. Vides sitientem, nec potum præbes. Vides nudum & algentem, nec vestis. Vides incertis vagari sedibus fratrem, nec in domum colligis. Vides morbis afflicto, nec vlla ope subleuas. Imò postulantes opem surdis auribus præteris. Cur verò hæc omnia abs te officia negliguntur? Nonne quod viscera clausa habes & indurata, in quæ nullus alienæ miseriæ sensus penetrare potest? Qua enim causa alia te impediri dices? Inopiam & priuatam necessitatem allegare nequis, quia opibus abundas. Non igitur facultas, sed voluntas deest. At quia hæc animi motus est, animum tibi à charitatis affectu alienum esse constat. Desine igitur falso titulo gloriari. Desine tibi ipsi imponere. Desine Deo illudere, qui nullo titulorum & verborum splendore fascinetur, nulla simulatione fallitur, sed cordis affectum videt, & opera charitatis, non falsam gloriationem, requirit. Hic mihi verborum Ioannis sensus videtur, in quibus duo non indiligenter obseruanda veniunt.

Arguuntur hypocrita.

Primum est, quod charitati viscera tribuit. Facit hoc Hebraica phrasi. Hebræis enim viscera dicuntur naturales amoris affectiones, quas Græci *σπλάγχνος* vocant, quales sunt parentum erga liberos, & horum vicissim erga parentes, fratrum item & cōsanguineorum in se mutuo. Docet igitur hac voce, charitatem non opera modò & officia habere externa, sed illorum originem in animo hominis esse ex compassione & condolentia, qua homo ob alienam miseriam afficitur. Arguit hoc hypocritas, qui charitatem exercere se putant, quando eleemosynas largiuntur & variè subueniunt egenis, cum interim hæc facièdo, vel priuatam gloriam quærant, vel maiora beneficia inde à Deo se accepturos sperent. Faciunt hi quidem illa ipsa, quæ charitas facere solet, sed quia non ex charitatis affectu promanant, non charitatis, sed ambitionis potius aut etiam auaritiæ opera dici merentur. Contra hos Christus loquitur: Attendite, ne eleemosynam vestram præstetis coram hominibus quò spectemini ab illis. Alioqui præmium non habetis apud patrem vestrum, qui est in cœlis. Sed cum eleemosynam præstas, nesciat sinistra tua quod facit dextra tua, &c. Matth. 6. Per dextram enim syncerum illum charitatis affectum intelligit, à quo omnis sinistra cupiditas procul abesse debet. Huc quoque Paulus respicit, dum scribit: Si infumam in alimoniam omnes facultates meas, & si tradam corpus meum vt comburam, charitatem autem non habeam, nihil vtilitatis capio. I. Cor. 13. Præterea seruit hoc nobis in illum finem, vt nos ipsos dijudicare & probare discam.

Charitati viscera tribuuntur.

C A P V T I I I.

mus, num verè in nobis locum habeat charitas. Si enim viscera tua commoueri, id est alienæ miseriz sensu te affici & studium iuuandi in te accendi sentias, germanus hic veræ charitatis affectus est, qui quò magis exercetur beneficentia, eò maior fit & ardentior. Quòd si verò talem te esse deprehendis, quem nulla tangit fratrum miseria, & qui siccis oculis ac sine gemitu aliorum labores & angustias cernere potes, scias te à charitatis sensu adhuc alienissimum esse.

Vsu opum.

Deinde quis verus opum huius seculi vsus sit, hisce verbis docet Ioannes, quem vel hoc nomine diligenter expendisse prodest, quòd circa has à plerisque in charitatem peccari cõflet. A charitate Dei, id est, ea quam Deus in suis operatur, & quæ ad Dei exemplum formata est, alienum dicit, qui cum opes possidet, egentis fratris miseria nõ afficitur. Opum ergo legitimus vsus est, aliorum egestatem subleuare ac laborantibus succurrere. Patebit hoc, si omnem harum rationem penitus inspicias. Dei enim donum esse opes, scriptura docet. Quòd si has cum tua persona conferas, non alijs vsibus tibi seruire poterunt, quàm vt tuæ necessitati inseruiant, dum victum, amictum, hospitium & alia ad corporis curam pertinentia largiuntur. Præter hæc ex opibus, etiam amplissimis, nihil ad te redire potest. Nam vt Paulus inquit: Nihil inferimus in mundum, nec quicquam efferre possumus: sed habentes alimenta & quibus tegamur, contenti simus. 1. Tim. 6. Cum ergo ad te ex opibus non aliud redeat, quàm quod necessitas exigit, qui fit, vt multis tantas opes concedi videamus, quantæ multis alijs alendis sufficerent, interim verò multis ea quoque desint, quibus natura carere non potest? An Deum tam imprudentem bonorum suorum dispensatorè dicemus, vel a seculis humanis regi, qui aliorum quidè fortunis gaudeat, aliorum verò infortunijs delectetur? Nequaquam. Sed inæqualitate hac, ceu arctissimo necessitatis vinculo, charitatem nobis commendare voluit. Si quidem si omnes quibuscunque indigent in se haberent, charitas locum inter homines non inueniret. Quis enim alterius opem non indigus expeteret? Quis eam non indigenti, nec etiam poscenti, vtrò deferreret? Charitatis loco, quæ humiles, modestos, faciles & beneficos reddit, mox insolentiam, proteruiam, morum asperitatem & intolerabile priuati commodi studium reuexit Deus, vt pauperiores quidem opulentioribus, quorum ope indigent, honorem & obsequium iustum deferrent: hi verò ipsa opum affluentia sui officij admonerentur, & intelligerent, eam aliorum inopiæ & egestati subuenire debere. Admonet de his pulchre Paulus apostolus, dum Ti motheo in priori epistola cap. 6. scribit: His qui diuites sunt in præsentī seculo, præcipe, ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo viuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, vt benefaciant, vt diuites sint operibus bonis, vt faciles sint ad impartendum: libenter communicantes, recondentes sibiipsis fundamentum bonum in posterũ, vt apprehendant vitam æternam. Et Christus dominus iubet nos nobisipsis amicos facere ex mammonè iniusto, vt cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Luc. 16. Nec omitendum illud Iacobi apostoli, qui ait: Sic enim pater, benefaciendi facultatem ipsis non defuisse, sed voluntatem. Sed quantum, proh dolor, in his peccatur hodie. Si omnes quotquot Christi nomen profitentur inspicias, aut opibus per fas & nefas accumulandis inhiant, aut easdem luxu & libidine turpiter dilapidant. Quo fit, vt à prioribus illis pauperes opprimantur & expilentur miserè: ab alteris verò non sine turpi nominis Christiani ignominia negligentur, qui opes in scorta potius, aleam, comestationes, vestes libidinis instrumenta, sumptuosas domus, quàm in pauperes Christi, viua spiritus sancti templi & membra Christi impendere volunt. Hæc igitur cum fiant passim, nõ charitas Dei in nobis est? Vos appello ò diuites, num vnquam de his cogitatis seriò? Si id facitis, nec emendatis, corda ecclesiæ xis duriora habere dicam. Vos appello ò magistratus, an vnquam tantis malis & maculis inuesti remedium adhibere studeatis? Peccant hic, & diu peccarunt omnes hominum ordines, nec dubium est, Deum charitatem neglectam atroci iudicio puniturum, nisi maturè & breui emendemur. Hæc animis imis recondamus ò fratres, & abiectis odij, superbix & philautix affectibus, cõsultoribus prauissimis, charitatem sectemur, vt Christi exemplum imitati cum eodem in cælis viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X X.

Filioli mei, ne diligamus sermone, neq; lingua, sed opere & ueritate. Et per hoc cognoscimus, quòd ex ueritate sumus: & coram ipso persuadebimus cordibus nostris, Quòd si condēnet nos cor,
maior

maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Charissimi, si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum: & quicquid petierimus, accipimus ab eo: quoniam præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.

Quamuis infelix hominum genus in huius vitæ curriculo nihil vel salutarium vel magis necessarium habeat, fraternâ charitate, quæ pacem, concordiam, & quæcunque hanc sequuntur, ex sese gignit: ea tamen est nostri ingenij corruptio, vt propter innatam carniphilantiam & priuati commodi studium, nihil perinde atque hanc auersemur. His enim excæcati, odijs & inimicitijs potius scindi, quàm nostra sorte contenti pacificè viuere volumus. Quæ causa est, quòd Ioannes Apostolus, vbi in charitatis mentionem incidit, non obiter modò de ea admodum, sed omnem mouet lapidem, vt eius studium nobis persuadeat. Et multa quidem in præcedentibus dixit, quæ longum foret repetere. Omnibus tamen illis non contentus, præsentem locum subiicit, in quo & describit veræ charitatis ingenium, & fructuum eiusdem enumeratione ad eius studium nos excitat. Orandus Deus, vt meam linguam sic moderetur spiritu suo, vt hoc ipsum studium nos excitat. Orandus Deus, vt meam linguam sic moderetur spiritu suo, vt hoc ipsum animis vestris persuadere, & cunctantes impellere possim.

Argumentum præsentis loci.

I. *Filioli mei, ne diligamus sermone neque lingua, sed opere & ueritate.* Sententiam hanc ijs opponit, qui de charitate multis & splendidè loquuntur, amicis item verbis quosuis compellant, officia verò eius planè negligunt. Regnauit hoc hominum genus omnibus seculis, & hodie sic regnat, vt totius orbis dominium longè lateque obtinere dici possit. Verborum autem Ioannis sensus est: Cum charitatè exigo, o filioli, nemo me blandos sermones, promissiones beneficas & quæ alia sunt eius generis humanitatis officia, exigere putet. Est equidem aliquid, animi beneuolentiæ & perfectæ charitatis subsistit. A verbis enim ulterius ad opera quoque progreditur, & beneficia non modò pollicetur, sed re ipsa præstat. Eò igitur & vos anniti velim, vt charitatis affectum non verborum duntaxat blanditijs, sed ipsis operibus & animi synceritate palàm demonstratis. Habent hæc verba non inelegantè veræ charitatis descriptionem. Docent enim hanc in duobus potissimum consistere, ipsis nimirum operibus & veritate: de quibus sigillatim dicendum erit.

Adulatorum.

In charitate opera requiri ex præcedentibus patet. Illic enim viscera commiserationis illi tribuit. Est autem commiseratio motus animi, quo aliena miseria sic afficimur, vt eius dolor ad nostrum quoque animum pertingat. At cui aliena dolet miseria, eam ope aliqua subleuatam vellet, nec in ea voluntate subsistit, sed opem suam pro virili cõfert: quod clarius est, quàm vt multa demonstratione opus habeat. Quia ergo in charitate commiseratio est, ab eadem opera subuentionis nullo modo abesse possunt, siquidem aliqua sit subueniendi facultas. Exemplum huius in Samaritano, quem fraternæ dilectionis typum facit, Christus proponit, Luc. 10. Is cū saucium & spoliatum iacere videret, hominem sibi aliàs ignotum, mox misericordia motus est. Vides igitur charitatem, quæ misericordiæ affectu sese prodit, nec rigidis oculis alienam calamitatem intuetur. Sed num in commiseratione illa Samaritanus subsistit? Num contentus est verba protulisse cõdolen- tis animi indicia? Num consolatione, vel consilio quoque non nihil recreatum deserit? Minimè. Imò quia non verbis, non querelis, non consolationibus, neque consilijs, sed auxilio hunc indigere videbat, sese totum ad hoc ferendum, disponit. Descendit enim ex iumento, quo vehebatur. Humi iacentem subleuat. Vulnere vino & oleo, quæ ad manum erant, abluit. Iumento impositum in hospitium vehit, pro illo satisfacit hospiti, simul & in posterum pro illo fidem suam interponit. Hunc qui imitantur, non verbis & lingua, sed re ipsa fratres diligunt. Arguuntur igitur hoc loco, qui cum præsentem ope proximus indiget, ad consilia vertuntur, quidquid agendum censeant multis exponunt, vel eundem ad alios ablegant, & de aliorum beneficentia splendidè illi pollicentur, cū ipsorum esset opem, quam ferre poterant, non negare. Nemo tamen hæc ita accipiat, quasi sana & fida consilia, quæ amicis dantur, improbemus. Hæc enim in loco & tempore adhibita sæpe plus profunt, quàm splendidissima alioqui opera, imò inter amicitia officia prima collocari debet. Sed tergiuersatores taxamus, qui cum opem præsentem necessitas postulat, charitatis officium verbis exequi student.

Charitas requirit opera.

Alterum in charitate veritas est. Refertur hæc ad animū & ab operibus charitatis omnem priuatum affectū excludit. Sunt enim qui & verbis & operibus egentes iuuant, sed animo ficto, qui longè alio quàm charitatis affectu mouetur. Nam aut famæ iuæ metuunt, si opem postulatam non ferant: aut popularis gloriæ auram venantur, vt de pharisæis Christus loquitur. Sed &

Charitas requirit veritatem.

alij sunt, quos priuati commodi studium excitat. Quia enim Deum remuneratorem esse audiunt eorum, qui pauperes ope sua subleuant, paucula quædam conferunt, vt cū sœnore à Deo illa recipiant. Habent horum opera charitatis speciem, sed non ea charitas in illis regnat, quam Paulus ex puro corde manare testatur. i. Timoth. i. Hanc igitur Ioannes commendat, dum veritatem exigit, vt verbis & operibus ipsa quoque hominis mens & syncerus affectus respondeant. Nec enim patitur Deus, officia quæ à nobis postulat, aliquo furo simulationis pollui, cum ipse æterna & pura sit veritas.

Hæc si cum nostri seculi moribus conferantur, facile patebit, quàm rarum hodie sit fraternæ charitatis studium. Vt enim de illis modò nihil dicamus, qui odijs ringuntur, & apertas inimicitias exercent, eos saltem inspicere, qui charitatis studiosi videri poterant. Quotus quisque illorum est, qui non verbis potius quàm re ipsa amorem testetur? Audiuntur passim blandæ voces & promissiones magnificæ, quàm rara verò beneficia has sequantur, non sine dolore sentiunt qui opis alienæ sunt indigi. Quid, quod prouerbio dicitur, nobilium esse multa polliceri, eadem vera præstare, rusticanum putatur. Rusticus ergo illis hominibus Ioannes dicitur, qui opera, non promissiones exigit. Sed & illos vide, qui operibus quoque charitatem testari videntur, paucos tamè inuenies, qui illis veritatem coniunctam habeant. Paucissimi siquidem sunt, qui non alio potius quàm charitatis affectu, ad benefaciendū permoueantur. Et si spè maioris lucri auferas, frustra ad beneficentiam hortaberis eos, qui hodie illam exercere videtur. Quid ergo aliud dicemus, quàm ea esse tempora, de quibus Christum prophetauisse legimus, cum charitatem extinctum iri, & fidem penes homines, aut nullam aut perquam exiguam, fore dicit? Admonet ergo nos locus hic quanto emendationis studio & quàm assiduis precibus opus sit, vt huic malo gratia sui spiritus Deus subuenire velit. Cæterum, vt mentes hominum philautiæ fascino excæcatas & priuati commodi studio indormientes, excitet, charitatis synceræ fructus amplissimos Ioannes enumerat, quæ altera huius loci pars est.

Charitatis fructus.

Salutis certitudo.

II. Per hoc cognoscimus, quòd ex veritate sumus, & cor à ipso persuadebimus cordibus nostris. Quòd si condemnet nos cor, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia, &c. Fructus charitatis tres principales proponit, quorum spe huius studium nobis persuadere nititur. Primus est, cuius supra quoque mentionem fecit obiter. Ait enim: Per hoc cognoscimus, quòd sumus ex veritate, id est, ex Deo, qui ipsa est veritas. Charitatem ergo signum esse dicit, ex quo tam alij quàm nos ipsi deprehendimus nos Dei filios & heredes esse. Est hic fructus amplior quàm verbis exponi possit. Vt enim homini nulla maior calamitas accidere potest, quàm si de salute sua dubius sit: ita hæc hominis consolatio & lætitia summa est, si salutis suæ certitudinè sibi verè persuasam habeat. Est autem huius argumentū infallibile, si nos Dei filios esse agnoscamus. Quis enim pater filios suos, quando iuuare potest, negligat? At syncerus charitatis affectus, nos verè Dei filios esse probat. Idè igitur de salute certos reddit, & solus efficere potest, quod nulla eloquentia, nullæ principum citationes, nulla rerum huius mundi excellentia efficere possent. Sed vt clarius cernatur fructus hic, totum Ioannis argumentum nobis considerandum proponamus, quod tale videtur. Qui Dei ingenium referunt, reuera Dei filij sunt. Qui verè & syncera mente fratres diligunt, Dei ingenium referunt. Ergo qui verè diligunt, veri sunt Dei filij. Maior ex se satis clara est. Quia enim Dei filij ex spiritu & verbo Dei generamur, non alio quàm Dei ingenio præditi esse possumus. De minori nemo dubitat, quicumque beneficia Dei in nos collata obserauerit. Deus enim nõ verbis modo opem pollicetur, sed eandem re ipsa præstat. Salutem non modò promissit, sed promissam (cū alia ratione conferri non posset) in filio suo Iesu Christo contulit. Afflictos & anxios non fucatis verbis fallit, non aliò ablegat, sed efficacibus spiritus sui dictatis consolatur & ad se vnicum boni fontem inuitat. Deus item non aliã ob causam nobis benefacit, quàm quòd nos suæ opis & gratiæ indigos videt: nec ipse nostri indiget, vt qui Deus ab æterno sit, & cui nihil vnquam deesse potuit. Quis ergo Dei filios negabit, quos hæc, superato philautæ carnis ingenio, facere viderit. An tu ipse te ex Deo natum esse dubitabis, qui tam euidentia diuinæ naturæ & indolis signa in te ipso vides & obseruas? Certè Christus dominus in nouissimo iudicij die non alio signo se suos agnitionem habebis certissimam.

Admonet autem præsentis sententiæ consideratio, vt eiusdem oppositum vel contrariū expendamus. Si enim syncera charitas infallibile filiorum Dei signum est, quid de illis dicemus, qui charitatem fallacibus verbis simulant? Qui (vt veteri adagio vtamur) altera manu panem ostendant, altera verò lapidem in fratris interitum librât? Annon illos ex veritate esse negabimus? Dei certè filios nemo dicet, nisi qui ex Deo & Dei spiritu filios degeneres nasci posse asserat. Sed absurdum.

furum fuerit ei calamitati & infortunio Deum subijcere, quo non aliud magis dolet pijs & probis parentibus. Diaboli igitur filij sunt, quotquot amicitiam ore professi, animis suis odij & inimicitiae vel similitatis venenum insidiosè cælant. Hoc enim diaboli ingenium esse, primum illius stratagemata, quo Euam oppugnavit, perspicuè probat. Huic enim æternitatem & diuinos honores pollicitus, eidem mortem & interitum sempiternum struit. Idem fecerunt, quotquot eius filij in scripturis proponuntur, ex quibus solum Iudam, infelicem illum perditionis filium, produxisse sufficiat. Is enim Christum dominum amicum osculans & præceptoris nomine salutans, eundem hostibus prodit. Iudæ ergo osculum est, subdola amicitiae simulatio. Iudæ salutatio est, blanda & fallax officij promissio, & eundem cum Iuda exitum meretur. Deus enim virum fraudulentum & linguam mendacem odit. Psalmo 5. Prouerbiorum 6. In horum meditatione utinam maiori cura versentur, qui hodie linguas suas sic assuefecerunt, ut nihil nisi simulatum & fictum loqui possint: quo fit ut minus concordiae, plurimum verò discordiae & similitatis inter omnes hominum ordines passim regnet.

Secundum fraternæ dilectionis fructum his verbis comprehendit: Coram ipso persuadebimus cordibus nostris. Est hic prioris consequens. Significat enim pacatæ & tranquillæ conscientiae statum, quo de salute nostra contra omnes tentationes certi sumus. Nam cordibus nostris persuadere, quid aliud est, quam animos nostros, qui peccatorum conscientia fluctuant, certos & quasi securos facere, ut de salute amplius non dubitent? Poterat autem hoc idem cum priori videri. Siquidem qui se Dei filium, & ex veritate genitum esse nouit, se & Dei heredem fore sperat. Sed manent in nobis, etiam regeneratis: humanae infirmitatis reliquiae, quæ tentationibus crebris exagitantur, & interdum cogunt, ut cum Dauide & Christo clamemus: Domine quousque mei obliuisceris? Quare me dereliquisti? Atqui verus quidem & fidelissimus in ista animorum fluctuatione consolator est, spiritus Christi, quem is ideo paracletum vocat. Quia tamen carnis ingenium est externe potius inhærere quam internis nitenti, consolationes aliquas extrinsecus accedere non inutile est. Eas ex fraternæ dilectione efficacissimas manare, Ioannes hoc loco docet. Primum enim hanc infallibilem filiorum Dei notam esse audiuius. Habet igitur ex ea spiritus sanctus, quo de adoptione & regeneratione certos faciat. Deinde, cum propter ea plerumque tumultuemur animis nostris, quæ ab hominibus impijs & verbi Dei osoribus, ingratis item & improbis, immittuntur, magna inde conscientiae fiducia sumi potest, si nos de hostibus nostris meliora commeritos esse sciamus. Inde enim certo colligere licet, Deum qui innocentium assertor & ingratitude acerrimus vindex est, nobis nequaquam defuturum: cum è contra, qui sibi malè conscij sunt, & odijs, similitatibus, calumnijs aut etiam manifestis iniurijs se hominum inimicitias prouocauisse norunt, nihil aliud sperare possint, quam quòd eadè mala iusto Dei iudicio in ipsos quoque decreta sint. Nunciam non enim Christi sententia animis illorum occurrit: Qua mensura metimini, eadè metentur vobis alij. Matth. 7. Adhuc quasi in oculis positos vident, quoscumque contra charitatis leges iniquis & iniustis modis læserunt. Obuersantur illorum cogitationibus per vim oppressi orphanis, proculcatae viduae, afflictis peregrini, dolis, sycophantijs & vsuris circumuerti fratres, qui omnes vna voce Dei iustitiâ contra hos implorare videntur. Sentiunt in conscientijs suis clamantem contra se pro vindicta effusum sanctorum sanguinè. Cogitant de pauperum clamoribus & querelis, quas furda aure aliquando neglexerunt. Nec quicquam hic proficiunt vel consolationes vel promissiones quorumuis hominum. Nam propriae conscientiae testimonium mille testium loco est, ut prouerbio dicitur. Et hæc quidem grauissima hominis miseria est, qua nulla alia atrocior excogitari potest. Quid enim infelicius, quam hostem & accusatorem habere, tam familiarem, ut in animi penetralibus resideat, tamque importunum, ut & vigilantibus & dormientibus, & quocumque tandem negotio occupatis, ea ogganniat, quæ omnem lætitiæ sensum auferunt? Vtriusque exemplum in eximio Rege & propheta Dauide cernitur, si eius animum quando sub Saule persecutio nes sustinebat conferas cum eo, quem in Absolonica seditione habuit. Licet enim & grauior & diuturnior esset calamitas, quæ à Saule inferebatur (nã patrio solo cedere, insensissimis hostibus sese coniungere, & mille mortis pericula, ceu publicus patriæ & regni hostis, subire coactus fuit) animum tamen eius infractum & lætum cernimus. Quippe sibi bene conscius, ut qui nullum fidei & charitatis officium erga Saulem & patriam intermisisset, causam suam intrepidus Dei iudicio commendare audeat. Hinc voces illæ consolationis plenæ: Domine Deus meus, in te confisus sum: serua me ab omnibus qui me persequuntur. Item: Domine Deus meus, si istuc commisi, si est peruerfitas in manibus meis. Si ei qui pacis foedere mihi iunctus fuit, malum rependi, imò si destitui instantem me sine causa: Persequatur hostis animam meam, &c. Et paulò post: Dominus iudicet populos, me quoque iudica ô Domine, secundum iustitiam meam, & secundum integritatem meam, quæ

2. Conscientia
pax.

est in me, &c. Psal. 7. Et alibi: Iustus dominus iustitias diligit, rectum vultu suo intuetur. Psal. 11. Sed longum foret omnes huius generis sententias recensere. At si eundem Dauidem in Absolonica persecutione consideres, quam propter violatas charitatis leges, adulteriū scilicet & cædem Vriæ iniustam, sibi immitti agnoscebat, longè alium videbis. Tunc enim non Dei iustitiam appellare audet, sed anxius multitudinem miserationum Dei implorat. Psal. 51. Nec recentis modò facinoris memoria excruciat, sed occurrunt cum hoc, quæcunque à pueris perperam facta erant. Quare alibi ait: Peccatorum adolescentiæ meæ ac scelerum meorū ne sis memor. Memor autem mei sis iuxta benignitatem tuam, &c. Psal. 25. Hæc si ipse tecum conferas, & in propriæ conscientiæ penetralia descendas, ô homo, facilè videbis, quàm amplus & excellens hic fraternæ dilectionis fructus sit.

Quantum bonum sit conscientia pax.

Sed ut hæc magis commendaret, breui demonstratione docet, quanta eorum sit infelicitas, quos mens sibi malè conscia exagitat: vicissim verò quàm felices sint, quos nulla conscientia infestatio exercet. Sic enim subiicit: Quòd si cõdemnet nos cor, maior est Deus corde nostro, & non uuit omnia. Charissimi, si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga Deum. Prius membrum comparisonem habet minoris & maioris. Sic enim dicere videtur: Si ea est peccati atrocitas, ut corda nostra, quæ alioqui cæca sunt & sibijpsis in sceleribus blandiri solent, eius conscientia infestare possit, quid de illo Deus iudicabit, qui & maior est corde nostro, & omnia nouit? A corde quidem nostro non multum timendum est, quia potestatem vel in nos vel in alios nullam habet. Deus verò is est, qui vno momento damnare & ad inferos detrudere potest. Ad hæc corda nostra sæpe multa latent, quæ à nobis contra Dei leges facta sunt, dū ad carnis & mundi iudicium potius quàm ad Dei tribunal respicimus. At Deus sua sapientia omnem creaturam penetrat, omnia videt, omnia audit, est denique scrutator renum & cordium. Psal. 7. Jer. 11. 17. 20. &c. Quid ergo coram hoc iudice poterimus? Quam afferemus excusationem? Quo prætextu illius seueritatem eludemus, qui ne proprii cordis accusationem possumus effugere? Annon hærebimus & trepidabit quoties de Deo cogitat? Quòd si verò res nostras sic instituerimus, ut nullius destinatae malitiæ nobis simus conscij, intrepida nobis esse poterit per Iesum Christū diuinæ gratiæ fiducia. Nam licet multas labe peccatorum nostra nobis aspergat infirmitas & naturalis corruptio, eas tamen Christi merito ablui certò norunt & credunt, qui deuoto peccandi studio non tenentur.

Docet hic locus, quàm referat conscientia sensum non extinguere, vel reprimere violenter. Nam quosdam inuenire licet, qui ut liberius & maiori cum voluptate peccare possint, toti in hoc sunt, ut contra proprii animi dictata securum Dei & iudiciorum ipsius contemptum sibi persuadeant: ijs similes, qui apud Psalmistam dicebant: Dominus non videt, neque Deus Jacob intelligit. Sed quid ijsdem propheta respondet? Intelligite stupidi in populo, & stulti quando demeritis? Is qui aurem condidit, quomodo non audiret? qui oculum finxit, quo pacto non videret? Qui totas gentes corripit, qui que hominès scientiam docet, vos non argueret? Nouit dominus cogitationes hominum vanas esse, &c. Psal. 94. Nemo igitur falsa persuasionem sibi illudat. Insuper enim finis est eorum, qui Deum nihil videre & nihil iudicare persuasi, in omnem peccandi libertatem efferuntur. Non dormitat Deus, qui conscientie stimulos suo tempore in animis eorum excitat, ut qui cum Caino Deo impudenter obloqui audebant, tandem dicant: Maior est iniquitas nostra, quàm ut remitti possit. Cogitemus potius, nos in Dei conspectu ambulare, qui tam boni quàm mali remunerator est, coram cuius tribunali omnes quoque nos sisti oportet, ut reportet vnusquisque in corpore suo iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum. 2. Corinth. 5. Sed ad Ioannem redeamus, qui tertium fraternæ dilectionis fructum his verbis exprimit.

3. Exaudiuntur preces.

Et quicquid petierimus, accipimus ab eo: quoniam præcepta eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Insigne bonum est, quod pollicetur, & quo vix aliud hominibus magis necessarium. Ut enim vita hæc nostra miseriarum plena & quasi lachrymarū vallis est: ita in miserijs vnica salutis anchora & asylum est Deus, ad què per pias & fideles preces confugitur, iuxta id quod ipse præcipit: In tempore tribulationis inuoca me, & eripiam te, tu vero glorificabis me. Psal. 50. At quia multa occurrere possunt, quæ precantes remorantur, ne certa fiducia Deum inuocent, illos confirmari omnino necesse est, cum non exaudiatur, qui sine fide orat. Et hic quidem primum locum meritò obtinere debent promissiones ab ipso Deo nobis exhibitæ, quibus opem suam inuocantibus se pollicetur, quales in scripturis passim obuias habemus. Sed quia in homine est quod fidem eius oppugnat, prodest in illo ipso monstrare quo eadem confirmetur. Facit hoc ad optionis spiritus, in quo clamamus, Abba pater. Ne verò ita clamantes illud audiamus, quod apud prophetam Israeli obijcitur: Si ego pater vester sum: vbi honor est quem mihi impenditis? Mal. 1. alio

alio rursum fulcro animos nostros confirmari oportet, quod in charitate nobis monstrat Aposto-
lus. Si (inquit) hac instructi fuerimus, accipiemus à Deo, quicquid petierimus. Simul autè huius
dicti causam subiicit: Quoniam præcepta eius custodimus, & ea quæ placita sunt coram eo, faci-
mus. Argumentum tale est: Quicumq; Dei præcepta custodiunt & ipsi placere student, exaudiun-
tur à Deo in suis precibus. Scribitur enim: Oculi domini intèti sunt super iustos, & aures eius ad
preces eorum. Psal. 34. Quicumque verò charitatem fraternam exercent, Dei præcepta faciunt &
illi placent. (Nam & charitas legis impletio est. Rom. 13. & Christus hoc suum præceptum primū,
& quasi vnicum, esse dicit, quo reliqua omnia comprehendantur, vt nos inuicem diligamus, sicut
ipse dilexit nos. Ioan. 15. & 13.) Quid ergo hinc aliud colligemus, quàm illorum preces certò exau-
diri, qui animos charitate instructos habent? Est hic locus diligenti consideratione propter duo,
quæ hinc disci poterunt.

Primò enim admonemur, qui fiat quòd interdum preces nostræ minus exaudiuntur. Eam
nimirum ob causam, quòd à charitate alieni, aliorum miserijs nec commouemur, nec illo-
rum precibus quicquam à nobis impetrari patimur. Quid enim tam iustū est, quàm vt irritos cla-
mores ipsi quoque fundant, quos nulli egentium fratrum clamores commouere possunt? Quare
spiritu sancto dictante Solomon pronunciauit: Qui obturat autem suam ad clamorem pauperis,
clamabit & ipse, & non exaudietur. Prou. 21. Quò & illud Iacobi referri potest, qui contra priuati
commodi studiosos & æmulatores inuidos scribens ait: Concupiscitis, & non habetis: inuidetis
& æmulamini, & non potestis adipisci: pugnat & bellatis, nec habetis, propterea quòd non po-
stulatis. Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis, vt in voluptatibus vestris infumatis. Iac. 4.
Quæ tamen omnia non in eum sensum rapi debent, quasi charitatis operibus meritum ascriba-
mus, & hæc faciamus salutis nostræ causam. Ex ijs enim, quæ hucusque dicta sunt, satis patet, cha-
ritatem fidei fructum, & filiorum Dei externam esse tesseram. Quicquid ergo charitati tribuitur,
propter fidem fit, quæ eius quasi parens & fons est.

*Cur preces sæpe
non exaudiuntur.*

Secundò docet locus hic, qui homines Deo placere possint. Ait enim Apostolus: Præcepta
eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram ipso facimus. Deo igitur placent, quæ iuxta præce-
pta ipsius sunt: eidem verò displicent, quæcunque præceptis ipsius sunt contraria. Nec enim ex
nostro arbitrio & zelo cultus Dei dependet, sed ex ipsius voluntate, quam verbo suo nobis reue-
lauit. Et vt is seruus nobis placere solet, qui nostris præceptis obtemperat, non sui animi dictata
sequitur: ita Deo placebimus nos, si quæ ipse præcepit, exequi studeamus. Ingulantur hic huma-
næ traditiones, de quibus iam olim pronunciauit Dominus: Frustra me colunt, docentes doctri-
nas hominum. Isa. 29.

*Qui Deo placere
possint.*

Quod si duo hæc probè expendamus ô fratres, nō mirabimur pertinaces & diutinas nostri se-
culi calamitates, de quibus multi queruntur, qui tamen in causis illarū expendendis toti cęcutiunt.
Num enim melior & lætior illorū fors esse potest, qui nec in precibus suis exaudiri merentur, nec
Deo placere possunt in suis actionibus? At nostro seculo charitatis scintillæ omnes in animis ho-
minum ita extinctæ sunt, vt nulla fratrum nostrorum calamitas tam atrox esse possit, quæ ani-
mos nostros aliquo commiserationis affectu commoueat. Et qui reliquis sanctiores haberi vo-
lant, illorum sanctitas in nuda & frigida simulatione consistit, quæ & ipsa tamen non iuxta diui-
næ legis præcepta, sed secundum hominum traditiones instituitur. Nisi ergo hæc emendemus,
melioris status & fortunæ spes esse non poterit. Quare quæ Ioannes monet, animis nostris sic re-
condamus, vt in vita & moribus nostris sinceræ charitatis affectus, & ardens præceptorum Dei
studium, eluceat. Hinc enim fiet, vt in hoc seculo pro germanis Dei filijs certò agnosci, & cum Ie-
su Christo iuxta ipsius promissionem æterno regno frui possimus, cui debetur benedictio, gloria,
honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXI.

Et hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij eius, Iesu
Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. Et qui ser-
uat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Et per hoc scimus,
quòd manet in nobis, è spiritu, quem dedit nobis.

Multa hucusq; de fraterna dilectione dixit Apostolus, & illius studium multis, ijsque so-
lidis & firmis, rationibus cōmendauit. Fuit inter has nouissima, quòd nos à Deo precibus

nostris impetraturos dixit quæcunque petierimus, si nos mutuò diligamus. Est hæc insignis & cumprimis magna promissio, eo quæ maiore autoritate digna, quòd argumento euidenti confirmatur. Additur enim, nos ideo accepturos quæ petimus, quia præcepta Dei obseruamus & quæ illi placent facimus. Possunt hæc breui ratiocinatione comprehensa facillè intelligi. Constat enim oculos domini intentos esse super iustos, & domini aures illorù precibus patere, qui legem eius audiunt & obseruant. Psal. 34. At vicissim constat, legis diuinæ obseruationem maxima parte ex dilectione dependere. Nam Christus de Lege interrogatus respondet: Diliges dominum Deum tuum ex corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum, perinde atque teipsum. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Matth. 22. Et Paulus ait: Qui diligit alterum, legem expleuit. Rom. 13. Quid ergo hinc aliud sequetur, quàm à Deo patre benigniter exaudiri eorum preces, qui dilectionis studio flagrant? Cæterù, quia Apostolus hac occasione in mentionem præceptorum Dei & obseruationis eorundem inciderat, commodè absolutiorem eius loci tractationem subiicit, quam non oscitanter inspexisse multù proderit. Primò autem omnia legis diuinæ præcepta, quæ in infinitas species diduci poterât, duobus capitibus principalibus comprehendit. Mox ad eorum obseruationem incitat, dum insignes fructus, qui hanc sequuntur, proponit. Tandem omnia ista irrefragabili spiritus sancti testimonio confirmat. Oremus hûc, vt animis nostris huius doctrinæ certitudinem sic persuadeat, vt feruenti præceptorù Dei studio excitati, tam insignis præmij fructum assequamur.

*Argumentum præ
sensis loci.*

I. Et hoc est præceptum eius, ut credamus nomini filij ipsius, Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, si eum dedit præceptum. Vnum præceptum Dei proponit, non multa: quia vna duntaxat salus, & vnicuiusque origo est. Quia autem nos circa multa occupamur, vnicuiusque hoc præceptum varijs rebus accommodatum, multiplex fit & in species varias scinditur. Sed has omnes duobus capitibus Ioannes complectitur, fide nimirum & dilectione: & hac quidem quæcunque ad vitam huius cõuersionem ac morum institutionem faciunt comprehendit: illa verò religionem & cultù Dei vniuersum contineri docet. Nostrum est, quid de vtraque dicatur, totis animis cõsiderare.

*Præceptum Dei
unum simul &
multiplex.*

Præceptum fidei.

Præceptum fidei est, vt credamus nomini filij Dei, Iesu Christi. Consentiant huic sententiæ, quæ ipse Dei filius alibi dicit: Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filiù, & credit in eum, habeat vitam æternam. Item hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Ioã. 6. Est hoc ipsissimum salutis præceptum. Quia enim per Christum ad patrem peruenitur. (Ioan. 14.) qui vna & vera salus est, non potest non saluari, quicumque huic per fidem insitus fuerit.

*quid sit credere
in filium Dei.*

Prodest verò obseruasse Ioannis verba, quibus hoc præceptum enunciat. Cum enim simpliciter dicere potuisset, præceptum Dei esse, vt credamus in filium Dei, Iesum Christum: dicere maluit: Hoc est præceptum Dei, vt credamus nomini filij eius, &c. Est hæc prioris definitio. Docet enim quid sit credere in filium Dei: hoc ipsum scilicet, quod credere ipsius nomini, id est, ea de filio Dei credere quæ nomine eius significantur. Exemplo res clarior fieri poterit. Exhibetur tibi ab hortulano vel aliquo medicinæ studioso herba vel planta aliqua, quam ille Serpillum esse dicet. Credes tu illius nomini, si serpillum esse assentiaris, ea quæ illi tribuas, quæ historiæ naturalis scriptores serpillum tribuere consueuerunt. Eadem erit gemmarum, arborum, animalium, rerum denique aliarum omnium ratio. Sic nomini filij Dei credere dicuntur, qui talem esse agnoscunt, qualis suo nomine describitur. Sunt enim nomina rerum notæ, ex quibus illarum natura, proprietates & conditio dignosci solet. Hic ergo nomen filij Dei inquirendum erit: vbi nec circa Iudæorum Schem ham phoras nos occupari oportet, nec ea sigillatim excutere, quæ passim à prophetis & Apostolis illi tribuuntur. Sed generalissimum illud, quo ceu proprio in scripturis appellari solet, & ex quo nos quoque appellationem traximus, debet inspicere, quod est, IESVS CHRIS TVS. Hoc enim illud sanctum & verè salutare nomen est, in quo omne genu flectitur, in quo salus omnis datur, in quo miracula fiunt, in quo denique totius humani generis cõseruatio subsistit. Sed quia de hoc quædam in secundo capite dicta sunt, breuius in præsentis singula perstrin-
gi poterunt.

IESVS.

IESV nomen filio Dei incarnato proprium fuisse constat. Nam ab angelo illud inditum fuit, priusquam in vtero conciperetur, & postea in Circumcisione, solenni vsu confirmatù. Matt. 1. Luc. 1. Hebræis verò à salute dicitur, vt & Iehosua: cuius rei locupletissimus testis est angelus, qui Iosepho in somnis ait: Vocabis nomē eius Iesum: Is enim saluū faciet populum suū à peccatis suis. Iesu ergo saluatorē significat, quod nomen filio Dei propriè cõuenit, cū non aliud nomē sub cœlo hominibus datū sit, in quo salui fiāt. Act. 4. Et nomini filij Dei verè credēt, quicumq; hūc saluatorē esse agnoscunt, cuius beneficio è peccatorū luto asserti, & eorundē pœnis liberati sumus.

CHR

CHRISTVS filij Dei cognomen est, quod ex officio impositum, viam & rationem omnem, qua per ipsum saluati sumus, comprehendit. Græcis enim Christus dicitur, quem Hebræi Messiam nominant. Nobis vtrumque Vnctum sonat. Quia autem antiquitus Reges & Sacerdotes oleo sacro inungi solebant, ijdem etiam vncti domini dicebantur. Nulli tamen illorum nomen istud magis conuenire potuit, quam filio Dei pro nobis incarnato, qui & Rex populi Dei vnicus & eiusdem Sacerdos æternus factus est. Illi enim ab æterno dictum legimus: Ego constitui regem meum super Zion montem meum sanctum. Psal. 2. Et rursus: Tu es sacerdos æternus iuxta ordinem Melchizedæch. Psal. 110. Et sanè diligenter in eius consideratione versanti, nullum in illo, vel regis vel sacerdotis officium, deesse patebit. Nam regis boni instar leges fert & iura verè sancta constituit. Idem omne iudicium à patre sibi commissum habet, & olim in tremendo illo die iudicij extremam sententiam feret super omnem carnem, Ioan. 5. Matt. 25. Adhæc pro suis iam olim pugnavit, cum communi nostro hoste satana congressus, peccatum aboleuit, mortem deuicit, inferorum portas confregit, & omnem aduersariam potestatem pedibus suis gloriosus victor contriuit. Adest quoque suis indefinenter, eosdem defendit, nec aliquem ex suis sibi eripi patitur. Et cum talis tantusque rex sit, suis tamen minimè onerosus est, cum ipse sibi sufficiat, & beneficia potius conferre quam exigere norit. Neminem ergo exactionibus grauat, neminem tributis exhaurit, nemini vestigialium postulatione molestus est, nullius terreno regno inhiat, non opes alienas affectat, sed regni cælorum thesauros continua & inexhausta liberalitate profundit, propter nos olim in terris pauper factus, vt nos æternis opibus ditaret. Quod si eundem & sacerdotem videre cupis, quæ sacerdotum fuerunt olim considera. Versabatur illorum munus in docendo, orando & sacrificando. At quia mortales erant, crebris successoribus erat opus. Adhæc, quia non veræ expiationis, sed vmbraarum duntaxat ministri erant, illorum sacra omnia crebro iterari oportebat. At Christus, verus ecclesiæ sacerdos, quia æternus est, successores vel vicarios nullos agnoscit, & perfectæ redemptionis antistes, sacrificij sui repetitione non habet opus. Nam sacrificio corporis & sanguinis sui, semel in ara Crucis oblato, perfectæ expiatione pro peccatis totius mundi satisfecit, & æterna redemptione impetrata, carnem & sanguinem, quæ ex nobis assumpserat, in cælos subiecit, vt certi redderemur & nostra corpora eodè subuehenda esse. Idem & in terris agens magna cum autoritate docuit, & hodie per ministerium ecclesiæ, abs se institutum, docet, simulque hominibus spiritum suum inserit, qui eos illuminat & veritatis capaces reddit. Eodem modo & olim, cum in mundo versaretur, pro nobis orauit, & hodie in cælis intercessor & mediator noster coram Deo patre apparet. Hunc ergo Sacerdotem esse negabit nemo, nisi qui lucem tenebras dicere audeat. His verò in vnum collatis, patet eos nomini ipsius credere, qui hunc regem ecclesiæ vnicum & æternum agnoscunt, qui vt iudicem obseruant, qui vt redempto ri fidunt, qui vt munificum largitorem amant: adhæc qui sacerdotem agnoscentes, docentè audiunt, intercessione eius firmiter nituntur, & in vnica sacrificij per ipsum oblatis satisfactione acquiescunt. Comprehendunt hæc quæcumque de Christo Iesu in scripturis passim habentur, quæ omnia ad duos hosce Regis & Sacerdotis titulos referri debent. Quotquot itaque hæc in Christo vel omnino non agnoscunt, vel alios in horum participatum intrudunt, dum quæ Christi regis & sacerdotis sunt, alijs tribuunt, nomini filij Dei non credunt, & proinde primum hoc & summum Dei præceptum impia temeritate transgrediuntur.

Alterum magni illius & principalis præcepti caput est: Vt diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. Poterat simpliciter dilectionem mutuam requirere, sed eius modum & regulam quæ monstrat, quæ est præceptum Christi. Quia enim hic caput nostrum, rex & sacerdos ecclesiæ est vnicus, omnes nostras actiones iuxta ipsius præscriptum institui oportet. Excludit hoc omnem simulationem & fucum, quo in dilectione plerique vtuntur. Nam multos inuenire est, qui proximum diligere videntur, & dilectionis officia cumulatim conferunt, dum bene de illo loquuntur, famam eius defendunt, profunt etiã vbicunq; datur occasio. Sed quia hæc omnia non nisi priuati commodi gratia faciunt, dum maiora beneficia ab illis, quos amare videtur, vel recipiunt, vel saltè sperant, certè non proximum, sed seipos diligere dici debent. Aufer enim illis omnem commodi spem, & quicquam ad illos ex proximi commodis vtilitatis peruenire nega, mox tepidos & languentes videbis, qui in amore toti feruere videbantur. Rursum alij sunt, qui verbis quidem amant, opera autem dilectionis omnino nulla exercent, quos tinnienti cymbalo non ineleganter confert Paulus apostolus. 1. Cor. 13. At si Christum audias, illius præcepto omnem hunc fucum procul arceris senties. Is enim quia hostes diligere & ijs benefacere iubet, qui & verbis & factis, in nos iniurij sunt, nullum priuato affectui in dilectione locum relinquit. Matt. 5. Adhæc, dum suo exemplo animas pro fratribus deponere præcipit, dilectionem nullo modo in verbis consistere, sed factis eousque

Præceptum dilectionis.

extendi vult, vt nec sanguini proprio parcamus, si hunc proximi salus exigit. Ioan. 15. Vides ergo non temere factum, quod dilectionis regulam, Christi præceptum, Apostolus proponit. Sed quia de hac in præcedentibus multa dicta sunt, plura etiam sequenti Capite subijciuntur, hæc modò pauca sufficiant.

Cur fides & charitas coniungatur.

Priusquam tamen ab hoc loco discedamus, rationem inspicere oportet, propter quam fidei & dilectionis præceptum coniungantur. Hanc dum aliqui minus obseruant, inter fidem & dilectionem ita distinguunt, quasi vna absq; altera homini adesse possit, & fidem dilectione perfici fingunt. Quo errore decepti eò delabuntur, vt contra Apostolicam doctrinam fidei iustificationem negent, & omnem iustificationis gloriã in opera transferant. Obseruandum ergo duo hæc naturaliter coniungi, nec alterum sine altero posse subsistere. Nec enim fieri potest, vt Christo fidat, qui illum non diligit. At quomodo Christum diligit, qui illum fide nondum apprehendit & nouit? Quis qui Christum diligit, eiusdem membra diligit oportet, à quibus ille separari non potest. Quoties ergo fidei dilectio coniungitur, vel fides per dilectionem operari dicitur (vt Gal. 5. legimus) non eo sensu id accipi debet quasi fides absq; dilectione subsistere possit, ea autem ubi libet ceu in strumento vtatur: sed dilectionem naturalem & ingentem fidei vim esse intelligamus, qua sese operibus declarat. Quæ causa est, quod opera quæ fiunt, ad fidem potius quam dilectionem referri debent, si propriè loqui velimus. Nam quæ per se dilectionis opera videri poterant, si absq; fide fiunt, peccati potius quam bonorum operum nomen merentur. Rom. 14. Et Christus pharisæorum eleemosynas eò nomine damnat, quod ambitione fascinati, præmiũ ex hominibus sperarent, non autem fide ad Deum remuneratorem respicerent. Matth. 6. Exempla sunt & similia in rerum natura, quæ hoc ipsum pulchre illustrent. Ignis & calor inter se distincta videri possunt, & nominibus verè distinguuntur. Sed quia natura sic coniuncta sunt, vt nec ignis sine calore, nec hic sine illo esse queat, calor effectus ad ipsum ignem, qui hunc naturaliter gignit, referuntur. Quoties ergo sophistæ fidem sine operibus nobis obijciunt, & opera dilectionis ita extollunt, quasi per ea fides absoluat, improprio & scelerato dolo simplicium animis laqueos tendunt. Fides enim, quæ dilectione caret, non magis fides est, quam cadaver mortuum homo dici poterat. Et Apostoli dum fide nos iustificari docent, non de mortua & inani fidei gloriatione loquuntur, sed viuũ illum & certum assensum animi intelligunt, qui operatione spiritus sancti generatus, Christum totum amplectitur, hominem totum in Christi communionem rapit, vt iam non homo ex se, sed in homine Christus & homo in Christo viuat, Gal. 2. Sed temporis angustia monet, vt ad secundam huius loci partem transeamus.

Prædictus obedientia Christiana.

II. Et qui seruat præcepta eius, in illo manet, & ipse in eo. Breuis inest verbis hæc ad obseruationem præceptorum Dei exhortatiuncula. Explicant enim & pollicentur amplissimum fructum ijs, qui ista obseruauerint. Qui Dei præcepta seruat, in illo manet, & Deus manet in eo. Describit sic communionem, quæ est inter Deum & præceptorum eius obseruatores, de qua Cap. 1. dictum est. Meminit eiusdem ipse Christus, ex cuius ore Ioanes omnia sua desumit. Ait enim ille: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14. Comprehendit promissio hæc omnem hominis felicitatem, tam futuram quam præsentis sæculi: quia fieri nequit, vt ei quicquam desit, qui cum Deo omnis boni fonte, communionem tam familiarem fruitur. Non patiuntur parentes liberis suis ea deesse, quæ ipsorum salutem & pluiam negat, eo argumento declarans, quam prompto animo, quam benefico in eos esse velit, qui in præceptis suis ambulare student.

Ratio felicitatis consequenda.

Est ergo memorabilis omnino hæc sententia. Tradit enim absolutissimam veræ felicitatis consequendam rationem, quæ in obseruatione præceptorum Dei versatur. Consentiant huic quæcunq; in scripturis de hac traduntur. Deus certè cum Abrahamo fœdus pangens, & omnem in seipso sufficientiam pollicens, hanc vicissim ab illo postulat, dicens: Ambula coram me, & esto integer. Gen. 17. In lege nihil tam frequens & vulgare est, quam quod præceptorum Dei obseruatoribus omnis generis bona promittuntur, eorundem verò transgressores minis horrendis terrantur. Lege Leuit. 26. Deut. 28. &c. Prophetarum scripta hoc ipsum nusquam non inculcant. Nec exempla delinquentium, quibus à Dei præceptis discedere ausi sunt. Vt primum verò in viam obedientiæ reuersi, præceptis Dei paruerunt, libertatis vindices & assertores Deus excitauit, qui hostium tyrannidem infringent. Debat horum consideratio hodie esse frequentior, quado multi pertinaces nostri sæculi calamitates admirantur, famem nimirum & penuriam rerum diuturnam, incognita ante & noua morborum genera, seditiones, bella intestina, externos hostes, ciuitatum excidia, rerum publicarum oppressiones, & quæ

& quæcunque alia infelicem terrarum orbem hodie miserè diuexant. At iustè admirationis locus nullus est, si quæ publicè & impunè apud omnes fiunt, consyderes. Quem enim populum dabis, quam rempub. quæ in magni huius & verè salutaris præcepti obseruatione seriò versetur, vel illud saltem ad se pertinere puter? Fides in vnigenitum Dei filium, Iesum Christum, non à Turcis modò & Iudæis, verumetiam ab ijs maxime, nò negligitur, sed proculcatur, qui Christianissimi videri volunt. Licet enim hunc & Iesum & Christum esse fateantur, negant tamen quæcunq; hisce nominibus comprehensa sunt. Nam & salutis gloriam in Creaturas transferunt, & noua fingunt ecclesiæ capita, & quasi Christus ea deserta apud Aethiopes cum Ioue Homericò conuiuatur, vicarios pro suo arbitrio constituunt: alios item doctores sequuntur, in quorum nomina, contempto & neglecto Christi nomine, iurare ipsis graue non videtur: mediatores & intercessores alios quærunt, satisfactiones pro peccatis nouas indies excogitant, sacrificium Christi iterare audent, quasi vel non perfectum fuerit, cò ipse se in ara Crucis offerret, vel illius virtus, vt plantè alicuius emortuæ, consumpta sit & abolita. Et hæc non modò faciunt stulti homines, sed & alios eadem facere cogunt, & regum potentia ad suæ impietatis defensionem abutuntur. Taceo nunc infinitos abusus, quos istorum hominum audacia, contra fidei præceptum, in ecclesiam inuexit. Taceo falsa dogmata, sacrorum nundinationes & quæcunq; alia sunt eius generis, quibus còmemorandis totus hic dies non sufficeret. Quòd si verò nos videas, qui euangelij notitia gloriamur, nihilò his meliores inuenies. Auditur quidem in ecclesijs nostris vera Christi saluatoris doctrina. Vendicatur illi constanter omnis nostræ salutis gloria. Prædicatur Iesus, id est, saluator esse vnicus. Prædicatur Christus, id est, rex & sacerdos. Sed quotus quisque est, qui huic prædicationi credat? Si enim saluatorem credimus, cur non amamus, & pro illo fortunas nostras deponimus? Cur ab illo nos patimur abstrahi? Cur mundi amicitiam & voluptates carnales illi præferimus? Si regem agnoscimus, cur non obedimus? Cur non iudicium eius expauescimus? Cur non pro illo pugnamus? Cur ipsum pro nobis pugnantem nò strenui sequimur? Cur ipsius protectioni diffidimus? Si sacerdos & doctor veritatis nobis est vnicus, cur nò credimus doctrinæ, quæ ab ipso docetur? Cur virtutes còmendantem nò audimus? Cur vitia dissuadentè negligimus, ridemus, imò conuictijs proscindimus? An verò hæc omnia à nobis fieri negabimus? Neminem certè hoc vel posse vel velle arbitror. Clamat enim & testatur contra nos vita nostra. Accusant nos fidei hostes, qui nos ipsis nihilò sanctiores esse verè dicunt, & propter nostræ vitæ còscelerationem euangelij doctrinam exosam habent. Còstat ergo fidei præceptum passim negligi ab illis ipsis, qui Christi nomine gloriantur. De dilectione quid attinet dicere, cū passim regnent quæ cū huius legibus ex diametro pugnat? Iamne ergo amplius calamitates, tã graues & diuturnas, nostri seculi mirabimur, aut illarum causas vanis speculationibus inquiremus? Cū hæc vbiq; fiant, cū Deo còmunionem habere nò possumus, & proinde à spe melioris còditionis sumus exclusi. Vna salutis via est, ad Dei præcepta reuerti & illorū obseruationi studere. Peccatis cessantibus, cessabūt & horum pœnæ. Reuertimini ad me (clamat apud prophetam dominus) & ego reuertar ad vos. Zach. 1. Ier. 3. & 31. &c.

Sed dicat aliquis: Magna & splendida quidem hæc promissio, quòd Deū in se manentem habiturus sit, & ipse quoq; in Deo mansurus sit, qui ipsius præcepta obseruat. Quo autem teste de re tanta certior reddi poterit homo? Quis animum fluctuantem còfirmabit? Nec enim hic aliqua esse potest humani testimonij autoritas. Nisi propria hominis mens huic promissioni còsentiat, frustra vniuersus orbis hanc auribus ingeret. Ne quid ergo dubij superesset, testem producit locupletissimum Ioannes, quo nemo & maior & fide dignior produci poterat. Sic enim ait:

III. Et per hoc scimus, quòd manet in nobis, è spiritu, quem dedit nobis. Sensus verborū est: Magna sunt & præclara quæ promissimus dō honto, & scimus dubitationes de his non exiguas in animis hominum oboriri posse. Sed non est, quòd ad nostram vel quorumuis aliorum autoritatem respicias. Intra teipsum huius rei testem irrefragabilem senties, vt primum præcepto huic Dei te totum addixeris. Christus Iesus enim ijs, qui in se credunt, spiritum suum pollicitus est, quem nò possunt non habere quicumque Christi sunt. Ioan. 14. 16. Rom. 8. Is inter alias functiones & hãc habet, quòd arrhabet & pignus est salutis nostræ, quemadmodum Apostolus prædicat. 2. Cor. 1. & 5. Eph. 1. Sicut enim Christus carnè è nobis assumpsit, eamq; in cœlos subuexit, vt pignus nostrum in cœlis esset, quo còstaret & nostram carnem eodem iuxta illius promissionem subuehi debere: ita vicissim de spiritu suo nobis dedit, vt eiusdem rei pignus in animis nostris haberemus. In hoc spiritu clamamus, Abba pater, eò quòd adoptionis & filiorū Dei spiritus est. Rom. 8. Gal. 4. Hunc spiritum sentiunt, quicumq; fidem habēt in se veram, cuius testimonium tam est efficax, vt solum contra totius mundi clamores sufficiat. Licet enim omnes philosophorum scholæ, omnes patres, omnia Concilia, omnes reges & principes, omnes deniq; omnium ordinū homines vni ex fidelibus

Salus nostra sp̄
ritus testimonio
confirmatur.

C A P V T I I I I .

contradicant, & vno ore hæreticum & damnatum esse pronuncient, irrita tamen erit omnium horum autoritas, & in animo fidelis murus abeneus erit spiritus hic, quo ita confirmatur, vt si fractus illabatur orbis, impaudum feriant ruinae. Exempla huius rei in Apostolis sunt & martyribus, qui nec tantæ contradicentium autoritati resistere, nec tot minis tamq̃; atrocibus supplicijs sufficere potuissent, nisi maiori cœlestis spiritus virtute fuissent confirmati.

Fidei Christianae dignitas.

Patet in his excellens nostræ fidei dignitas & gloria, quæ & tantis promissionibus nititur, & tanti testis autoritate stabilitur. Iactitent alij suorum placitorum authores, gloriantur patribus, Concilijs, pontificibus, Imperatorum maiestate, regum & principum splendore: nobis hic testis sufficit, qui nullius contradictione confunditur, nec aliorum clamoribus cedere nouit. Hic animos nostros de veritate cognita tam certos reddit, vt dubitare nõ possint. Illorum aut̃ animi non possunt nõ fluctuare, quoties principũ ruinas & instabilem mundi huius conditione intuentur.

Admonet nos officij locus hic. Si enim spiritum suum animis nostris Christus inseruit, nos spiritus sancti templa & hospitia esse constat. Decet ergo, vt puritati & sanctimonie studeamus, ne contristetur in membris nostris spiritus Christi, qui cum impuris habitare nescit. Refer huc quæ à Paulo dicuntur 1. Corinth. 6. cap.

Vidimus hucusque, fratres, breue eorum quæ salutis nostræ seruiunt compendium. Docuit Ioannes quæ præceptorum Dei summa sit, quæ fidei ratio, & totius vitæ nostræ conuersatio esse debeat. Promisit studij tam sancti fructus vberimos, & promissionis suæ teste adduxit, quem contemnere nemo potest, nisi qui animo proprio credere nolit. Agnoscamus ergo Dei bonitatem, qui nec præceptis nimis nos grauare, nec salutis incertos esse voluit. Seruemus præcepta eius, vt in huius vitæ curriculo communionem cum illo habeamus, æternum regnaturi cum filio eius Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

C A P V T I I I I .

H O M I L I A X X I I .

DILECTI, ne cuius spiritui credatis: sed probate spiritus, an ex Deo sint. Quoniam multi pseudoprophete exierunt in mundum. Per hoc cognoscite spiritum Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo non est. Et hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis, quod uenturus sit, & iam nunc in mundo est.

Vidimus nuper circa finem capitis tertij omnem fidei & salutis nostræ rationem breuiter quidem, sed perspicue, ab Apostolo comprehensam. Docuit enim omnia Dei præcepta impleri fide in filium Dei Iesum Christum, & mutua dilectione. Simul verò expo-
fuit amplissimos fructus, quos consequi solet, quicumque hæc Dei præcepta obserua-
uerit. Nam is cum Deo communionem fruitur, quæ omnis boni causa & origo est. Ne tamen de
promissione tam liberali & magnifica aliquid dubitaret nostræ carnis infirmitas, eiusdem testem
producit irrefragabilem, spiritum Christi, quem is animis nostris immittit, vt salutis nostræ archa-
bo sit, & nutantes in fide animos quotidie suffulciat & confirmet. Est hæc doctrina simplex & fa-
cilis, quam quiuis & intelligere & sequi potest, cuius animus à religione & veritatis studio mi-
nus abhorret. Sed ea semper fuit hostis satanæ improbitas, vt simplicem veritatis doctrinam fu-
co errorum & superstitionis obscurare conatus sit: nec eorum modò opera ad eam rem vitur,
qui manifesti nominis Christi hostes sunt, sed illorum quoque, qui Christi nomine gloriantur, &
spiritu Christi se duci & impelli simulant. Quam ob rem ne illorum insidijs nostra pateret sim-
plicitas, nos contra illos hoc loco præmunit Apostolus. Nã primò, à fidelibus prudentia requirit,
qua usi nõ facile amplectatur quoduis doctrinæ genus, sed singula probè examinata ad iudicium
veritatis reuocent. Deinde vt hoc fieri possit, breuiter docet. Vtrobique autem rationes interserit,
quæ id necessarium factu esse, demòstrent. Faxit Deus, vt inter tã graues & perniciosas nostri se-
culi de doctrina controuersias, de re omnium utilissima dignè & cum multorum fructu differamus.

*Argumentum præ-
sentis loci.*

I. Dilecti

I. *Dilecti, ne cuius spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* Proponit his verbis summam suae admonitionis. Spiritus verò vocat vel doctrinas vel doctores, qui spiritu se pręditos esse gloriantur: quo sensu & illud Pauli dicitur: Spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. i. Cor. 14. Sensus ergo verborum Apostoli est, non temere omnibus credendum esse, qui doctrinæ suæ spiritus sancti auctoritatem prætexunt. Requirit enim examen, quo doctrinæ omnes ad veritatis regulam probentur, ne falsa pro veris, & pro salutaribus Dei præceptis perniciosas & noxias hominum traditiones recipiamus. Subijcit verò rationem, qua hoc & utile & necessarium esse probet, cū inquit: *Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* Sic enim vult dicere: Si non alij quàm syriceri veritatis doctores essent, nec alia dogmata quàm quæ cum simplici veritate faciunt, in mundo spargerentur, superuacaneum videri poterat quod moneo, meaque hæc cura planè esset inutilis. Sed oberrant hinc inde falsi doctores veris intermixti, qui virus suum partim clàm inspirant simplicioribus, partim aperto Marte fidem veram oppugnant. Facile igitur fieri potest, vt in tales incidamus, & mendaciorum tendiculis capiamur, si temere cuius doceti fidem adhibere libeat. Necessariū ergo est quod moneo, nec nisi ab illis contemni potest, qui suæ salutis rationem habent nullam. Sunt hæc notis diligenter meditanda ô fratres, nostro seculo, quando vbique terrarū noua quotidie dogmata sparguntur, eaq; tam inter se pugnantia, vt simul subsistere nullo modo possint. Excutiamus itaq; singulā, quæ hic dicuntur, paulò diligentius.

Spiritus pro doctrinæ vel doctoribus.

Priusquam verò reliqua attingamus, generalem illam curam spiritus sancti obseruare conuenit, qua fidissimi patris instar cauet, ne fides nostra impostorū falsis dogmatibus subuertatur. Adhibuit hanc omnibus seculis tanto studio, vt nullum vel veteris vel noui Testamenti librum inuenias, qui non hac in re nos probè instruat. Extant enim in Lege nō contemnendi Canones, quibus pseudoprophetas à veris dignoscamus, quos videre est tū alibi, tum Deute. 13. cap. In prophetarum scriptis passim obuia sunt, quæ ad hanc causam faciunt. Nec enim tantum cōtra sui seculi seductores pugnant, sed etiam de venturis vaticinantur, & eosdem agnoscere docent. Legatur quæ huc pertinent, Ezech. 34. Dan. 7. & 11. Zachar. 5. & 11. &c. In noui Testamenti libris vt omnia alia, ita & hæc euidentius multò traduntur. Christus clamat: *Cauete vobis à pseudoprophetae, qui veniūt ad vos vestiti pelibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Ex fructibus illorum agnosceris eos. Matth. 7. Idem monet, vt cæcos cæcorum duces deuitemus, qui neglectis Dei præceptis hominum traditiones prædicant. Matth. 15. Alibi fures & latrones esse pronunciat, quicumque per aliud ostium, quàm ipse est, ingredi conantur, & extra Christum aliam salutis viam monstrare audent. Ioan. 10. Nec contentus eos impugnauiſſe, qui illo tempore populum seducebant, eos quoque depingit, quos nouissimo seculo venturos esse nouerat. Matth. 24. Ait enim: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere.* Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, etiā electi. *Ecce prædixi vobis.* Si ergo dixerint vobis: *Ecce in deserto est: nolite exire.* *Ecce in penetralibus: nolite credere,* &c. Exemplum Christi imitati Apostoli, eadem magno serio vrgent & inculcant. Facit id Paulus Acto. 20. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 4. 2. Theff. 2. &c. Nec circa hoc negligens est Petrus, qui 2. cap. epistolæ suę posterioris omnia, quæ de pseudoprophetae nostri seculi dici possunt, satis copiosè exponit. Idem in Ioanne supra cap. 2. vidimus, qui tamen eadem (nē quid omittat) hic repetit, plura & in secunda epistola post dicturus. At magnas & graues esse oportet huius diligentie spiritus sancti causas, vt reuera sunt. Sicuti enim vera doctrina in hominum animis fidem plantat & alit, Christo inserit & in viam salutis deducit: ita falsis doctrinis fides subverti, à Christo homines abstrahi, & in viam vel barathrum perditionis abripi consueuerunt. Non igitur superuacanea videri debet eorum diligentia, qui hodie in hoc incumbunt, vt falsis doctoribus negotium faciant. Si enim olim hæc prædici oportuit, quid nunc factu opus est, quando lupi illi in grege Christiano grassantur, quando Christus monstratur hinc inde, & totus quantus est vnà cum anima & diuinitate in sacramento altaris, vel etiam ædicula sacramenti siue Ciborio esse dicitur? Quando item falsis doctrinis ecclesiam Christi in varias sectas scissam, & stupendis superstitionibus pollutam, cernimus? Hic certè totis viribus inflari debet verbi diuini tuba, ne quis nostra socordia pereat: nec audiendi sunt, qui vt omnibus commodi videantur, omnes religiones probant, & omnibus doctrinis assentiri & blandiri solent. Vt enim de hoc periculo taceamus dicere, alij quoque non penitendi huius studij fructus sunt.

Spiritus S. curā & fides erga nos.

Docent enim tam fidæ Christi & Apostolorum de seductoribus admonitiones, ne offendamur si quando falsa dogmata seminari, & sectas pestilentes excitari cernimus. Nihil enim hic nouum sit, sed quod futurum spiritus sanctus prædixit. Et est hæc perpetua euangelij conditio, vt

Falsis doctrinis ne offendamur.

huic in animos nostros seminato per sua organa infelix lolium superfeminet improbus generis humani hostis, dū homines dormiūt, & in salutis negotio securiores sunt, quā par erat. *Matt. 13.* Permittit autē ea iusto iudicio Deus, partim vt probentur electi (*1. Cor. 11.*) partim vt impij digno supplicio pereant. Quid enim tam iustum est, quā vt mendacijs ad perditionem & interitū sempiternum seducantur, qui veritatem diuinitus oblatam amplecti & sequi nolunt? Vide hac de re Paulum scribentem *2. Thess. 2.* & impostorum nostri seculi felices successus minus miraberis.

Errores vetustate non debent defendi.

Ad Pompeiū contra epistolam Stephaniani.

Admonemur præterea, errores nulla vetustate & consuetudine aut longi temporis præscriptione defendi posse, cum & olim errores multi fuerint, & qui hodie sunt, prophetarum oraculis prædicti sint, utrosque autem iam olim spiritus sanctus damnauerit. Quod si aliquot secula ad doctrinā & religionis alicuius, per homines introductæ, defensionem sufficere putamus, eadem ratione & gentilismum totumque illud gentilitiæ idololatriæ chaos probabimus, quod multis seculis omnes nostri seculi errores præcessit. Sed vanum est in religionis causa vetustatis nomine commendare, quod aliquando non fuit, & tandem hominum ingenio & opera excogitatum est. Nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepfit (vt *D. Cypriani* verbis vtamur) impedire debet, quod minus veritas præualeat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem: & ad primum vetustatis omnis terminum vel initium respiciamus, & quid tunc à Deo institutum & traditum sit, consideremus. Inueniemus verò illic Christum Iesum tradi & fidem, qua huic nitimur. Nec vnquam mutata est hæc fidei & salutis ratio, vt vt pro temporum varietate ceremoniæ & ritus sacri varientur. Quicquid igitur ab hac discrepat, vt nouum & commentitium fugiamus. Quæ enim obstinatio (vt idem *Cyprianus* ait) quæque præsumptio est, humanam traditionem diuinæ dispositioni antepone, nec animaduertere indignari & irasci Deum, quoties diuina præcepta soluit & præterit humana traditio, &c. Sed de hoc in ijs, quæ modò sequuntur, plura dicemus.

Doctrinæ dijudicari debent.

Præceptum Apostoli est: Ne credatis cuius spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Plana sunt verba, & quorsum tendant, supra dictum est. Arguuntur autem & conuincuntur illis duo hominum genera, quæ hodie passim obuia sunt. Primum eorum est, qui quæcunque vel ab ipsis vel ab alijs, quorum autoritate nituntur, decretum ac constitutum fuerit, ab omni voluntas, vel paucorum quorundam autoritas. Adimunt autem tam ecclesijs quā singulis fidelibus, quod à Deo non datum modò, sed singulari etiam præcepto iniunctum est, libertatem nimirum iudicandi de doctrinis. Probant sic, quo spiritu agantur. De antichristo legimus, quod regnum suum humana autoritate & prudentia stabiliturus sit. At Christus ouibus suis hoc proprium esse dicit, vt inter veri & falsi pastoris vocem discernere, & hanc quidem fugere, illam verò sequi possint. *Ioan. 10.* Vult ergo vt de voce, quæ in ecclesia sonat, oues iudicent. Et *Paulus* prophetarum spiritus prophetis subijci, & iudicium penes sedentes esse dicit. *1. Cor. 14.* Idem se ipsum, imò & angelos, huic censuræ subijcit, & anathema haberi vult omnes, quicumque nouum euangelium docere audent. *Gal. 1.* Quæ ergo væfania est, hodie postulare vt quiduis temere oblatum, reclamante etiam conscientia & deserto Dei verbo, homines amplectantur? Est hæc plusquam gygantea audacia, quam Deus, ad quem ecclesiæ gubernacula pertinent, inultam non dimittet. Secundum genus eorum est, qui quamuis doctrinam temere vel probant vel improbant, priusquam prout dignum erat, examinata fuerit. Differunt hi animis & voluntatibus. Priores enim ea facilitate morum præditi sunt, vt indignum putent, propter dogmata fidei cum quoquam altercari. Simpliciter ergo credunt, id est, temerarij & leues omne id recipiunt quod docetur, persuasi nimirum, omnem erroris culpam in docente solo hæere. Alteri verò morosi & suarum opinionum pertinaces assertores, illico clamant, quicquid cum his pugnare vident, ne vel ipsi vel maiores ipsorum errauisse videantur. Sed ad utroque pertinet quod *Ioannes* dicit: Probate spiritus. Et vt leuitatis est, cuius doctrinæ credere: ita inexcusabilis est morositas & pertinacia, quamuis doctrinam damnare & reijcere, non adhibito prius fidei & spiritus iudicio, qui in scripturis loquitur. Medium ergo teneamus o fratres, & priores sibi dictum putent illud Apostoli: Non amplius simus pueri, qui fluctuamus, & circumferamur quouis vento doctrinæ, &c. *Ephes. 4.* Alteri verò ad se pertinere cogitent, quod idem *Apostolus 1. Thess. 5.* ait: Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Quomodo doctrinæ dijudicandæ sint.

Quid verò spectandū in probatione vel dijudicatione doctrinarū? Oportet enim certi aliquid habere, quod in doctrinis deprehensum, illas vel recipiendas vel damnandas esse, doceat. Ostendit hoc vno verbo apostolus: Probate (inquit) spiritus, an ex Deo sint. Breuis sententia pronūciata, & iarelle-

intellectu facilis, sed utinā tantæ grauitatis esset, ut omnibus, quod hic iubemur, persuaderet. Hic enim scopulus latet, ad quem plerique impingunt, qui per immensum illud opinionum & sectarum nostri seculi pelagus nauigant. Cum enim ad Dei iudicium omnia dogmata referre, & num ex Deo sint, probare debeant, ad hominum potius auctoritatem respiciunt. Et alius quidem, num Imperatori vel principibus doctrina aliqua placet, inquirunt. Alius num Conciliorum suffragijs confirmata sit. Sunt qui sectatores dogmatum inspiciunt, & ex illorum fortunis vel successu de doctrina, fide & religione iudicant. At non possunt non falli omnes isti, cum omnis homo mendax sit, & exemplis constet, electos quoque Dei cultores nonnunquam in religionis causa hallucinatos fuisse. Prodeat ex horum numero vnus atq; alter, ut quàm vana sit in fidei & religionis doctrina hominum auctoritas, videamus. Et primus quidem Aaron sese offert, Moysis frater natus maior, populi Dei sacerdos ex diuina ordinatione, eruditione, prudētia et fortitudine clarus, & quod omnium est præstantissimum, typus domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Quis huius auctoritatem contemnat, si quidem alicuius hominis auctoritas valere debet? Sed vanam et nullam hanc fuisse, vni cum illud facinus cumprimis atrox & horribile declarat, quo contra Dei præceptum, postulante tota ecclesia (cuius auctoritas non minus hic quoque nullius momenti esse debebat) vitulum aureum consilare, & religionis ergò prostituere ausus est. Inspiciant quæso factum hoc, qui ad hominum auctoritatem ita obstupescunt, ut summos pontifices & Rom. ecclesiam errare posse negent. Habemus hic pontificem summum, cuius primatus, non priuata ambitione occupatus, nec principum huius mundi tyrannide confirmatus, sed ab ipso Deo institutus fuit, ut sacerdotij, quod olim filius Dei obire debebat, typus esset. Habemus hic ecclesiam, quæ ipse Deus suum peculium, suum filium, suum regale sacerdotium, & sacerdotale regnum appellat. Videmus tamen cum ecclesia ipsum errare pontificem: nec leuiter errare, sed in ijs, circa quæ fides, religio & vniuersa hominum salus versatur. Eant ergo, et pontificatum humana auctoritate institutum, et ecclesiam, in qua maxima hominum pars aliorum potius quàm Christi nomine insigniri cupit, nobis obijciat, qui humanis traditionibus potius quàm Dei verbo credere volunt. Ne tamen veteris testamenti exempla nihil ad se pertinere putent, aliud producamus, quod contemnere nullo modo possunt, Petri nimirum, sub cuius prætextu ad tantum dominationis fastigium Romana sedes ascendit. Is enim Iudæorum metu siue reuerentia eò adductus fuisse legitur, ut parum syncera simulatione, & Iudæos in errore confirmaret, & gentes Iudaisare cogeret. Quare à Paulo accusatur, qui illi crimen longè grauisimum impingit, nempe quòd non recto pede incederet ad euangelij veritatem. Quid hic respondebunt humanæ auctoritatis admiratores? Petrum ne defendent, & Paulum improbè proteruitatis accusabunt, qui tantum Apostolum, & primum (ut illi volunt) Romanæ ecclesie antistitem, tam inciuiliter tractare ausus sit? Non opinor. Fateantur ergo, omnes homines, si suæ rationis suggestiones & affectus sequi velint, errare posse, imò errare frequenter, & proinde doctrinas omnes hoc gnomone probare discant, an ex Deo sint. Deprehenditur hoc, non ex hominum decretis, sed ex Dei verbo, quod æternum manet & impermutabile. Isa. 40. Matth. 5. Frustra ergo nobis hodie patres, Concilia, reges, Imperatores, multorum seculorum consuetudinem obijciunt. Nos cum Apostolo, num ex Deo sit ipsorum doctrina, querimus. Id si demonstrare velint, Dei verbum proferant oportet: quo si destituuntur, vana erit omnium, quorum testimonijs nituntur, auctoritas. Frustra enim qui ratione vincuntur, consuetudinē nobis opponunt quasi consuetudo maior sit veritate.

D. Cyprianus ad Iubianum.

At dicat aliquis: Audio quid abs me fieri velit Ioannes. Video item necessarium omnino esse, ut probentur dogmata, quæ hodie passim & noua, & multum inter se pugnantia traduntur. Agnosco etiam sic ea probari debere, ut num ex Deo sint, videamus. Nec aliud est quod magis expetam quàm eam mihi facultatem dari, ut singula probare, & in illis verum à falso discernere possim. Quid autem faciam, cum rudis rerum sim & illiteratus? Pugnatur vndiq; ab ijs, qui & eruditione & rerum experientia præstant, & ego qui nec prima elementa noui, me illis iudicem & censorem interponam? Vel si id facere instituiam, quo medio, qua regula, aut instrumento examen illud adhibebo? Hæc & multa alia huius generis hodie à multis dici audimus, & ab ijs quidem, quorum animi à religione non abhorrent. Sed si isti Ioannem audiant, omni dubitatione se mox liberatos, & ad examen doctrinarum instructissimos videbunt. Sic enim scribit:

I I. Per hoc cognoscite spiritum Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, Canon probandæ doctrinæ. ex Deo est. Et omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo non est, &c. Memo- rabilis omnino, & diligenti consideratione dignissimus locus. His enim Canon siue amussis, aut etiam Lydius lapis, ad quem doctrinæ omnes probentur, an aurum diuinæ veritatis referant, aut humanarum traditionum scoria adulterata sint, non monstratur modò, verum etiā in manus da-

*Quid sit Christum
fateri venisse in
carnem.*

rum, & sic quidem, vt non doctiores modò, sed quotquot in toto orbe terrarum sunt Christiani, nò biles, opulèti, obscuro, pauperes, opifices, agricolæ, vinitores, nautæ, viri, fœminæ, senes & iuuenes, de quacunque doctrina dexteritate summa iudicare, & nũ ex Deo sit, videre possint. Omnis spiritus (inquit) qui confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est. Videamus itaque quid sit fateri Christum in carnem venisse, & vniuersa probatiõis huius vel censuræ ratio nobis constabit. Voluit autem paucis verbis vniuersa Christi mysteria comprehendere Ioannes. Cum enim Iesum Christum in carnem venisse dicit, vtriusque naturæ, diuinæ nimirum & humanæ, veritatem fatetur. Veniendi verbo illum priusquam veniret, fuisse ostendit. Quòd si fuit priusquam in vtero virginis carnem assumeret, Deus sit necesse est. Eodem argumento & ipse Christus suam diuinitatem asserit, dicens: Priusquam Abraham esset, ego sum. Ioan. 8. At carnis vocabulo humanam naturam intelligi manifestius est, quàm vt explicari debeat: Quisquis ergo Iesum Christum in carnem venisse docet, illum & Deum & hominem esse prædicat. At nondum in his tota consistit doctrinæ Christianæ ratio, sed aliud quoq; in hac Apostoli sententia considerandũ erit, causa videlicet, propter quam Dei filius in carnem venerit. Quia enim ipsa est patris sapientia, nihil vti que ab illo frustra factum putabimus, & in carnem venisse non proderit, nisi quare venerit, edoceamur. Exponit causam hanc ipse Apostolus alibi, cum inquit: In sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis vt liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credissent in nomẽ ipsius. Ioan. 1. In carnem ergo Christus venit, vt homines, quos peccati culpa Dei hostes fecerat, Dei filios redderet ac hæredes. Idem ipse testatur cum inquit: Venit filius hominis seruare quod perierat. Matth. 18. Perierat humanum genus. Quare, vt illud saluaret, in carnem venire voluit. Gnomon ergo & canon, ad quem doctrinæ omnes probari debent, Christus Iesus est, qui talis tradi ac doceri debet, qualis in scriptura proponitur: qui nimirum verus Deus ab æterno sit, præfinito autem tempore in mundum à patre missus, carnem veram induerit, vt illa pro nobis in Cruce immolata peccatum omne expiaret, nosque suo merito sanctificatos & iustificatos cum Deo patre reduceret in gratiam, vt huius filij facti, æterna cœlestis regni hæreditate perfruamur. Manant ex doctrina hac quæcunque de fidei & vitæ Christianæ officijs dici possunt. Cum enim docetur, Christum nos eiusdem patris filios, adeoque eiusdem corporis membra fecisse, mutua charitatis admonemur, quàm quiuis pater inter suos liberos vigere vult. Cum Christi sanguinem pro nobis fufum audimus, vt illius merito pro peccatis nostris satisfaceret, non possumus non cogitare, quàm vigilantia innocentia studio opus sit, ne tantum Christi beneficium impura viuendi consuetudine prophanemus. Quisquis ergo ex verbo Dei, quod scripturis cõtinetur, Iesum Christum verum Deum & hominem esse docet, & in illo monstrat, quæcunque ad humani generis redemptionem faciunt, ac ex eisdem Christianæ vitæ officia instituit, eius doctrinam ex Deo esse, certò credamus. Quisquis verò, vel Christum aliũ fingit, quàm scripturis traditur, vel que in Christi officio continentur, & ad nostram redemptionem faciunt, in Creaturas transfert, & alibi quàm in vno Christo quærere iubet, eius doctrina ex Deo non est, quæcunque tandem hominum auctoritate commendetur. Damantur itaque hoc Canone omnes veterum hæreses, quæ in Christi naturis impegerunt, dum vel diuinitatem negare, vel humanitati detrahere, vel eadem confundere ausæ sunt. Damnantur item nostri seculi errores & traditiones falsæ, quibus quæ Christus sui corporis & sanguinis merito acquisiuit, vel nobis ipsis vendicare, vel apud Creaturas quærere docemur. Et tanta est huius Canonis perspicuitas, vt de hoc dubitare non possit, nisi qui sciens volensque in errorum laqueos incidere cupit.

*Exempla exami
nis doctrinarum.*

Cena dominica.

Examiniemus ergo ad hunc quæ hodie in controuersia sunt fidei & religionis dogmata aliquot, vt simplicioribus non Canonẽ modò dijudicandi præscripsisse videamur, sed exemplis quoque monstremus, vt illo vti debeant. Contenditur passim de sacramento altaris, quã domini Cœnam, vel Eucharistiam siue Synaxin dicimus. Sunt qui illic verum Christi corpus & sanguinem pro peccatis viuentium & mortuorum efferi doceant, id quod nos constantissimè pernegamus. Applica igitur Canonem, ipsum scilicet Christum, qualis in scriptura traditur. Videbis autem illico cum Christi naturis pugnare corporalem eius in Sacramẽto præsentiam. Nec enim in panem, sed in carnem hunc venisse, nec panis, sed carnis substantiam ab illo assumptam esse, scriptura docet. Adhæc verum corpus eidem tribuit, quod & loco certo contineatur, quem in cœlis esse, & angeli prædicant, & Symboli apostolici articulis omnes confitemur. Sed & Christi officium applica, & res erit multò absurdior. Christum enim in ara Crucis pro nobis immolatum esse constat, non in Cœna, quam ipse non sacrificium, sed mortis suæ commemoratiõem vocauit. Simili ratione, Christum à nemine mortalium, sed à seipso immolatum fuisse docemur: vanum ergo, quod illi eum à sacerdote immolari posse contendunt. Præterea Christus in Cruce clamat: Consummatum est, Ioan.

est, Ioan. 19. docens nimirum absolutam & perfectam iam esse omnem nostræ salutis rationem, plenum itaque & omnibus partibus integrum esse sui sacrificij meritum. Annon igitur huic detrahunt, qui illud iterari oportere docent, & sacrificuli alicuius opera perficiendum esse contendunt, quod ipse Christus in Cruce moriens non plenè præstiterit? Quod si ad officia vitæ Christianæ respiciamus, videbis à dilectione Christiana alienum esse, ut Sacramento toti ecclesiæ tradito vnus tantum communicet, à communionem autem tota ecclesia arceatur. Cum dilectione pugnat, quod alteram speciem in vniuersum auferunt. Dilectionis spiritu caret, quod non nisi conducti pro mortuorum peccatis sacrificant. Quid verò ad ædificationem, & vitæ institutionem conferant non intellecta verba, & præcipientes eorundem demurmurationes, quiuis cordatus facilè intelligit. Quia ergo sacrificium Missæ, & naturis in Christo, & eiusdem merito detrahit, adhuc nec dilectioni mutue, nec vitæ puritati seruit, ex Deo non sunt, quicunque illud in ecclesia prædicant.

Idem in Purgatorij causa patebit, pro quo multi tanquam pro focus et aris depugnant, nec im merito vt ipsis videtur, cum hæc Alchymia ipsis quæstuosissima fuerit. Fingunt autem animas defunctorum in illum ignem recipi, vt illius flammis excoctæ & purgatæ in cælos tandem subuolent. Interea Missis & alijs eius generis operibus illarum liberationem procurari posse, docent. Sed quàm alienum hoc à Christi officio, cuius sanguine nos à peccatis ablui & purgari audiimus? 1. Ioan. 1. Nonne huic figmento ipse Christus contradixit, latroni illo ipso die, quo moriebatur, paradisi communionem pollicens? Luc. 23. Nec est quod ex singulari exemplo vniuersale dogma cõcludi possit, negent. Nam quod latroni contigit, omnibus in se credentibus Christus pollicetur, dicens: Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transiit à morte in vitam. Ioan. 5. Non potest igitur ex Deo censeri hæc doctrina, quæ sanguinis Christi merito nostræ sanctificationis gloriam detrahit.

Eadem ratio est doctrinæ, quæ homines suis operibus iustificari tradit. Quid enim ex hac aliud concludi potest, quàm Christum non ex parte modò, sed in vniuersum omni nostræ iustificationis laude spoliaris? Christus enim otiosus sit ijs, quicunque per legem iustificari volunt. Gal. 5. Sed & Petro contradicunt, qui magna autoritate negat, vllum nomen sub cælo hominibus datum esse, per quod saluentur, præter nomen Iesu. Acto. 4. Possent hic plures alij articuli produci et diiudicari, sed hos exempli loco allegasse sufficiat. Discant ex his fideles, quo pacto singulos examinare debeant. Temporis angustia monet, vt reliqua quoque huius loci verba excutiamus.

III. Et hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis, quod uenturus sit, & iam nunc in mundo est. Videtur Ioannes hæc illis opponere, qui licet doctrinam aliquam cum Christi mysterijs non per omnia conuenire videant, eam tamen, non vt par erat, abominari solent: sed omnia pro indifferentibus habent, vt omnibus commodos sese præbeant. Dicit ergo omnes eos, qui incarnationis Christi mysterijs aliqua ex parte detrahunt, Antichristi spiritu duci & impelli. Et Antichristum ita opponit Christo, vt nihil inter hos medium collocet. Quare necessariò nos aut Christi doctrinam sequeamur, aut Antichristi traditionibus seduci oportet. Dicit aut hoc non ex seipso Ioannes, sed ex Christi sententia desumit, qui ait: Qui non est mecum, aduersum me est: qui non congregat mecum, spergit. Matth. 12. Refellunt hæc omnes eos, qui hodie nos de indifferentibus duntaxat altercari clamant, & omnes religiones tolerabiles fingunt. At miseri reuera sunt, qui illorum blanditijs decepti, de abominandis Antichristi erroribus nimis leuiter iudicare discunt.

Obseruandum præterea, quod Antichristum vel spiritum huius iam tum, quando hæc scribat, in mundo fuisse dicit. Causa huius dicti est, quod (vt Paulus habet) iam tum operabatur mysterium iniquitatis. 2. Thessal. 2. Licet enim magnus ille Antichristus, de quo propheta & Christus vaticinati sunt, præfinito demum tempore exurgere debuerit, satan tamen iam olim in primitiua ecclesia illius aduentui præludere & viam sternere cœpit, dum varijs & infinitis hæresibus hominum mentes sic turbauit, vt omne Christi negotium in dubium vocare inciperent, & proinde Antichristi mendacijs ac conatibus facilius cederent. Quæ causa est, quod Apostoli toties de magno illo Antichristo vaticinati sunt. Sic enim non nobis modò consulere, sed etiam sui seculi hominibus hæreses, quæ tum ferebantur, exosas & abominabiles facere voluerunt, si eas ad Antichristi regnum præparationem satanicam esse intelligerent. Admonemur autem, quàm necesse sit, hodie de Antichristi regno sæpius verba facere, quando & illum improbè grassari, & oues Christi adeo stupidas esse videmus, vt illius tyrannidi propter temporaria commoda se sponte subijciant. Nostrium itaque erit o fratres, fidelem Apostoli admonitionem imis animis recondere, eandem verò re ipsa sequi, & doctrinis, quas proponi audimus, Canonem hunc apostolicum non oscitatibus animis applicare, vt constet nobis, quæ nam ex Deo sint, & quæ Antichristi spiritum referant. Non tamen notitiam horum consequi satis est. Antichristiana enim dogmata totis viribus vi-

Purgatorium.

Iustificatio operum.

Nihil indifferens est quod Christo contradicit.

Veterum hæreses Antichristi præiudicia.

rare & fugere, Christi verò constanti fide & amplecti & sequi conuenit. Sic enim fiet, vt è tenebris asserti in luce ambulemus, æternum aliquando victuri cum Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXIII.

Vos ex Deo estis filioli, & uicistis eos: quoniam maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. Ipsi è mūdo sunt: ideo è mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. Per hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris.

VT Deus pro singulari suo in nos amore salutarem æternæ ueritatis doctrinam ab ipsa mundi origine reuelare dignatus est, & in ea salutis uiam omnibus monstrari uoluit: ita humani generis hostis satan hanc ipsam falsis hominū traditionibus semper inficere studuit, & iuxta Christi ac Apostolorum ipsius oracula, quò propius mundi finis instat, eò maiori conatu mendacem doctrinam contra diuini uerbi ueritatem & prodigijs & aperta uia stabilire studebit. Necessarius ergo est omnibus pijs discretionis & iudicij spiritus, quo doctrinas quasuis probare, falsas à uera discernere, & illas quidem uitare, hanc autem ceu ueri pastoris uocem, sequi possint. Cœpit de hoc circa principium huius capituli agere Apostolus, docēs potissimum in doctrinis, num ex Deo sint, spectari debere, simul eius rei infallibilem notam nobis indicans. Cæterum obijciuntur nobis in hac causa remoræ & offendicula aliquot, quæ cum pijs multum negotij afferant, firmis rationibus tolli & declinari oportet. Primò etenim, cum Christi & Apostolorum de falsis doctoribus, de Antichristo & felicissimis illius successibus oracula proponuntur, multi timore graui cōcepto de salute sua dubitare incipiunt, nec fieri posse existimant, ut ipsi rudes & imperiti rerum, tot laqueos & tendiculas impostorum euitare possint. Quæ animi consternatio saluti plurimum obest. Nec enim alacriter pugnat miles, qui uictoriæ spem amisit. Deinde pleròq; uidemus in doctrinarum dijudicatione humana auctoritate duci, eamq; doctrinam pro uera & diuina amplecti, cuius sectatores & multos & in mundo præstantes uiderint: eam uerò damnare & ceu falsam reijcere, cuius studiosi, uel pauci, uel etiam in hoc seculo miseri ac infelices sunt. Vtrique malo in præsentia Ioannes medetur, & sic locum de spirituum dijudicatione concludit.

Argumentū præsentis loci.

Pij falsam doctrinam cauere possunt.

I. Vos ex Deo estis filioli, & uicistis eos: quoniam maior est, qui in uobis est, quàm qui in mundo. Exhortationem habent uerba hæc, qua fideles ad constantem contra impostores ac pseudoprophetas pugnam excitat. Animantur autem certa & indubitata uictoria spe, quæ semel animis concepta, facit ut nullas Antichristianorum technas subtimeamus, nec ullis eorundem conatibus perterri possimus. Quis enim hostem, quem se certò uicturum esse nouit, metuat? Porro spem uictoriæ tribus rationibus confirmat, quas sigillatim inspexisse non parum iuuabit.

Prima est, quòd eos ex Deo esse dicit, id est, ex eorum numero, qui cœlesti & immortalis (ut Petrus ait) semine uerbi Dei regenerati, Dei filij facti sunt. Nam Paulus ait: Omnes uos filij Dei estis, eò quòd credidistis Christo Iesu. Galat. 3. At patris est, tueri & seruare filios suos. Patris ergo officium fidelis Deus præstabit, nec patietur, ut pseudoprophetarum dolis circumueniantur, qui cunque ex uerbo suo renati, ipsum patrem suum agnoscunt. Nec putandum est, Deum deteriori siue negligentiori patre esse, quàm nos simus, quibus liberorum salus cōmendatissima est.

Alter ratio, quæ uictoriam pollicetur, est: Et uicistis eos. Ab antea actis argumentatur, quasi dicat: Si cum eo hoste uobis res esset, qui semper uincere, nunquam uerò uinci assueuisset, meritò uos pugne huius euentum formidare deberetis. Sed iam olim isti omnes per uos ipsos deuicti sunt. Primò enim Christus Iesus, qui caput uestrum est, cum illorum principe satana congressus, infelix illud tenebrarum regnum euertit, errorum laqueos contriuit & suos in libertatem asseruit. Deinde cum uos, superstitione posita, Christo nomen dedistis & illius doctrinam estis amplexi, quid aliud fecistis, quàm quòd deuictis pseudoprophetis & Christi aduersarijs, animarum libertatem & salutem inuenistis? Ea ergo fide, qua antea impietatis castra deseruistis, eosq; seductores, qui tunc uos captiuos tenebant, uicistis, eadem & nunc pugnate, & eodem successu uincetis. Fides enim uictoria uestra est, quæ totum mundum superat. 1. Ioan. 5.

Additur his tertia ratio: Quoniam maior est, qui in uobis est, quàm qui in mundo. Opponit inter se

inter se quæ vtrinque habentur præsidia. In illis agit mundi huius princeps, nec alijs quàm mundi præsidijs nituntur, humana nimirum prudentia, ingenij solertia, dolis, consilij astutissimis, ad hæc principum fauore, populorum applausu, vulgi ignorantia, armis deniq; et aperta vi. Sed quanta sit omnium horum vanitas, facilè patet, si cum eo conferantur, qui vobis adest, qui suo fauore vos prosequitur, qui suo spiritu regit, & suo vos patrocinio protegit. Est is vnigenitus Dei filius, Iesus Christus, qui serpentis caput iam olim contriuit, cui omnis potestas data in cælo & in terra, sub cuius pedibus puluerem lingunt inimici omnes, & pedum ipsius scabellum facti sunt. Matth. 28. Psal. 72. & 110. Is consilia gentium dissipat. Psal. 33. Is in ira & furore suo reges arguit. Psal. 2. Is ecclesiæ suæ indiulsus dux & protector adest vsque in consummationem seculi. Matth. 28. Idem fortis ille & inuictus pastor est, qui ouem aliquam suis manibus eripi minime patitur. Ioan. 10. Hic suos, vt quiduis possint, confortat. Philip. 4. Modò igitur velitis vincere impostores, & veritatis lucem inuiolatam retinere, successus deesse non potest. Quamobrem posito timore inuictos vos præbete Christi milites, nec vllis Antichristi dolis & conatibus succumbetis.

Habent hæc non vulgarem consolationem, quæ generalius quoque accipi, & ad omnia extendi debet, quæ fidelibus negotium facere solent. Nam præter falsam doctrinam tria ferè sunt, quibus nos satan oppugnat. Vel enim argutis & spinosis disputationibus nos adoritur, quibus veritatem obscurare, & animos nostros in eius cognitione perplexos reddere studet: vel tyrannorum armis vitur & apertam vim nobis inferre conatur. Quod si neutrum ex his succedat, intestinas pugnas intra animos nostros mouet, quos varijs modis tentat, si quo modo vel confidentem securitatem, vel extremam desperationem nobis insinuare possit. Sed in omnibus istis inuicti stant, qui per Christum filij Dei facti sunt, & huius verbum ac spiritum in se regnantem habent. Si enim conuincuntur iudicibus, sapientibus mundi, Concilij vel scholis, fidei ratio reddèda sit, nullas strophas metunt, nec vllis fallacijs capiuntur. Nec enim illorum, sed Dei causa agitur, & proinde non ipsi, sed patris cælestis spiritus in ipsis loquitur. Matth. 10. Mar. 13. Rursum, si tyrannos ad vim conuersos, & ob oculos mortem versari videant, ne sic quidem animo deijci possunt. Norunt enim se Christoniti, contra quem ne portæ quidem inferorum præualent. Matth. 16. Norunt mundum iam olim cum principe suo à Christo deuictum esse. Ioan. 16. Norunt tyrannos in nuda corpora (nò tamen sine Dei permissu) ius habere, animas verò extra omne periculum positas, sub vmbra alarum domini tutò latere. Matth. 10. Intrepidi ergo expectant, quid de ipsis Dei prouidentia ià olim statuerit. Exempla vtriusque pugne siue certaminis multa extant. Agunt Christi causam corà Hierosolymitano Senatu, coram scribis & sacerdotibus Apostoli, & ita agunt, vt qui modò piscatores fuerant, insolubilibus argumentis omnem illorum solertiam capiant & deuincant. Paulus vbi coram rege Agrippa & Proconsulibus Romanis fidei & doctrinæ suæ rationem reddidit, tandem Romam deductus Cæsari sistitur, ibi quoque intrepidum se præbens tam sanctæ causæ patronum, legimus impuberes iuuenes & puellas, indoctos & plebeios homines, sæpius cum eruditissimis, & longo vsu exercitatis philosophis commissos palmam obtinuisse. Inueniuntur etiam infinita martyrum exempla, quorum fidem non promissiones regum, non minæ, non ante oculos posita suppliciorum instrumenta, non ipsi pœnarum grauisissimi cruciatus & diutini dolores vincere poterunt: imò plures extiterunt, qui quantumuis inhumanos carnifices ante fatigauere, quàm ipsi fatigati sint, & destiterunt interdum ab inferendis supplicijs tortores, cum ipsi à Christi & fidei cõfessione minimè desisterent. Quæ res multis pudorem offudit regibus, & tyrânis ignominiosum visum fuit à teneris puellis, ab imbelli puerorum ætate, à mulierculis, & decrepitis senibus vinci. Possunt nostra tempora exemplis multis testari, vera esse quæ dicimus. Cæterum, vt in hisce certaminibus suo spiritu suos suffulcit fidelis dominus: ita nec in vltimo illo ijs deest, quando intra se tentationibus varijs oppugnantur. Permittit quidem vt vacillet interdum fides, quò nostræ infirmitatis admoniti minus confidentes reddamur. Sed tentari non sinit vltra quàm ferre possumus, imò facit cum tentatione euentû, quò possimus sufferre. 1. Cor. 10. Quid ergo hinc aliud colligi debet, quàm verè stabilem & felicem esse piorum conditionem, quos (vt in secunda epistola Ioannes verè loquitur) veritas non deserit, sed cum illis manet in æternum, quiq; soli, tam mundi quàm omnium quæ in mundo sunt, victores gloriosissimi habentur.

Cæterum non oscitanter prætereundum est, quàm cautè de nostræ fidei victoria Ioannes loquatur. Nec enim simpliciter nos victores esse dicit, sed eius facit mentionem, qui in nobis agit, quique maior & fortior mundi principe, nobis ad hæc certamina vires suppeditat. Reprimit hoc insolentem nostrarû virum fiduciam, qua vix aliud in salutis negotio perniciosius est, cum ex nobis idonei non simus ad cogitandum quod bonum est, sed omnia nostra ex Deo sint. 2. Cor. 3. Pugne mus ergo (vt Dauid cum Golia congressurus) in nomine domini, memores, nos thesaurû hunc

*Pij in omni certâ
mine vincunt.*

*Pij, non sua, sed
Christi virtute
vincunt.*

habere in testaceis vasculis, vt virtutis eminentia fit Dei, & non ex nobis. 2. Cor. 4. Videamus nūc vt alteri malo, quod de doctrinis minus dextrè iudicare facit, Apostolus medeat.

*Doctrinæ nō pro-
bandæ propter
multitudinem et
successus sectato-
rum.*

I I. *Ipsi è mundo sunt, ideo è mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos.* Illis respondet, qui ex sectatorum numero & temporaria felicitate doctrinas iudicant, quod à multis olim factum legimus, & hodie à plerisque fieri consuevit. Nec enim fieri posse existimant, vt tot ac tam præstantes eruditione & prudentia viri simul errent, vel vt communi errore tot simul nationes & regna implicentur. Mouentur etiam regum maiestate, quos religionis, quam profitentur, tutores & propugnatores esse vident. Nec parum apud illos momenti habet longi temporis præscriptio, quæ vel sola multis animum addit, quò minus superstitiones, quibus assueuerunt, deserant. E contra absurdum & ridiculum illis videretur pauculos aliquot homines, ignoti antea nominis & nulla autoritate insignes, id hodie demum videri disse, quod tot seculis nemo videre potuerit. Hinc illæ voces, quibus suarum partium fautores & propugnatores superbè iactant, nos verò cū execrabili vulgo præcipiti iudicio damnant. Sed quid de his aliud dici potest, quàm quòd fides ipsorum humanæ autoritatis fundamentum nitatur, non Christo, quem Deus suæ ecclesiæ petram & pretiosum lapidem fundamenti posuit? Si enim ad diuinam autoritatem respiciunt, quid opus est patres, reges, principes, scholas, secula, consuetudines, successus, victorias, & alia eius generis nobis obijcere? Damnantur hæc omnia, si cū Dei verbo pugnent, initio Capitis huius, quando spiritus probare iubemur, an ex Deo sint. Hoc ergo querimus, & an à Deo tradita sint, quæ illi mordicus retinere & nobis constanter obtrudere student. Frustra igitur patres, reges & seculorum multorum consuetudinem obijcitis. Imò sic proprio iudicio vt sorices vos ipsos proditis, quòd nimirum diuina autoritate, qua vestra probetis, destituta sunt. Sunt tamen simpliciores aliquot, qui ad multitudinem falsæ doctrinæ & superstitionis sectatorum obstupescunt, & causas mirantur, quæ tot homines in errorum laqueos pertrahere possint. Hos in præfenti omni dubitatione liberat Ioannes. Confert enim inter se falsos doctores & de falsis vel Antichristianis doctoribus agit his verbis:

*Falsorum doctrinæ
vni conditio.*

Ipsi è mundo sunt, ideo è mundo loquuntur, & mundus eos audit. E mundo esse nō aliud est, quàm mundo addictum esse, & mundi studijs occupari, quod omnibus qui verbo Christi nō dum regenerati sunt, contingit. At qui tales sunt, è mundo etiā loquuntur, id est, sermonibus suis mundanam sapientiam spirant, de quibus rebus sacris simul & prophanis ita differunt, vt mundo placere, & huius applausum referre possint. Sic ergo argumentari vult Apostolus. Quicumque mundi studijs addicti mundana docent, à mundo recipiuntur. (Nam similes facillè inter se conueniunt.) At falsi doctores toti mundum sapiunt, & mundana loquuntur. Quid ergo mirum est, si mundus hos audiat, ijs delectetur, & eos omni studio sequatur? Consentiant his Christi verba, cum Apostolis dicit: Si de mundo essetis, mundus quod suum est, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego selegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ioan. 15. Eò igitur omnia hæc tendunt, vt doceat Ioannes, falsam doctrinam sectatorum multitudine adeò non probari posse, vt ea potius argumento sit, falsam & mundanam esse, cum mundus hic non nisi falsam amplecti possit. At quomodo è mundo, id est, mundanæ sapientiæ thesauro loquantur falsi doctores, facillè cernitur, si quæ de Deo & religione tradunt, audias. Fatentur quidem vnanimi consensu omnes homines, vnum quoddam summum & æternum numen esse, quod toti huius mundi machinæ præsit. At quo modo vnus Deus vbiq; locorum præfens esse, omnia penetrare, omnia solus videre, tueri & vno eodemq; tempore multas, easq; diuersissimas, actiones obire possit, id humanæ rationis captum longè superat. Vt ergo huic satisfiat, Deum talem nobis fingunt, quales in mundo Reges & Imperatores videmus, qui vni quidem & summi regnorum suorum domini dicuntur, quia verò non vbiuis locorum præfentes esse, nec omnibus officijs soli sufficere possunt, vicarijs opus habent, quorum administratione cuncta gubernentur. Talem inquam Deum proponunt, quicumque è mundo loquuntur, & humanæ sapientiæ rationes audiunt. Huic debemus gentilitium Deorum multitudinem, in quorum locum apud Christianos Diui successerunt, quorum alius quidem aquis præfens est, alius ignem gubernat, hic morbos immittit & propulsat, & quia morborum seges est innumera, singulis singuli diui præfati sunt, imò & singulis humani corporis partibus & vrbibus singulis peculiare quosdam diuos & Deos tutelares fuisse vidimus. Et quamuis hæc cum Dei æterni maiestate pugnent, Deumq; nobis otiosum (qualem olim Epicurus fingebat) constituunt, quia tamen humanæ sapientiæ commentum est, audiunt illud & magno cum applausu recipiunt quotquot huic seculo addicti sunt. Doctrinam verò de Deo falsam mox & fides & religio falsa consequuntur. Qui enim ad vnum Deum confugerent, & in vnum Deum credere debebant per filium eius

eius Iesum Christum, alia via ingressi, vel Deum planè negligunt, vel saltem per Diuos illos suos ad eum se peruenire posse existimant. Hinc fit, vt qui ventris torminibus vexatur, vel ab Erasmo opem petant, vel diuinitus hanc per Erasmus sibi conferri postulent. Eadem in alijs est ratio. Et eousq; progressum est humane prudentiæ deliriũ, vt Deo patri & filio eius Iesu Christo nihil præter nudũ diuinitatis nomẽ reliquerit, administrationẽ verò rerũ huius mudi in vniuersũ ademerit.

Obseruanda hic venit insignis mundi corruptio, qui à prima origine sua falsos potius doctores quàm veros audire voluit, & mendacia potius magno pretio redimere, quàm salutarem veritatis doctrinam gratis oblatam amplecti. Exempla eius generis multa extant prophetarum temporibus. In nouo Testamento res clarior est, quàm vt demonstratione opus habeat. Clamat Dei filius alta voce, & quasi expansis brachijs ad sese inuitat omnes oneratos & laborantes, ac venientibus ad se requiem gratis pollicetur. In se monstrat famelicis panem vitæ, & sitibundis fontem aquæ viuentis offert. Sed quàm pauci inuenti sunt, qui illum ex animo amplecti & sequi voluerunt? Plerique cæcos cæcorum duces, imò fures & latrones potius sequi maluerunt, quorum traditionibus, & opes ipsorum minuebantur, & opprimebantur plus satis afflictæ conscientiæ. Nec meliorem conditionem Apostoli experti sunt, licet omnibus omnia fierent, quòd plures Christo possent lucrifacere. Vulgare enim & apud omnes ferè vñsitatum fuit, quòd Corinthijs Paulus exprobrat, dicens: Suffertis, si quis vos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attolli se, si quis vos in faciẽ cædit, &c. 2. Cor. II. Quid verò de nostro seculo, adeoq; nouissimis temporibus in vniuersum, sperari debeat, idem Apostolus non obscure docet. Erit tempus (inquit) cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur. 2. Tim. 4. Coaceruandi verbo vti voluit Paulus, vt infatigabile in mundo falsæ doctrinæ studium euidentius exprimeret. Poterat vnus aliquis impostor multis seducendis sufficere, quod in hæresarchis olim vidimus. Sed paucis non contenti nouissimi seculi homines, multos & infinitos habere cupient, in quos fortunas suas omnes profundant. Confer cum Pauli vaticinio quæ aliquot seculis in Papatu facta sunt, & rem hanc omnem luce clarius videbis. Siquidem non contenti homines, in templis publicis siue parochijs sacrificulum vnum & alterum habere, Sacellanos quotidie novos instituerunt, nec aliquis tam mediocris fortunæ fuit, quin moriens aliquid legaret, quòd superstitionis cultus & otiosorum sacrificulorum numerus augeri posset. Acceperunt his monachorum ordines & monasteria, quæ impostorum eiusmodi plena magnis sumptibus alebantur. In hos ferè omnes tam publicæ quàm priuatae opes collatæ sunt, nec quisquam se grauari questus est. At hodie cum in opulenta aliqua & ampla ciuitate, octo vel decem veritatis ministri sufficiunt qui non priuatorum hominum opes appetunt, nihil ex ærario sibi numerari postulant, non hortos, non agros, non vineta & villas aliorum sibi vendicant, sed ecclesiarum redditibus, qui olim à principibus pijs & viris religiosis in hunc vsus collati sunt, contenti victitant, nemini non nimium videtur, quicquid in illos conferri vident, grauiusq; multis putatur decem verbi ministris vitæ necessaria largiri, quàm olim trecentis sacrificulis, monachis & monialibus omnia quæ luxui & libidini inferuiunt, cumulatim suppeditare. O ingratitude non leui supplicio dignam. O dignos homines, qui mendacijs & dolis in interitum abducantur, quibus adeò sordet gratis oblata veritas. Cæterum videamus, quid ex opposito de veritatis ministris & horum sectatoribus dicat Ioannes, de quibus in propria persona loquens, sic pronunciat.

Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos. Videri poterat arrogantius de seipso loqui, nisi communem omnium Apostolorum personam sustineret. Respicit autem partim aduocationem ministerij, quam ab ipso Christo habebant; partim ad doctrinæ certitudinem. Quia enim omnium quæ docebant, oculati testes fuerant, de eorundem veritate nullo modo poterant dubitare. Dicit ergo: Quemadmodum illi mundani sunt, & proinde mundanæ sapientiæ verba loquuntur: ita nos per Christum ex Deo regeniti cœlestia loquimur, & quæ filius ipse nobis reuelauit, inter homines prædicamus. Rursus, vt illorum figmenta, quia humanæ sapientiæ factus sunt, apud homines mundo deditos facillè locum inueniunt: ita quicunq; ex Deo sunt & renati spiritu, vocem patris, quæ per nostrum ministerium sonat, agnoscunt & sequuntur. Quot quot autem ex Deo non sunt, illius vocem nec agnoscere nec ferre possunt, & proinde nos quoq; audire dedignantur. Sunt autem hæc non Ioannis, sed ipsius Christi verba. Is enim in euangelio inquit: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, &c. Ioan. 10. Et rursus: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Ioan. 8. De mundo autem, id est, non renatis & rebellibus, idem restatur, quòd spiritum veritatis non possint recipere. Ioan. 14. Omnium ergo, quæ Ioannes dicit, hic scopus & finis est: in doctrinis dijudicandis nõ hominum auctoritatem respici de-

Corruptio mundi
circa doctrinas.

Doctorem Veri-
tatis conditio.

C A P V T I I I I,

respici debere, sed Dei verbum, nec hominum multitudini credendum esse, nec credentium paucitate quenquam offendi debere, cum ea sit mundi conditio, vt mendacij quàm veritatis amanti- or sit, & Christus electorum suorum numerum paucum & exiguum esse passim doceat. Nam ait: Multi sunt vocati, pauci electi. Matth. 22. Et alibi: Introite per arctam portam. Quoniam lata est por- ta & spaciola via, quæ abducit in exitium, multiq; sunt qui ingrediuntur per illam. Rursum an- gusta est porta & stricta via, quæ abducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt illam. Matth. 7. Hæc si expendere qui nobis hodie aduersantur, certè nec nostrorum paucitatem nobis exprobrarèt nec tanto fastu Reges, Imperatores, principes seculares & spirituales (vt vocant) scholas, Conci- lia, patres, gentium multarum consensionem, multorum seculorum consuetudinem, & alia huius farinae obijcerent.

*Obedientia fidei
filiorū Dei nota.*

Expendeda verò est non oscitanter Apostoli sententia: Qui nouit Deum, audit nos. Docet enim obedientiam fidei verum & proprium signum esse filiorum Dei. Vt enim germani patris fi- lij dicuntur, qui præcepta patris audiunt, nec illis improbè reluctantur: ita Dei filij agnoscentur, qui Dei vocem in scripturis & ecclesia sonantem agnoscunt, amplectuntur, & eidè obediunt. Ar- guit hoc illorum insolentiam, qui pleno ore Christi nomen & fidem in Deum tonant, cum inte- rim à fidei obedientia sint alienissimi. Respondebit illis olim Christus: Non omnis qui dicit mihi, Domine domine, introibit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est. Matth. 7. Sed pergamus ad reliqua, quibus locum hunc de doctrinarū dijudicatione cõcludit.

I I I. *Per hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris.* Conclusionem caput huius loci principale repetit. Debent enim verba hæc ad id referri, quod supra dixit: Probate spiritus an ex Deo sint. Quasi dicat: Non est fratres, quòd vel credentium paucitas vos offendat, vel eorum mul- titudo trahat & alliciat, qui impostores sequi solent. Nec enim hic de hominum, sed solius Dei au- thoritate agitur. Hoc ergo videte potius, an doctrinæ ex Deo sint, vel ex hominibus sunt, errone- as falsas, hereticas, & iam olim damnatas esse scitote. Dominus enim inquit: Frustra me colunt do- centes doctrinas hominum. Et omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradica- bitur. Isa. 29. Matth. 15. Quòd si ex Deo fuerit, eam toto pectore recipite. Falsum enim & mendax esse non potest, quod ex æternæ veritatis fonte promanat.

Hæc diligenter meditemur ò fratres, & Dei in nos benignitatem agnoscamus, qui doctrinam salutis non modò proponit, sed eandem à falsa discernere docet. Intendamus in hoc studia nostra, ne seducamur. Nec enim post tot tamq; fidas admonitiones aliqua supererit seductis excusatio. Fugiamus quæcunque hominum commenta sapiunt. Sequamur autem Dei vocem, illi credamus iuxta hanc institutam nostra omnia, ne audisse tantum, sed & totis animis eam imbibisse videamur. Sic enim fiet, vt in cælis olim regnemus cum eo, cui debetur benedictio, gloria, honor & po- testas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXIIII.

Charissimi, diligamus nos mutuò: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est. In hoc appa- ruit charitas Dei erga nos, quòd filium suum unigenitū misit De- us in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum, propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuò diligere.

Paulus Apostolus 1. Corinth. 4. ait: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Consenti- unt his, quæ à Christo dicuntur: Non omnis, qui dicit mihi, Domine domine, introibit in re- gnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, &c, Matth. 7. Docet autem vtraque sententia non sufficere, si in fidei & salutis nostræ mysterijs probè instituiamur, nisi vitam uiuamus, quæ fi- dei in Christū & doctrinæ euangelicæ respondeat. Quæ causa est, quòd Apostoli passim in scriptis suis, nò fidei modò mysteria tradunt, verum etiã sedulo hortantur, vt carnè mortificemus & abne- gata omni impietate, innocentiam vitæ & sanctimonie studium sectemur. Obseruat idem Ioan- nes, cum

nes, cum vbiq̄ue aliàs, tum in præfenti capite. Postquam enim de doctrina veritatis & dijudicatione doctrinarum diligenter differuit, ne huius cognitionem nobis sufficere putarem, redit ad dilectionem, de qua capite tertio agere cœperat. De hac autem præcipuè agit, quia in ea vitæ Christianæ cardo potissimum versatur. Christus Iesus enim in dilectione Dei & proximi totam legem & prophetas pendere testatur. Matth. 22. Et Paulus: Nemini quicquam debeatis (inquit) nisi vt vos inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Rom. 13. Cæterum de dilectione Ioannes in præfenti sic agit, vt primo dilectionis præceptum proponat, ad cuius obseruationem firmiter & solidis rationibus nos exhortatur. Quia verò inter alia Dei exemplum allegauit, illud ita illustrat postea, vt simul omnem salutis nostræ rationem comprehendat. Postremo, Dei exemplum nobis applicans, locum hunc concludit. Nos singula ordine inspiciamus.

Argumentum præfentis loci.

I. Charissimi, diligamus nos mutuo: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est. Videtur Ioannes satis abrupto saltu ad alterius loci tractationem transire. Sed non ineptè hæc præcedentibus connecti possunt. Demonstrat enim, veram doctrinam esse, quæ filium Dei Iesum Christum vnicum mundi saluatorem tradit, & huic acceptam fert omnem nostræ redemptionis & salutis gloriam. Quia autem in Christo in vnum corpus coniungimur, cuius ille caput est, & eiusdem patris filij effici-mur per vnum & eundem adoptionis spiritum, fieri nequit, vt charitatis officia non doceat, quisquis in Christi prædicatione legitime versari voluerit. Præmittit verò paucis verbis comprehensum dilectionis præceptum, cuius obseruationem nobis duabus rationibus grauissimis cõmendat.

Cohærentia cum superioribus.

Primam à causa efficiente, vel etiam natura & ingenio charitatis sumit, dicens: Quia charitas ex Deo est. Decet enim, vt qui Dei cultores & filij haberi volunt, ea studiosè sectentur, quæ ex Deo originem trahunt, & diuina sunt. At quid magis diuinum quàm charitas, & quæ ex hac nascitur beneficentia? Charitatem certè & beneficentiam verbo suo passim præscribit, eandem proprio exemplo commendat, & illius studium spiritus sui operatione in animis hominum accendit: vt non ineptè ab ethnicis olim dictum sit, homines benefaciendo proximè ad Dei naturam accedere. Magna ergo debet esse apud Christianos homines huius argumenti autoritas, ne charitatis rei vere diuinæ, studium intermittant.

Charitas ex Deo est.

Alter ratio ipsius Dei exemplum habet, quo probatur charitati deditos esse oportere quicquæ Dei filij dici voluerint. Figuratur autem pulchra antithesi cum ait: Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est. Sic autem colligit Apostolus. Quisquis Dei ingenium refert, Deum nouit, & ex Deo natus est. Qui diligit, Dei ingenium refert. Ergo qui diligit, Deum nouit, & ex Deo natus est. Maior certa & indubitata est. Cum enim natura corrupti simus, ex Deo genitum neminem censere possumus, nisi quem Dei ingenio videamus respondere. Minorem probat adiecta sententia: Deus charitas est. E qua absolute sequitur, Dei ingenium illis inesse, quicunq; charitatis studiosi sunt. Deum verò charitatem vocat eo sensu, quo & veritas ipsa, & sapientia atq; iustitia dicitur. Quia enim Deus æterna & per se subsistens est essentia, nullis accidentibus grauatur, quæ vel absint interdum, vel adsint. Sed quicquid Deus est, id ipsum reuera & essentialiter est, suapte natura, non propter aliunde illi coniunctum accidens. Quare quia veritatem essentialiter in se habet, non verax modò, sed ipsa veritas dicitur. Eadem sapientiæ & iustitiæ atque charitatis ratio est. Quia enim hæc virtutes Deo naturaliter & essentialiter insunt, merito ipsa sapientia, ipsa iustitia & charitas dicitur. Quòd si Deum imitari oportebat, si vel nostro more charitati studeret, quantò magis nunc charitatem ipsius nos æmulari decet, quæ essentiæ diuinæ ita inest, vt ex illa auferri nullo modo possit. Firma ergo & solida stat Ioannis argumentatio, quæ & penes nos tanti momenti esse debet, vt charitatis studium nunquam in animis nostris restingui patiamur. Cæterum priusquam videamus, quo pacto Apostolus probet, Deum charitatem esse, duo nobis in rationibus istis inspicienda sunt, quorum obseruatio institutioni nostræ plurimum seruire poterit.

Deus est charitas

Primò dicit: Charitas ex Deo est. Quæ verba præter quàm charitatis studium nobis commendant, simul etiam docet, vnde & qua ratione illud assequi possimus. Est hoc cognitu necessarium valde. Multos enim est videre, qui non leuiter de eo conqueruntur, quòd animos suos à charitate nimium alienos esse sentiunt, & viam quærunt, qua ad hanc peruenire liceat. Falluntur autem miserissimi homines, quòd humanis rationibus hic aliquid profici posse putant, & nõ nisi homines doctores audiunt. Atqui nihil hic vel videt vel agit nostra ratio. Et quò diutius nostræ carnis dictata audimus, eò maiorem in nobis ipsi philautiam deprehendemus, quæ maxima fraternæ charitatis pestis est. Præterea, si omnes omnium philosophorum libros euoluas, fratribus quidem benefaciendum esse audies, sed ita, vt tu tibi proximus sis semper. Vtterius ergo nos ascendere, & ad eum

Quomodo charitas accendenda possit.

magistrum transire oportet, quem hoc loco Ioannes monstrat. Charitas (inquit) ex Deo est. Deo igitur magistro discetur, & eodem solo authore in nobis accendi poterit. Huius verbo docemur, nos non nobis, sed alijs natos esse. Si enim sibiipsis nati essent singuli homines, frustra à nobis exigerentur officia, quæ parentibus, liberis, magistratibus, populo, seruis, dominis, coniugibus, singulis denique hominibus debemus. Rursum, eodem verbo docemur, ita nos proximo obstrictos esse, vt non modò fortunæ bona, sed vitam quoq; si ita necessitas postulet, pro illius salute deponere debeamus. Nec desunt exempla cultorum Dei, qui ad huc supremum charitatis gradum ascenderunt. Hac enim vrgente Moses clamat: Aut remitte huic populo ô Deus, aut expunge me de libro tuo, quem scripsisti. Exod. 32. Eiusdè affectus verba sunt, quibus Dauides pestem in populo grassantè deprecatur, dicens: Ego peccaui, ego iniquè egi: oues autem istæ quid fecerunt? Sit quæso manus tua contra me, & contra domum patris mei 2. Sam. 24. Grauius adhuc est, quod charitate suadente Paulus loquitur: Optarim ipse ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Ad Romanos nono. Hæc & plura alia tam præcepta quàm exempla charitatis in Dei schola nobis fulmunt. Simul autem & hoc docemur, quòd solius Dei sit cor nouum creare, spiritu principali fulcire, & tales fingere homines, qui præcepta hæc saluberrima obire possint. In horum igitur meditatione nos frequenter versari oportet, nec carnem priuati commodi studiosam, nec humanæ sapientiæ traditiones audire. Accedant ardentès preces, & quotidianos profectus in hoc tam sancto exercitio sentiemus.

Quales sint à charitate alieni.

Deinde obseruandum quòd ait: Qui diligit, ex Deo natus est, & nouit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum. Docemur, quid de illis iudicari debeat, qui ab omni charitatis studio alieni sunt. Deum non nouerunt, nec ex Deo nati sunt. Impossibile enim est, vt Deum non diligat super omnia, quisquis illius bonitatem immensam, quæ omnia moderatur & temperat, cognitam habet. At Deum diligere nemo potest, nisi qui simul omnia quæ ille in se complectitur, diligit, in quibus vniuersis homine nihil præstantius & excellentius est. Quisquis ergo dilectionem in se habet nullam, Deum nec nouit, nec ex illo natus est. De ea enim Dei notitia loquimur, quæ animum totum hominis in Dei considerationem rapit, & inde in omnem vitæ nostræ conuersationem diffunditur. Grauior omnino hæc sententia est, quàm multis prima fronte appareat. Quid enim aliud manet eos, qui ex Deo non nati sunt, nisi quòd ab hereditate regni cælorum excludantur? Siquidem illa ad solos Dei filios pertinet. Atqui leuiculum videri poterat hoc, si Ioannem solum hæc dicentem audiremus, quamuis ne sic quidem tanti Apostoli sententia contemni deberet. Sed eiusdem sententiæ author Christus Iesus est, qui in nouissimo vniuersalis iudicij die ex charitatis operibus eos agnosceret, qui regni sui hereditatè possessuri sunt: & rursum impios æterna infernalis ignis pœna dignos iudicabit, quòd charitatis officia neglexerint. Matth. 25. Quòd si neglectum charitatis officium pœnas tam horribiles meretur, quid de illis dicemus, qui non contenti neglexisse fratres, simul etiam malefaciunt, qui vsuris & malis artibus inopes circūueniunt, qui aliena furantur, qui victum aliorum violenter rapiunt, qui famam proximi lædunt, qui denique nec corpori nec vitæ fratrum parcunt? Scio quidem improbam hominum huius seculi securitatem, qui in omnibus istis sibi placent. Sed sentient olim, quàm longè alia Christi iudicij sit de istis facinoribus sententia. At ommissis his ad Ioannis verba redeamus: qui quoniam Dei exemplo nos ad charitatem adhortatus est, illud pluribus verbis illustratum proponit, vt in huius imitationem feruentiori zelo rapiamur.

De charitate Dei erga nos.

I I. In hoc apparuit charitas Dei erga nos, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filium suum, propitiationem pro peccatis nostris. Ex operibus Dei argumentum sumit, quo probet illum charitatem esse, id est, omnia sua ex mera charitate facere & instituere ad hominum salutem. At qui infinita propemodum sunt, quæ produci poterant. Quocunque enim oculos vertas, diuinæ charitatis argumenta nobis occurrunt, cum mundi huius machina, quæta quanta est, propter hominem condita sit. Sed & ipse homo non aliam ob causam conditus legitur, quàm quòd Deus aliquos esse voluit, quos bonorum suorum participes redderet. Nec alia creati hominis causa adduci poterit, cum Deus, qui ab æterno est, etiam priusquam homo esset, nullius rei indigus fuerit vnquam. Similiter diuinæ in nos charitatis argumenta sunt, quòd creaturas omnes hominis imperio subiecit, quòd angelos ministerio electorum suorum destinauit, quòd omnia elementa propter hominis conseruationem occupari vult, quòd Solem oriri finit super bonos & malos, quòd super iustos & iniustos depluit, quòd alit, vestit, protegit, & singulis momentis ex periculis, quòd hic mundus plenus est, etiam ignaros, & sæpe inuitos asserit. At Ioannes, ne ea tantummodo diuinæ beneficentiæ tribuere videretur, quæ multi vel propriæ industriæ, vel aliorum auxilijs accepta

accepta ferre consueuerunt, eius beneficij meminit, cuius excellentiam nec mens nostra satis æstimate, nec lingua pro dignitate explicare potest. In hoc (inquit) apparuit charitas Dei erga nos, quod filium suum vnigenitum misit Deus in mundum. Dilectionem satis testari videtur, qui periclitanti manum porrigit, qui fortunæ bonis iuuat, qui pascit, vestit & alijs eiusmodi officijs prosequitur. Sed cum hæc omnia faciat Deus, quasi nihil adhuc fecisset, quod sibi charissimum habebat, & quo nihil est in tota rerum vniuersitate nobilius, ad nos transmittere voluit, videlicet filium suum, nec filium modò, sed vnigenitum filium. Hunc (inquam) in mundum misit, in vallem lachrymarum, in palæstram omnis generis calamitatum, in dolores & aduersa, quæ necessariò sustinent, quicunque in hoc mundo viuunt. Nec ideo misit, vt per hunc diuinæ maiestati aliquid accederet, quo illa hucusque caruisset (defectus enim hæc nullos sentit, & vt nihil ipsi decedit, ita non aliquid eidem addi potest) sed vt per ipsius meritum viuamus, qui propter peccata mortis æternæ sententiam sustinebamus. Annon ergo sufficiens hoc synceræ charitatis argumentum? Quis obsecrò, dum hæc expendit, Deum charitatem esse dubitabit?

Attamen, quia obijci poterant sanctissimorum patrum merita, quasi illi suo erga diuinam maiestatem studio tantum beneficium meruissent, clarius sese explicat Ioannes, vt gratuitum & meritarum diuinæ bonitatis opus hoc esse demonstret. Nam expositionis loco subiicit: In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & misit filium suum, propitiationem pro peccatis nostris. Agnosceimus quidem sanctorum studia, quibus illos Deo placuisse constat. Eadem tamen fieri non debent, vt illis Dei filium meruisse dicantur. Hunc enim primò parenti tunc temporis promisit Deus, quando nil nisi peccatum & peccati pœnam ob oculos sibi versari sentiebat. Trepidantem enim & fugientem à facie Dei vocauit ex gratia, & cum damnationis sententiam subire deberet, lætam & salutiferam seminis saluifici promissionem audiuit. Facessant ergo procul, qui gratuitum diuinæ bonitatis beneficium extenuant, dum vel sua ipsorum, vel aliorum hominum merita iactare audent. Christum Iesus enim, vt peccatorum nostrorum expiatio fieret, missus est. Peccatores ergo nos fuisse oportet, nisi Christum frustra missum esse, dicere velimus. Quid verò peccatores coram illo merebuntur, qui ab omni macula & labe alienus, peccatores odit, & suo conspectu arcet?

Comprehendit ergo paucis hisce verbis Ioannes vniuersam nostræ salutis rationem, & eandem expeditam & facilem esse docet, licet multi eam superbis de humanæ naturæ viribus & meritis disputationibus intricatissimam reddant. Fateamur nos peccatores esse, & peccati lapsu ita corruptos, vt ex nobis ipsis ne cogitare quidem possimus quod bonum est. 2. Corinth. 3. Agnoscamus item saluatorem nobis cœlitus datum esse, Iesum Christum, qui peccata nostra in se transtulit, sui corporis & sanguinis beneficio in ara Crucis expiauit, vitam salutemq; nobis acquirens certissimam. Dedit hunc ex mera gratia clemens & misericors Deus, nullis nostris meritis prouocatus. Nam ipso Christo teste, ita dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Ioan. 3. Christi verò & bonorum, quæ in hoc nobis parta sunt, participes & consortes reddimur sola fide, quæ & ipsa donum Dei est. Ephes. 2. Cum enim salutis nostræ negotio peractò in cœlos ascenderit, nec vllis corporeis sensibus apprehendi queat, sola mente per fidem apprehenditur, quæ nos ita illi inserit, vt ipse in nobis maneat, & nos vicissim in illo viuamus. Hinc cum Paulo apostolo fatemur, sola fide iustificari hominem absque operibus legis, eò quod sola fide nos Christo, qui iustitia & sanctificatio à nobis à patre factus est (1. Cor. 1.) communicamus, quò per opera legis perueniri nullo modo potest. Nec eos audimus, qui de Ceremonialibus ista intelligi debere clamitant, cum lex non Ceremonias modò, sed vitæ officia, charitatem, innocentiam, iustitiam & alias virtutes præscribat, quæ solæ opera verè bona in nobis generant. Quod si verò opera, quæ iuxta diuinæ legis præscriptum fiunt, non iustificat, quæ obsecro audacia est, humanarum traditionum operibus id tribuere, quod legis operibus negatum esse videmus? Num sententiæ olim per prophetam dictæ, & à Christo repetitæ, adeò exigua est penes nos autoritas? Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Sed quia Apostolus salutis nostræ causam hoc loco non ex professo tractare instituit, pauca hæc de illa inseruisse contentus, nobis quoq; hæc dicta sufficiant, & ad loci præsentis conclusionem transeamus.

III. *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere.* Nobis applicat Dei patris exemplum, vt illud ad nos pertinere intelligamus, de quo & ipse Christus admonet, dum charitatis nostræ affectum non ad exemplum publicanorum, sed patris sui formari debere ostendit. Matth. 5. Et sanè multos inuenire licet, qui de Dei in nos amore multa splendide dicunt, in eo autem impingunt, quod sufficere putant horum cognitionem, nec ad se pertinere, vt Dei bonitatem sibi imitandam proponant. Quibus sententiam hanc occinere oportet, vt quid sui sit officij in

Ratio humane salutis.

Dei exemplum ad nos pertinet.

telligant. Subest tamen & altior quædam huius præcepti causa, quod nos iuxta Dei exemplum proximis diligere iubet. Hoc enim omnes prætextus eripit, quibus omnia officia excusamus, dum in singulis hominibus caro nostra inuida & maligna aliquid animaduertit, cuius gratia amore nostro & beneficijs indignos censet. Nam quos abs se prorsus alienos & nullo propinquitatis gradu sibi coniunctos esse videt eos impunè negligi posse credit. In alijs peccata & vitia sufficientem causam esse existimat, propter quam charitas illis denegetur. Quod si rursus in eos incidit, qui aliquando nobis hostes & iniurij fuerunt, mox sibi permissum putat, vt ipsos non defertur modò in angustijs constitutos, verumetiam ius suum summo rigore persequatur. Alios rursum tam sordidos esse videre, qui nemini benefaciendum esse credant, nisi à quo maius & vberius beneficium sperare possint. His satis magna causa est negandi postulatam opem, si qui petit, gratiam vel parem vel maiorem referre nequeat. Sunt etiam, qui rebus suis metuunt, ne beneficia in alios conferendo illas minuant, & quia illis vix quicquam satis est, accumulandis potius quàm legitimè dispensandis opibus inuigilant. At omnibus istis medetur vnum hoc Dei exemplum, quod in dilectione imitari debent, quicumque Dei filij censei volunt. Deus etenim nos dilexit, qui ab ipsius natura & coniunctione eramus alienissimi, imò iniquissimi apostatæ. Quid enim post peccatum ingressum reliqui habet homo, quod ipsum de coniunctione cum Deo aliquid sperare doceat? Qua ratione ergo tu alienum censebis eum, qui licet sanguine iunctus non sit, homo tamè est, eodem parente Adamo tecum progenitus, & eiusdem cum alijs hominibus conditionis socius? vt interim de arctissimo Christianæ fraternitatis vinculo nihil dicamus. Deus item peccatores dilexit, nos inquam, qui in peccatis concepti & geniti figmenta cordis nostri ab ineunte ætate praua & corrupta habemus. Psal. 51. Gen. 8. Tu ergo cum talis sis Deo iudice, cur fratris vitia tam malignè notas, vt tuo amore, tua ope, tuo patrocinio indignum putes? An verò maiorem iustitiæ zelum tibi inesse dices, quàm Deo, cuius iudicia omnia sunt iustitia & Veritas? Deus hostes diligere dignatus est, & eos quidem hostes, qui diuinæ maiestatis sedem affectare ausi fuerant, qui suis viribus cælos conscendere conabantur, qui crudelissimæ mortis filio eius authores fuerunt. Quæ ergo tanta in te esse potest fratris iniuria, quæ illum odio dignum esse probet? Deus inopes & egenos dilexit, à quibus nihil vel petere vel accipere potest, quo opus habeat. Quid enim fonti bonorum inexhausto daret omnis boni expers, & damnationis reus homuncio? Quæ ergo dementia est fratrem inopem & opis indigum negligere, qui si omnia fallant, preces habet, quibus pro te apud Deum intercedat, imò Deum habet liberalissimum beneficiorum, quæ in illum conferuntur, remuneratorem. Denique, ea in nos fuit Dei patris liberalitas, vt nō quid ipse habeat, sed quid nobis desit, magna sollicitudine inspexisse videatur. Vidit victus indigos: & mox terram, aerem, aquas & animalia omnia nobis ad victum inseruire voluit. Vidit vestitu opus esse: nec mora, ex terra & animalibus illum petere iussit. Vidit propter infinita pericula tutores esse oportere, qui nos defendant: & ne nobis diutius isti deessent, angelos dedit, qui circa nos castrametentur & ab insidijs hostilibus liberent. Et quasi parum fecisset, cum filij sui morte nos opus habere videret, illum cœlitus demissum carne miserabili & mortali vestiri, omne genus malorum subire, esuriam & sitim perpeti, opprobrijs peti, & tandem in ara Crucis post acerbissimos dolores expirare voluit, eiusque rei spectatorem sese præbuit, quam nec Sol hic videre, nec petreæ & rudis tellus sine motu, doloris teste, sustinere potuerunt. Tu verò homo auarissime, rem grauem ducis, si pecunijs, si frugibus, si vestitu fratris necessitati subuenire iubearis, quem Deus filij sui corpore cibare, & eiusdem iustitia vestire dignatus est? In nunc & Dei filium te esse iacta, qui tanta liberalitate regni cœlorum thesauros in filio suo nobis profudit, cum tu nummos contempleris in arca, quibus fratri inopia pereunti subuenire poteris, & thesaurum tibi in cœlis immortalem acquirere.

Hæc & multa alia suo exemplo docet cœlestis pater, cuius charitas erga nos immensa & infinita est. Hanc nos imitari decet, & licet ad eius perfectionem ascendere non possimus, vltima tantè sectemur vestigia, vt ex huius studio ceu infallibili nota, pro veris & germanis Dei filijs agnosci, & tandem cum Iesu Christo, domino & saluatore nostro, in cœlesti patria viuere possimus: cui debetur benedictio, gloria, honor, & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXV.

Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius perfecta est in nobis. Ex hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de spiritu suo

ritu suo dedit nobis. Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit
filium suum, seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quod
Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

In natum est homini ex originis peccato philautiæ vitium, quod priuati commodi perquam
studiosos, à fraterna autem dilectione alienissimos reddit. Non proderit ergo charitatis præce-
ptum leuiter proposuisse, sed ad eius obseruationem crebrò & firmis argumentis exhortari oportet,
ne quid relinquatur, quod caro, sui ipsius amans, possit obijcere. Vidit hoc singulari studio Io-
annes Apostolus, qui inter alia Dei patris exemplum adduxit, cuius diligens consideratio vanos
esse docet omnes prætextus, quibus omiſsa fraternæ dilectionis officia multi excusare solent, eò
quòd Deus à se alienissimos, peccatores indignos, hostes denique & læsæ maiestatis reos sic dile-
xit, vt filium suum vnigenitum pro illis traderet. At dum hæc proponuntur, alia remora incidit,
quæ in charitate præstanda tardiores reddit. Sunt enim, qui putant Deo minimè seruari, etiam si
opes suas omnes in proximos distribuunt, cum nulla sit inter diuinâ maiestatem & homines pec-
catores communio & societas. Satius ergo fore arbitratur, si fortunas suas sibi ipsi seruent, vel
in cultum Dei externum conferant. Sic enim illas in ipsum Deum certius impendi. Cæterû huic
opinionis, quæ charitati fraternæ prorsus inimica, superstitionum verò fecundissima parens est,
Ioannes in præſenti occurrens, docet, nos per beneficentiam & fraternam dilectionem cum ipso
Deo coniungi, & quæ in fratres conferuntur, Deum sibi collata putare. Deinde, ne quis hinc opè
rum iustitiam stabiliri putaret, Christi & fidei Christianæ mysteria attingit, vt constet, de qua
charitate nobis loquatur.

*Argumentum præ
sentis loci.*

I. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius perfecta
est in nobis. Ex hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Est
hæc prima huius loci pars, quæ docet, nos per beneficentiam & fraternam charitatem cum ipso
Deo coniungi. Probat hoc argumento ex Dei natura sumpto. Deum nemo uidit vnquam. Natu-
ra enim inuisibilis est & lucem habitat inaccessam. 1. Tim. 6. Nemo igitur illi corporaliter appro-
quare potest, vt fortunas suas illi offerat, aut externis officijs ipsum demereri possit. Vt enim
illum nec coram videre, nec accedere possumus, quoad in carne hac mortali agimus: ita nostris
bonis & quæcunq; in hoc mundo habentur, minimè indiget, cum spiritus æternus sit, & ab omni
corruptione alienissimus, sibiq; ipsi & omnibus creaturis sufficiat. Falleris igitur quisquis es, qui
opibus tuis Deo ita seruire instituis, quasi is eis vel opus habeat, vel illas de manibus tuis requi-
rat. Nec enim domum sibi ædificari petit, cui thronus est cælum & terra scabellum pedum suo-
rum. Isa. 66. Non cibos postulat, qui non esurit: nec potum, qui sitim non vllam patitur. Psal. 50.
Vestita quoq; non indiget, qui nec erubescere opus habet propter peccati conscientiam, nec fri-
gori & tempestatum iniquitati subiacet. Quid ergo de meis opibus faciam, quæris? Annon me-
ipsum & omnia mea Deo debeo? Debes omnino, & verè hoc fateris. Sed Deo da, quod ille postu-
lat: opes verò & fortunæ bona illis distribue, quos ille tuæ fidei commissos esse voluit. Ioannem
itaque audi: Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet, & eius charitas perfecta est in no-
bis. Non nostris indiget Deus, sed indigent hi, quos ille pro suis agnoscit. Eos si diligamus, & om-
ni prosequamur charitatis officio, Deus in nobis manebit. Sic enim ipse Deus in se collata pu-
tatur, id est, ea faciemus, quæ nos Dei amantes esse testabuntur, adeoq; ipse Deus in se collata pu-
tabit, quæcunq; iuxta ipsius mandatum suis conferuntur. Consentiunt hæc ijs quæ filius Dei in
euangelio docet, qui in nouissimo die suis dicturus est: Quæcunque fecistis vni de fratribus his
meis minimis, mihi fecistis. Matth. 25. Erant hæc diligenter examinanda ijs, qui hodie mirum Dei
& Christi amorem simulant, & Iudæorum ingratitude detestantur, qui tot modis in Chri-
stum iniurij fuerunt, in cuius honorem & gloriam omnes suas fortunas vnà cum corporibus &
animabus suis impendere debebāt. Pollicentur autem de se mira, quasi si nunc in terris Christus
ageret, omnia sua in illum essent collaturi. Interim verò illum esurire vident in membris suis, nec
pascunt. Vident sitientem, nec potum præbent. Nudum algere vident, nec vestiunt: cum ipsi in-
terim non necessaria modò habeant, verum etiam ijs quæ luxui seruiunt, abundant. Peregrinum
hinc inde oberrare conspiciunt, nec in domum suam colligunt. Aegrotum, captum & variè affli-
ctum non consolantur, nec vlla tanguntur membrorû Christi miseria, sed omnem illam susq; deq;
ferant, modò illis bene sit. Quid de his aliud dicemus, quàm quòd ex his Apostoli verbis legiti-
mè colligitur, in illis nec Deum manere, nec Dei dilectionem in ipsis habere locum? Nec habent
quo se excusent, cū idem Christus dicat: Quod non fecistis vni de minimis his, nec mihi fecistis.

*Charitas proxi-
mi coniungit Deo.*

C A P V T I I I L

Cæterum, ne quid dubij in animis nostris relinquatur, ipsius spiritus Christi, quem is suis fidelibus largitur, testimonium adducit, sic nimirum monens, vt vel suos ipsorum animos interroget, in quibus spiritum de hac communione, quæ beneficis cum Deo est, testatent sint audituri. Cum enim Christi spiritus sit, non potest diuersum ab eo testari, quod ipse Christus promissit. Plura de spiritus testimonio supra diximus, quare in præsentia pauca hæc sufficiant. Quia tamé verbis Apostoli alia quoq; insunt, quæ nostræ institutioni seruire possunt, ea priusquam ab his discedamus, inspicere oportet.

De vero Dei cultu
10.

Primum de vero Dei cultu locus hic nos instruit. Si enim Deus inuisibilis & incorporeus est, non corporeis & externis rebus coli poterit. Inter homines enim sic comparatum videmus, vt serui dominorum ingenio sese accommodare studeant, quia non aliter illis placere poterunt. Similiter qui Deo placere volent, ijs studeant oportet, quæ diuinæ naturæ & ingenio conformia sunt. At Deus spiritus est. Spiritu ergo adorari & coli vult. Cuius sententiæ testem & authorem habemus ipsum Christum, qui ab æterno in sinu patris est. Ioannis 4. Nisi ergo animos nostros Deo consecremus, frustra illi aurum & argentum, frustra vestes & cibos dabimus, frustra etiam illi domus & palatia vel templa ædificabimus. Facit huc, quod apud prophetam dicitur: Populus hic ore mihi appropinquet, & labijs honorat me, cor autem eius procul à me abest. Isa. 29. Quod si labijs & sermone, qui ab homine procedit, frustra Deo appropinquatur, multò minus per ea Deus coli poterit, quæ extra hominem posita sunt. Nec obstat, quòd ab ipso Deo externos ritus olim traditos fuisse, & tabernaculum cum templo ad Dei præscriptum ædificatum legimus. Fuerunt enim omnia illa rerum sacrarum signa & sacramenta salutis, non in hunc finem tradita, quòd Deus ex his aliquid vtilitatis aut voluptatis capere posset, sed vt nostræ carnis infirmitas haberet, quo sustentaretur. Siquidem ea est humani ingenij conditio, vt non nisi externis inherens spiritualia minus capiat. Quod si externa, quibus occupetur, nulla occurrant, mox ex seipso fingit, quibus coli posse arbitratur. Et hæc humani ingenij, siue curiositas siue audacia, immentum illud superstitionum & humanarum traditionum pelagus peperit, cuius fluctibus syncerior religio multis seculis obruta & demersa fuit. Ne qua ergo daretur aliquid simile audendi occasio, nec deesset carni quod in religione ageret, æternæ Dei sapientiæ consilio eiusmodi Ceremoniæ institutæ sunt, quæ & omnem salutis nostræ rationem nobis adumbrarent, & nostri nos admonerent officij, si mulq; animos nostros in cœlestium rerum considerationem subueherent. Nec vnquam ea Dei mens fuit, vt externis homines inhærent, quasi ijs Deus reuera coli possit. Imò quoties spirituali cultu neglecto, circa externas ceremonias occupati fuerunt, toties per sanctos Dei ministros ac cusati & grauiter correpti sunt. Exempla eius rei ex veteri testamento infinita adduci poterant, sed legantur quæ Psal. 50. Isa. 1. & 58. Mich. 6. Hose. 6. Amos 5. Ierem. 4. & 7. scripta sunt, & verum deprehendes esse, quod modò diximus. Nec alia est noui testamenti ratio. Vt enim paucis ceremonijs nos grauare decreuit dominus, ne ipsius iugum Mosaico durius videretur: ita nec in illis quidem salutem quæri voluit. Instituit verbi ministerium, & verbum audiri vult. Sed non placent auditores, qui auribus illud percipiunt, nisi animis recondant & fructus ferant per fidem & patientiam. Luc. 8. Adhæc fatuis architectis eos confert, qui in audiendo verbo occupantur, sed vt illud factis exprimant, minus solliciti sunt, Matth. 7. Ita ad preces quidem adhortatur, & peccandi formulam præscribit. Pharisaicam verò tautologiam & inanem præcædi strepitum seueritate magna damnat. Matth. 6. Sed & sacramenta dedit, fidei & salutis nostræ signacula, Baptismum & Cœnam. At de baptismo Apostolus testatur, quòd non externus is saluet, quo carnis sordes abluuntur, sed certa conscientiæ fiducia, qua Deo per Christum nitimur. 1. Pet. 3. Et Paulus eos, qui ad domini mensam accedunt indignè, iudicium sibi manducare docet: quæ sententia infelici Iudæ proditoris exitu, & peste Corinthiacam ecclesiam infestante, non obscurè confirmatur. Ioan. 13. 1. Corinth. 11. Quòd si vero Ceremoniæ diuinitus institutæ, Deo non placent, nec his illi seruire potest, quid obsecro de eo cultu dicemus, qui totus in Ceremoniarum obseruatione consistit, quæ nec scripturarum, nec veteris ecclesiæ consuetudine approbantur? Nonne hos magis desipere dicemus? Certè humanas traditiones Dei sententia iam olim iugulatas esse, sæpe dictum est. Quoties ergo vel facella ædificare, vel vestes Deo consecrare, vel opes in eius cultum conferre, vel chaimeunijs & inutilibus ieiunijs Deum demereri iuberis, semper hæc sententiæ animo tuo obuersentur: Deum nemo vidit vnquam. Deus spiritus est, & veri adoratores spiritu & veritate adorant. Quibus & hanc Pauli adde: Corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis: at pietas (verus ille & spiritualis cultus) ad omnia vtilis est, vt quæ promissiones habeat vitæ præsentis & futuræ. 1. Tim. 4. Noli Deo obtrudere, quæ non petit, & quibus non indiget. Noli faxis & truncis sub religionis prætextu offerre, quod vivis Dei imaginibus & egentibus Christi membris debetur.

Secundo

Secundò spiritus testimonium adducit Apostolus, quem & Paulus nostræ salutis arrhabonem vocat. Ephes. 1. Obseruandum autem diligenter hoc spiritus Christi officium, quod non in nobis modò, verum etiam in alijs, qui nos vident, locum habet. Vt enim anima, quæ & ipsa spiritus est, non modò nos viuere facit, sed & vitæ actiones operatur, ex quibus alij quoq; nos viuere agnoscant: ita Christi spiritus facit quidem, vt ipsi viuamus per fidem in conspectu Dei, simul verò illorum operum in nobis causa efficiens & author est, quæ nos vitæ filios & hæredes esse palam declarant. Siquidem otiosus esse non potest spiritus, quin ea operetur indefinenter, quæ naturæ ipsius conformia sunt. Quamobrem Paulus vt carni, ita & spiritui opera sua propria tribuit. Galat. 5. Seruit hoc in eum finem, vt ex hominum operibus de spiritu, quo intrinsecus aguntur, iudicare discamus. Vbi enim opera carnis & impuri mundi regnant, Dei spiritus esse nequit. Vbi verò opera fidei, charitatis, innocentia, & quæ eius generis sunt, primatum obtinent, Christi spiritum adesse, dubium non est. Docet hæc ipse Christus, qui pharisæos ex diabolo progenitos esse, & illius spiritu regi probat, quia mendaces & homicidæ sint. Ioan. 8. Et alibi, è fructu arborem agnosci dicit. Matth. 12. Arguit hoc illorum vanam & superbam gloriationem, qui cum Christum profiteantur, ita viuunt, vt spiritum Christi ab illis alienissimum esse, nemo non videat. Quòd si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Rom. 8.

*vt spiritus salu
in arrhabo sit.*

Porrò cum charitatis opera commendantur, multos videre est, qui ea doctrina operum iustitiam stabiliri putant, cui non sine Christi ignominia nostræ redemptionis & salutis gloriam tribuunt. Ne quam ergo occasionem haberent isti homines, Apostolus Christi & fidei in Christum mysteria subiungit, vt sic ostendat, quæ nam illa charitas sit, quæ nos in Dei communionem perducit, & vt hæc merito Christi nihil omnino detrahat.

I. Et nos vidimus & testamur, quòd pater misit filium suum, seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Finis & scopus horum est, de ea charitate loqui Apostolum, quæ ex fide in Christum promanat, & proinde charitatem communionis cum Deo catenus causam esse, quatenus fidem sibi coniunctam habet, imò quatenus fidei effectus, siue opus est. Patet id ex eo, quòd fidei tribuit hoc ipsum, quod paulò ante charitati dederat. Dixit enim: Si diligamus nos inuicem, Deus in nobis manet. Hic verò: Quisquis (inquit) confessus fuerit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, &c. Aut ergo duas, easque inter se diuersas, vias statuere oportet, quibus cum Deo coniungamur (quod cum omni scripturarum veritate & Christi doctrina pugnat) aut fatendum erit, Ioannem de ea charitate loqui, quam fides in nobis operatur, & communionem cum Deo charitati propter fidem tribui, non propter opera, quæ ipsi facimus. Et sanè multum refert obseruasse diligenter coniunctionem fidei in Christum & fraternæ dilectionis, quæ tam arcta est, vt separari nullo modo possint. Quia enim fides Deo vni solidè nititur, per Iesum Christum, fieri non potest, quin singularem Dei bonitatem agnoscat, quam is in filio suo nobis præstitit. At qua ratione hanc agnoscat, vt non eundem diligat? Quin potius fidei proprium est, quòd animum hominis totum cum omnibus, tam internis quam externis facultatibus, in Dei amorem rapiat. Quis enim non ex animo amet, in quo omnem suam spem repositam esse nouit? Atqui amoris consequens est obedientia, quam voluntariam ijs præstamus, quos amore sincero prosequimur. Sed & ea amoris vis est, vt in omnes sese extēdat, quos personæ adamatæ coniunctos esse nouimus. Quare cum Deus in filio suo omnes homines sibi coniunxerit, & euidētia existant in omnibus illis diuini amoris argumenta, quo pacto non diligēt homines is, qui Deo fidit, Deum amat, & à Dei præceptis totus pendet, maxime cum dilectionem hanc abs se requiri audiat? Vides ergo naturali coniunctione coherere inter se fidem & charitatem. Et propriè loquendo, iustificationem & salutem fidei tribui debere, quia per hæc solam Christum, qui nostra iustitia est (1. Cor. 1.) apprehendimus. Eadem tamen abusu tum propter coniunctionem illam arctissimam interdum charitati tribuitur, tum vt intelligamus, scripturas quando de fide loquuntur, non nudam aliquam opinionem commendare, sed viuificum nostri animi assensum, quem Deo sic præbemus, vt eidem obtemperare studeamus in omnibus. Vidit hoc & Paulus, quando inquit: In Christo Iesu nihil quicquam valet, nisi fides per dilectionem operans. Galat. 5. Turpissimè ergo falluntur & fallunt, qui per charitatis opera operum iustitiam stabiliri docent, cum hæc ipsa non aliter Deo grata sint, nisi quatenus ex fide emanant. Sine fide enim aliquem Deo placere, impossibile est. Heb. 11. Et quicquid sine fide sit, peccatum est. Rom. 14. Quæ de causa & pharisæorum elemosynæ damnantur, quòd absq; fide, & non propter diuini nominis gloriam, sed priuati commodi gratia fiebant. Matth. 6. Sunt autem singula, quæ hic dicuntur, diligenter excutienda, cum non parua fidei & salutis nostræ mysteria contineant.

*Charitas nō euer
tit iustificationē
fidei.*

*Coniunctio fidei
& charitatis.*

*Apostolice doctrī
ne certitudo &
us.*

Primò ait: Vidimus & testamur, quòd pater misit filium. Cōprehendit hæc officium Apostolo-

rum, certitudinem quoque, vsum & finem euangelicæ prædicationis. Est hic, vt homines agnoscant & intelligant singularem Dei bonitatem, quam in filio suo Iesu Christo nobis exhibuit, & proinde ipsi vt fidelissimo parti confidant. Sunt autem huius certi & fidi testes Apostoli, ad hoc muneris ab ipso Christo destinati, qui non de dubijs & ignotis rebus testimonium ferunt, sed de factis sunt. Ioan. 15. Act. 1.

Christus Deus et homo.

Deinde: Pater (inquit) misit filium, seruatorem mundi. Cum filium à patre missum dicit, omnia Christi mysteria complectitur. Qui mittitur, priusquam mittatur, sit oportet. Quis enim eum, qui nusquam est, mittere poterit? Quòd si Christus, priusquam incarnaretur, fuit, & quidem filius fuit eius, à quo mittebatur, non potest non Deus esse, patri coæternus & consubstantialis. Et missus dicitur in mundum, vt eum qui Dei filius ante secula à patre genitus est (vt Athanasius fatetur) verum hominem in seculo, id est præfinito tempore, ex matre virgine natum esse intelligamus. Ideo autem missum dicit, vt seruator mundi esset. Voluit mundi vocabulo vti, vt Christum ad omnes homines pertinere, & vniuersalem totius humani generis saluatorem esse agnosceremus. Est ea cognitio & utilis & necessaria admodum. Nec enim ipse satan negare potest, Dei filium in mundum venisse, & ea fecisse quæ hominum redemptioni seruiebant. Eò autem multos adducit, vt Christum non ad omnes homines ex æquo pertinere putent, & proinde se quoque ex illorum numero esse suspicantur, quos Christi meritum saluare non possit. Est hic proximus ad desperationem gradus, quæ non alia ratione vitare licet, quàm vt Christum vniuersalem totius mundi saluatorem esse intelligas. Constat equidem non omnes homines salutem consequi: sed id hominum improbitati, diffidentia & pertinacia ascribi debet, qua sibi ipsis interitum asciscunt, non Christo, quem pater vitæ, non mortis, ministrum & authorem esse voluit. Docet hoc vniuersalis scripturæ sacræ consensus. Quæcunq; enim in hac de Christo habentur, vniuersalia sunt. Primò omnium parenti Adamo promittitur, vt eum ad omnem Adami posteritatem pertinere sciremus. Gene. 3. Abrahamo dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gene. 22. Sed & ipse Christus omnes ad se inuitat, nec quenquam morosè aut importunè reijcit. Venite ad me (inquit) omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Matth. 11. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Ioan. 7. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. Præterea à suis discessurus, euangelium in omnem orbem terrarum prædicari vult, vniuersalem promissionem adiungens: Quisquis crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur. Mar. 16. Viderunt hoc ipsum non obscure Apostoli, qui & Christum saluatorem omnibus promiscuè prædicauerunt, & disertè testati sunt, personarum respectum coram Deo planè nullum esse. Act. 10. Rom. 2. Et alibi Paulus disertè inquit: Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. 1. Tim. 2. Et supra Apostolus dixit: Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed & pro totius mundi. 1. Ioan. 2. Nemo igitur perditionem suam, vel immitti Dei patris rigori, vel meriti Christi imperfectioni ascribat: sed inexhaustam Dei patris bonitatem agnoscamus, veramq; esse firmiter credamus Dei sententiam, quæ apud prophetam extat: Perditio ex te est ò Israel, salus autem tua ego sum. Hose. 13. Quòd si cui volupe est æternæ prædestinationis mysteria curiosus rimari, & in Dei abscondita penetrare altius, quàm scripturæ docent, id quidem ei per me licet. Sed haud dubiè magno suo malo experietur, quod sapientissimus regum Solomon dixit: Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Prouerb. 25.

Christus vniuersalis saluator.

Postremò modum & viam indicat Apostolus, quæ nos tam Christi quàm salutis in ipso confortes facit. Quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Confessionis meminit, non quòd Christum ore profiteri, ad salutem sufficiat (multi enim, quem ore profitentur, vita abnegat. Tit. 1. Et ipse ait: Multi dicent mihi in illo die: Domine domine: quibus respondebo: Non noui vos. Discedit à me operarij iniquitatis, Matth. 7.) sed qualem à nobis fidem Christus requirat, docere vult: solidam nimirum & constantem, cuius nos non pudeat coram mundo hoc prauo & adultero. Mar. 8. Quare & Paulus fidei confessionem iungit, dicens: Si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. Habent hic quod obseruent delicatuli, qui nostro seculo fidei confessionem inter indifferentia ponunt: fidem quæ in Christum, si quando illorum commodis seruire potest, magno verborum splendore profitentur: vbi verò in fidei hostes incidunt, egregiè quiduis simulare & dissimulare norunt. Sed sunt illi nec frigidi, nec tepidi, & proinde ex ore domini euomentur in exteriores tenebras. Apoc. 3.

Modus & via salutis.

Confessio fidei necessaria.

Quid

Quid autem confiteri iubet Apostolus? Quod Iesus sit filius Dei. Hoc ipsum Petrus in euangelio confessus esse legitur. Ioan. 6. Matt. 16. Continet confessio hæc quæcunq; de filio Dei in scripturis habentur. De hoc data promissio, quod contere debeat caput serpentis. Gen. 3. Idem rex Sionis, id est ecclesiæ Dei, constitutus est ab æterno. Psal. 2. Eundem populi sui sacerdotem æternum pater declarauit: Psal. 110. De eodem prædictum, quod infirmitates nostras perferre, disciplinam quam nos merueramus sustinere, propter nostras iniquitates vulnerari, & sui notitia nos saluare debeat. Isa. 53. Denique in filio Dei gratiam & veritatem omnesque salutis thesauros exhibitos esse, Apostoli omnes docent. Ioan. 1. Col. 1. & 2. Acto. 4. & c. Quisquis ergo Iesum, qui ex Maria virgine homo natus est, Dei filium esse credit & confitetur, idem hunc vnicū & solum totius orbis saluatorem agnoscit, & ex eorum numero est, quibus propter fidem in Christum æternæ vitæ promissio facta est. Possent hic fusius explicari filij Dei mysteria. Sed quia de his alibi diximus, & nusquam non occurrit plura dicendi locus, pauca hæc modò sufficiant.

*Quid de Christo
confitendum?*

Habemus in præsentis loci explicatione duo præcipua Christianæ religionis capita, in quibus eos exerceri oportet, qui Christum profiteri & in eo saluari volunt, fidem nimirum & charitatem fraternam. Nostrum est hæc duo sic coniungere, vt nec charitatem simulemus absque fide, nec fide mortua, id est, vana & inani opinione gloriemur. Sic enim fiet, vt in præsentis vitæ curriculo sub vmbra alarum Dei tutò degere, & olim in cœlis cum Christo regnare liceat, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXVI.

Et nos cognouimus & credidimus charitatē, quā habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscū, ut fiduciā habeamus in die iudicij, quòd sicut ille est, & nos sumus in mūdo hoc.

Diuus Apostolus Ioannes de Christiana charitate ea ratione differit, vt simul fidei in Christum & salutis nostra mysteria suæ doctrinæ interferat. Vidimus hoc in ijs quæ proximè præcesserunt, quibus breuiter & summatim complectitur quæcunq; de nostra redemptione dici possunt. Ostendit enim, nobis à Deo patre filium datum esse, saluatorem mundi. Et mundi vocabulo ideo vsus est, vt uniuersalem saluatorem esse intelligeremus, ac salutem in hoc partam ad omnes homines pertinere. Deinde docuit, vt & Christi & salutis consortes fieri possimus, fide scilicet, quam confessionis nomine comprehendit, eam fidem requiri indicans, quæ animis nostris ita infideat, ac eo zelo eosdem incendat, vt nos coram mundo hoc, ueritatis inimico, eius pudere non possit. Omnium verò scopus hic est, ne dum charitatē tantis præconijs extolli uidemus, operum iustitiam hinc credamus stabiliri: cum de ea charitate loquatur spiritus sanctus, quæ ex fide oritur, fidem sibi coniunctam habet, & propter fidem Deo tam accepta est, non placitura nimirum Deo, nisi ex fide manaret. Cæterum clarius ista in præsentis patebunt. Primò enim Apostolus charitatis originem siue causam efficientem nobis in fide monstrat. Deinde eius notas & fructus excellentissimos proponit, quòd ardentius eius studium nobis excitetur.

*Argumentū præ
sentis loci.*

*Charitatis causa
efficiens fides est.*

I. Et nos cognouimus & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est. Vnam solamque fidem proponit, quæ charitatem in nobis operetur. Probat autem, quod dicit, argumentò à Dei natura desumpto. Vera & essentialis charitas ipse Deus est. Charitatem igitur non habebunt, nisi qui diuinæ illius charitatis gustum perceperint. At nos cognouimus & credidimus, id est, fide percipimus charitatem, qua nos Deus prosequitur, nec aliud medium est præter fidem, quo diuinæ charitatis consortes fieri possimus. Eadem ergo sola charitatis fraternæ ignem in nobis accendit. Pertinet huc quod infra dicit: Nos diligimus eum, quia ipse prior dilexit nos. Possunt autem omnia hæc in breuem argumenti formam redigi, hoc pacto: Quicunq; charitatis Dei, qua nos ille prosequitur, consortes facti fuerint, charitatem in se excitari sentient. At diuinæ charitatis consortes facit sola fides. Sola igitur fides charitatis nostræ causa est.

Sunt hæc non oscitanter nobis excutienda fratres, eò quòd amplissimarum virtutū fontes, & vniuersam salutis nostræ causam cōprehendunt. Deum siquidē, in quo vno beatitudinis fons & scaturigo est, inuisibilem esse & corporeis sensibus percipi non posse, supra audiimus. Sola fides animum in cœlos & in lucē illam inaccessam subuehit, & eternū illud ac ineffabile bonum apprehendere nouit. De ea autē fide loquimur, quæ Christo Iesu nititur. In hoc enim Deus expressam

*Fons virtutum
omnium.*

suæ essentia & diuinitatis imaginem nobis proposuit, vt in incarnato verbo Dei, ceu in speculo, videremus, quæ nostri captus infirmitas alioqui percipere nequit. At quia Deus sine spiritu suo non est, per quem omnia seruat & vegetat, vbicunq; est, quiescere nequit, sed indefinenter operari cõsuevit. Quid verò aliud operetur suo spiritu Deus, quàm quæ ipsius ingenio & naturæ consentanea sunt? Inter quæ, cum primatum teneat charitas, non potest non charitatem in illis operari Deus, quibus per fidem vnitus fuerit. Habent enim illi spiritum Dei, in quo clamant, Abba pater. Ob oculos sibi positum vident exemplum Dei patris, quod non possunt non imitari, siquidem genuini Dei filij haberi velint. Diligit is omnes homines, & Solem suum oriri finit super bonos & malos, pluuiam mittit iustis & iniustis, denique totum mundum sic dilexit, vt filium suum vnigenitum pro illo in mortem traderet. Matth. 5. Ioan. 3. Quid igitur in tam illustri & eximio diuinitatis exemplo aliud quàm charitatem fraternam discant fideles? Vident præterea arctissimam vnionem, quæ nobis in Christo Iesu obtigit, qui vt vnum nobis spiritum dedit, ita vnus patris filios, vnus & eiusdem corporis membra, vnus denique regni & patriæ hæredes fecit. Quorum consideratio spiritus operatione excitata, non potest non charitatis fomites inextinguibiles animis fidelium ingerere. Tenendum verò est in omnibus istis, quod supra attigimus, charitatis scilicet doctrina operum nostrorum iustitiam minimè stabiliri. Nisi enim fide Deum apprehendamus, charitas in nobis erit nulla. At fides esse nequit sine Christo, qui legis & peccati maceria disrupta, nos Deo coniunxit. Christo igitur debetur vniuersa charitatis laus, qui & hanc & quæcunq; ex hac promanant laude digna in nobis operatur. Nec hic mihi quispiam vel Decios, vel Curtios, vel Pylades, Orestes & alios eius farinae obijciat, quos partim poetæ (quorum autoritas non immeritò suspecta est) partim gentilium historici celebrauerunt. Nam vt illos merita laude nemo fraudare debet: ita à Christianæ charitatis genio alienissimos fuisse constat, cum quæcunq; fecerunt, non tam propter alios quàm priuatæ vtilitatis causa fecerint. Alij enim patriam quidem seruata voluerunt, & suo interitu huius salutem redimere. Sed quia vel coniugum, vel liberorum, vel paucorum aliquot amicorum rationem habuerunt, Christianæ charitatis laude digni non sunt, quæ omnium salutem ex æquo quærit, & ab hostibus quoque malum propulsare studet. Plures tamen ex illis fuerunt, quos honorum & popularis auræ cupiditas, vel nominis & famæ apud posteros studium sic dementauit, vt periculis vitæ sese obijcerent: qui licet pro aliorum salute aliquid passi videantur, reuera tamen hoc præconium minimè merentur, cum suam potius, quàm aliorum vtilitatem, quæsierint. Laude ergo digna sunt facinorosa quæ secundum Christianæ charitatis regulam fiunt. Hæc autem quia ex fide est, nihil huic aduersum agit, & propter fidem Deo placere consuevit.

*De charitate
ethnicorum.*

*In solo Christo
Dei amor cernitur.*

Sunt autem præter hæc in Apostoli verbis duo nobis obseruanda. Primò, quod ijs hæc subijcit, quæ paulò ante de Christo, in mundum propter nos misso, dicta sunt. Sic enim docet, in Christo Dei amorem perspici, quo is nos prosequitur. Nam si nos inspicias, quid aliud præter irarum causas videre poteris? Fatendum tibi cum Dauide erit, quod in peccato conceptus, & in iniquitate formatus sis. Psal. 51. Negare non poteris Dei pronunciatum, qui humani cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse dicit. Gen. 8. In multis etenim omnes labimur, & iustus in die cadit septies. Iac. 3. Prou. 24. At peccati stipendium mors. Rom. 5. & 6. Impossibile ergo, vt diuinæ charitatis gustum capiat aliquem, quicumque seipsum & sua opera inspexerit. Quod si verò fide excitati mentis oculos ad Christum transferamus, ea se offerent ilico, quæ nos de Dei gratia & amore certos facient. Vt enim in nobis peccatum, ita in illo iustitiam nostram videbimus. 2. Cor. 5. In nobis peccati debitum, in illo satisfactio sese ostendat. 1. Cor. 1. In nobis peccati pœna mors, in illo vita & redemptio monstratur. Deniq; vt propter peccata nostra Deum nobis iratum esse cernimus: ita propter hunc coram patre nobis gratiam impetratam esse audimus, ipso cœlitus dicente: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Matth. 3. & 17. Hinc fit, vt cum Paulò ratiocinari possimus: Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Rom. 5. Itè: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, vt non & cū eodem omnia nobis donat, qui. 8. Has consolationes & hæc nostræ fidei axiomata, gaudij & spei plenissima, prorsus ignorat, quicumque extra Christum salutis certitudinem sperant & quærunt. Nemo enim ad patrem venit, nisi per hunc. Ioan. 14. Extra eundem ergo salus nulla inueniri poterit. Acto. 4. Indignissimi itaq; sunt qui audiantur, imò pestes religionis & humanæ salutis sunt, qui Dei gratiam & diuinæ charitatis thesauros alibi quàm in Christo quærere docent. In illos quadrat quod apud prophetam dicit dominus: Popule mi, qui te dirigunt, seductores sunt, & iter semitarum tuarum deprauant. Isaia tertio.

Deinde

Deinde obseruandum est, quòd non simpliciter Credendi verbo Apostolus vtitur, sed ait: Et nos cognouimus & credidimus charitatem, &c. Simili ratione Petrus fidei cognitionem iungit, dicens: Nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus filius Dei viui. Ioan. 6. Nolumus hic de verborum ordine disputare curiosius, licet Petrus credendi vocabulum præmittat, Ioanes verò cognitionem priori loco ponat. Constat equidem nulla oculari demonstratione fidei mysteria tradi, sed animi oculis, spiritu sancto illuminatis, percipi, iuxta illud Christi: Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Matt. 16. Cõstat item sine fide cognitionem diuinæ veritatis & bonitatis esse nullã, propheta dicente: Nisi credideritis, nõ intelligetis. Isa. 7. Sed cum primis hic discimus, fidem nõ esse sine certa, solida, & infallibili salutis & beatitudinis nostræ cognitione, quatenus nos dum hic viuimus, illa nouisse interest: nec incertis opinionibus exagitari, qui fide Christiana imbuti sunt. Fides enim Christo nititur, qui & petra inuicta, & æterna veritas est. Matt. 16. Ioan. 14. Dubitare ergo & fluctuari nõ possunt animis suis, quotquot Christo innituntur. Ad hæc salutis nostræ arrhabonem habemus spiritum sanctum, quem & Christus in se credentibus promissit, & eundem illis dari Apostolorum scripta luculenter affirmant. 2. Corint. 1. & 5. Eph. 1. &c. Procul ergo facestant impij & perniciosi impostores, qui de salute sua & eius certitudine homines dubitare docet: quod nõ aliud est, quàm desperationis ansam præbere ijs, quos erudiendos & consolandos susceperis. Solent illi quidem eo furo sui commenti impietatem velare, quòd ardens & indefessum bene agendi studium in animis hominum excitare velint, vt iuxta Pauli doctrinam, in timore & tremore salutem suam operentur. Phil. 2. At interim videre nolunt, se dum Scyllam fugiunt, in Charybdim incidere, & tanti periculi authores fieri sine aliqua causa graui & iusta. Infinitæ enim rationes sunt, quæ innocentia & pietatis studium nobis commendant. Pertinent huc minæ & promissiones in scripturis propositæ. Eodem referi debent sanctorum omnium exempla, & horreni impiorum exitus. Momenti plurimum quoque hic habet Christi sanguis, pro peccatis nostris effusus. Quis enim horum atrocitatem non horreat, qui illa tam pretioso sacro expiari oportuisse audit? Palsim quoque nos hortatur, monet, excitat & corripit spiritus sanctus in scripturis. Accedunt exempla quotidiana iudiciorum Dei, quibus inobedientiam & impietatem infidelium coercent. Quem hæc non mouent, eum tu frustra de salutis suæ certitudine dubitare docueris. Quid ergo opus est ea frustra excogitare, quæ præsens & incurabile salutis periculum pariunt? Quo enim pharmaco ei medeberis, qui peccatorum conscientia exagitatus, in desperationem vergit? Promissionesne per Christum factas proferes? At per te didicit illis fidem certam non adhibere, sed de veritate illarum dubitare. In idem enim recidit dubitatio de salute, & de Dei promissionibus. Quòd si exempla proferas eorum, quibus olim peccata remissa sunt, certe hæc quoque ad se pertinere negabit. Quibus ergo rationibus illi persuadebis diuinæ bonitatis gratiam, si dogma hoc stare voles, hominem, quoad viuit, salutis suæ incertum esse? Est itaque doctrina hæc non falsa modò & perniciosã, sed planè diabolica, cuius semina in origine mundi per serpentem sparsit diabolus, quando Euam de Dei erga nos amore & beneuolentia dubitare, & nescio quid de inuido & maligno Dei ingenio suspicari docuit. Huic doctrinæ debetur totum illud superstitionum pelagus, quo syncera veritatis doctrina multis seculis inundata delituit. Huic debentur quotquot nouæ indies prodeunt salutis consequendæ rationes, quas illi excogitant, qui de sua salute nil certi statuere possunt. Huic debemus tot animarum perditionem, quas infelix desperatio in dånationis barathrum demersit. Obturemus ergo aures, o fratres, quoties funeste illæ Syrenes letifera hæc carmina occinunt. Apostolos audiamus, qui salutem digito monstrant, qui spiritum sanctum eius testem & arrhabonem nobis sistunt, qui Christum eius authorem produunt, & de ijs testantur, quorum testes fuerunt oculati, & quæ manibus proprijs contrectarunt. Sed omnes tam infelicibus monstris, ad Ioannem redeamus, qui lætos & felices charitatis fructus paucis verbis comprehensos proponit, dicens:

II. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fidem etiam habeamus in die iudicij, quòd sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Magna sunt, & omnem ingenij captum superant, quæ pollicetur, nedum vt verbis pro dignitate explicari possint. Quibus si ea conferas, quæ philosophorum principes olim suis sectatoribus polliciti sunt, planè nullus momenti esse senties. Licet enim in hoc omnes consenserint, quòd beatitudinem & veram huius consequendæ rationem promittebant, vanissimæ tamen illorum pollicitationes fuerunt, cum veram beatitudinem ipsi ignorarent, & in ijs eam anxie quærerent, quæ ab illa longissimè absunt. At Ioannes noster, qui in sinu domini in vltima Cœna recumbens salutaria hausit diuini pectoris mysteria, tria hic nobis pollicetur, quæ omnem veræ felicitatis rationem absolute comprehendunt, de quibus sigillatim dicere, nec iniucundum erit, nec infrugiferum.

Fidei certa cognitio iungitur.

Contra eos quos de salute dubitare docent.

Charitatis fructus.

1. *Consortium cū
Deo.*

Primum, *Qui manet* (inquit) in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Depēdet huius promissionis ratio ex præcedenti sententia. Si enim Deus est charitas, utique in Deo manebit, quif quis in charitate manserit. At qua ratione Deus charitas dicatur, supra dictum est. Comprehen ditur autem hac promissione non ratio modò & via, qua felicitatē homo assequatur, sed ipsa bea titudo & felicitas. Deus etenim vt summum bonum, ita & omnis boni fons est æternus & inex- haustus, in cuius conspectu fatietatem bonorum omnium Dauid esse testatur. Psal. 16. Nequit er go fieri, vt nobis quicquam desit eorum, quæ incolumitati nostræ seruiunt, si cum illo coniuncti fuerimus. Ex hoc enim fonte manabunt ad nos abundanter quæcunq; verè bona sunt, & ita ma nabunt, vt nobis salutaria sint, nec abusu suo noceant, quod in seculi huius filij fieri videmus, qui à religione omni & charitate alieni sunt. In suam enim ipsorum perniciem conuertunt honores, amicitias, opes, corporis integram ualitudinem, sapientiam, fortitudinem, & si quæ alia bona diui nitus concessa habent. At qui per fidem & charitatem in Deo manent, non hæc modò ex diuina liberalitate accipiunt, sed simul spiritum Dei sibi dari sentiunt, qui animos cœlestium bonorum amore incensos in terrenis & perituris rebus hæere non sinit, & earundem abusum studiosè pro hibet. Sed quia de salutari hac communionem cum Deo alibi quoque diximus, pauca hæc in præ senti sufficiant.

Obseruandum tamen, hac promissione auarorum hominum anxiam sollicitudinem reprimi, qua metuunt, ne charitatem exercendo sibi ipsi inopiam & egestatem contrahant, vt ab aliorū li beralitate petere cogantur, quæ vitæ conseruandæ necessaria sunt. Verat enim hoc timere Apo stolus, cum nos Deum nobis præsentem, & quasi contubernalem habituros pollicetur. Nam qui fieri posset, vt amicis & filijs suis aliquid deesse pateretur is, qui & inimicos sua beneficèria iuuat, & pecori suum pastum dat, nec pullis coruorum ad se crocitantibus deest? Psal. 147. Certè Chri stus inquit: *Quærite primò regnum cœlorum & iustitiam eius*, & reliqua omnia vobis adijcien tor. Matth. 6. Et Dauid hæc verè dici suo exemplo probat, dicens: *Iuuenis fui, & nunc senui, nec vidi iustum desertum, aut posteros eius mendicantes panem. Quotidie beneficus est & mutuum dat, & posteri eius optimè habent.* Psal. 37. Frustra ergo auari ringuntur, dum charitatis studium suis desyderijs obstare putant, & beneficentia in proximum annuos redditus minui ac exhauriri timent: cum non alia vsura fecundior sit & vberior, quàm quæ in pauperibus Christi alendis & sustentandis exercetur. In hac quisquis copiosè ferit, metet etiam copiosissimè. 2. Corinth. 9.

2. *Tranquillitas
conscientiæ.*

Secundus charitatis fructus est, fiducia in die iudicij illius vniuersalis, quando irruo eabili sententia feretur super omnem carnem. Eam verò animi tranquillitatem intelligit, qua intrepidi expectamus Christum iudicem, nec illius iudicij mētione miserabiliter, vt impij solent, terremur & excruciamur. Est hoc ingens bonum, quod solum vitam hanc nostram spe læta exhilarat, aduer sa omnia lenit, & consolationem affert omnibus afflictionibus, quæ incidere possunt, superiorem. Nec tantum bonum Ioannes de suo pollicetur, sed Christi verba respicit, qui in euangelio fate tur, se in die iudicij pro suis agnoscere, & regni sui heredes facere velle eos, qui in euangelio fate secuti, ipsum in membris suis pascunt, vestiunt, domo excipiunt, inuisant amicè & consolantur, Matth. 25. Cæterum, ne quis per hæc operum iustitiam stabiliri putet, obseruare conuenit, quòd hanc ipsam fiduciam cap. 2. Apostolus fidei & perseuerantiæ in agnita veritate tribuit: vnde satis claret, de ea tantum charitate hæc dici, quæ ex fide promanat, fidei coniuncta est, & propter fidem Deo placere solet.

Discrimen piorū
& impiorum.

Sed consydera hic mihi, quisquis es, ingens piorum & impiorum discriminè. Hi enim, quia pra uis operibus toti sunt dediti, & scædas carnis cupiditates sectantur, lucè odiunt, nec aliud magis horrent quàm aduentū Christi, quo opera sua iniqua & impia, nò modò reuelanda, verum etiā pu nienda fore intelligunt. Vellent ergo fugere, si possent, à conspectu domini. Vellent se mōtibus po tius obtegi & in tenebris cauernarum & antrorum delitescere, quàm in illo die coram Christo iudice comparere. Sed quia id illis nò licet, ad alias artes conuersi, omnem de die iudicij doctrinam cauillis & dictarijs improbis eludere & Christi aduentum cum fine mundi in dubium vocare ni tuntur. Aiunt enim: *Vbi est pollicitatio aduentus eius?* Siquidem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio creationis. 2. Pet. 3. Ad hæc carnis voluptatibus sese studiosè im mergunt, verbum Dei surdis auribus contemnunt, conciones sacras deuitant, ne recurrrens cre brò iudicij huius memoria molestiam & curas mordaces afferat. Sed nequicquam hæc om nia faciunt. Quia velint nolint obuertantur sæpius animis illorum cogitationes istæ, & novos indies mætus, dolores, cruciatus omnium quæ studiorum & conatum incertitudinem pariunt. At pij vicissim in hoc omnem suæ spei fiduciam repositā habent, quòd Christum iudicem ventu rum esse nouerunt. Eundem enim & impiorū iudicem seuerū, & piorum siue fidelium vindicè atq; asser-

assertorem fore intelligunt. Credunt enim Christi verbis, qui de die iudicij & signis hunc præcessuris differēs ait: His fieri incipientibus, suspicite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. 21. Quis verò redemptionis diem formidet? Quis huius mentione terreatur? Atqui verè redemptionis dies erit Christi aduentus. Tunc enim finis erit peccatorum. Tunc desinet & abolebitur effrenis mundi impietas. Tunc cessabunt multiuariæ huius seculi angustie. Tunc cum capite suo satana in æternos tenebrarum carceres æternis catenis astringentur omnes impij, & quotquot terrorem suum posuerunt in terra viuentium. Tunc in cælos recepti fideles, extra omnem instabilis fortunæ aleam positi, animabus & corporibus felices, æternum cum Christo suo capite regnabunt. Horum consideratio quia piorum mentibus obuersatur, non potest illis grauis esse eius diei mentio, qui tam lætum præbebit nunquam intermorituræ felicitatis initiū. Cupiunt enim dissolui, & esse cum Christo. Phil. 1. Et cum Dauide clamant: Vt ceruus rugit ad torrentes aquarum, sic anima mea ad te rugit o deus. Sicit anima mea deum, Deum viuum. Quando demum veniam, vt appaream in conspectu dei? Psal. 42. Imò quoties futuri seculi felicitatem cum præsentis calamitatibus & ærumnis conferunt, non possunt non cum Ioanne nostro dicere: Veni domine Iesu, veni cito. Apoc. 22. Hæc si expendas diligentius, facile videbis, quid de multis nostri seculi hominibus iudicari debeat, qui vt omne studium terrenis impendunt, ita cælestium nulla cura tanguntur, & ad omnem siue mortis siue nouissimi iudicij mentionē totis animis consterntur. Sed o excellentiam charitatis & fidei, quæ animos in cælestium considerationē subuehit, & in ijs fiduciam habere docet, quæ impijs terrorem & cruciatus horribiles inferunt.

Tertius charitatis fructus est, quòd sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Dei ergo simili- 3. Dei similes reddimur.
 les reddit charitas, & quæ ex hac nascitur, beneficentia. Nihil enim tam diuinum est quàm multis benefacere, eò quòd Deus vt omnia condidit, sic eadem conseruat, & beneficia in Creaturas suas quotidiana confert. Viderunt hoc ethnici, qui eo nomine in Deorum numerum retulerunt eos, qui communis alicuius boni vel inuectores primi, vel authores in aliqua gente fuerant. Quamuis verò illi suis opinionibus decepti circa deorum multitudinem turpissimè errarint, æternæ tamen veritatis infallibile oraculum est, nos charitatis studio Dei similes fieri, quoad carnis nostræ infirmitas ferre potest. Est hæc insignis & excellens verè fidelium gloria, quam nulli principes vel reges vllis diuitijs aut victorijs assequi possunt. Debet huius consideratio nos ad indefessum charitatis studium excitare. Solent enim germani filij parentū virtutes imitari, vt paternæ gloriæ consortes fiant. Studeamus ergo & nos dei patris bonitatem & charitatem factis nostris exprimere, & sic diuinæ gloriæ merces ad nos quoque perueniet. Debet hoc ipsum ad alias etiā virtutes, quæ in Deo eximie videntur, applicari, imprimis ad sanctimoniam & puritatem, à cuius studio qui absumt, cum Deo puro & sancto communionem habere non possunt. Psal. 15. Isa. 33. &c.

Didicimus hucusque, quæ veræ charitatis in nobis causa sit & origo, fides nimirum, quæ Dei charitatem erga nos percipit. Vidimus excellentes charitatis fructus, communionem cum Deo, fiducia in die iudicij, & diuinæ imaginis, quæ peccato primi parentis oblitterata fuit, restitutionem. Horum itaque memores, fidei nostræ professioni charitatis studium iungamus, ne dum sine hac fidem iactamus, à Christo alieni, charitatem verò sine fide simulantes, hypocritæ esse deprehendamus. Dabit sanctum hoc studium, vt & in hoc seculo omni metu & terrore liberati, tandem æternum cum Christo Iesu regnemus, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X X V I I .

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eijcit timorem: quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Quamuis Deus, qui omnium conditor est & dominus, pro suo in nos iure & imperio voluntatis suæ præcepta simpliciter proponere, & à nobis obedientiam magna autoritate exigere possit, patris tamen ingenium potius quàm domini seueri & immitis mores imitari vult. Nam vt patres non pro suo duntaxat iure obedientiam flagitāt, sed promissis & premijs rudem liberorum ætatem inuitant: ita Deus vnà cum præceptis suis amplissimas omnis generis bonorum promissiones proponit, quòd facilius à nobis obedientiam impetret, qui tot tamque graues sentimus remoras, quæ à via salutis reuocant. Sunt qui hoc abunde probare possunt, plu-

rimi loci in Lege per Mosem tradita, maximè tamen Leuit. 26. & Deut. 28. ca. Præterea prophetas in hoc plurimum versari videmus, quòd tam minis quàm promissionibus in Lege propositis obedientiam à nobis flagitant. Facit idem Christus in euangelio, cuius exemplum Apostoli sedulo imitantur, vt tum alibi, tum in præfenti de charitate Christiana tractatione videre licet. Non contentus enim Ioannes, Christi & præceptum & exemplum proposuisse, splendidis etiam promissionibus nos ad charitatis studium allicit, de quibus nuper copiosè dictū est. Quia tamen inter alia charitatem sectantibus fiduciam & tutam spem in die iudicij pollicitus fuerat, quæ maxima felicitatis nostræ, quoad hic viuimus, pars est, ne quid dubij in animis nostris remaneret, eum locū in præfenti plenius explicat. Deinde Christianæ charitatis fontes siue causam efficientem denuo attingit, sic tamen, vt eius mentione charitatis studium commendet.

Argumentū præfenti loci.

Charitas metu iudicij liberat.

I. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras eiecit timorem: quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Poterat alicui superuacanea videri tam diligens huius rei demonstratio. Sed reuera perquam necessaria est, cum tanto tamque horribili metu impiorum conscientia exagitari soleant, quoties de die iudicij cogitare contingit. Est autem Solomouandum, Ioannem hoc loco non de Dei timore loqui, qui à pijs abesse nequit, & iuxta Solomonis sententiam, veræ sapientiæ principium est. Prou. 1. Sed eum intelligit, quem ex mortis & extremi iudicij recordatione homines à fide & charitate alieni percipiunt: qui tātus est, vt eos quiescere non sinat, & in desperationem rapiat frequenter, cum nō habeant, quod desperationem suadenti satanæ obijcere possint. Hunc à charitate procul abesse dicit Apostolus. id quod argumento solido & euidenti probat ad hunc modū: Quicumque charitati student, cruciatū vel pœnam minimè merentur. At in timore cruciatus est, & quidem tātus interdū, vt ipsam pœnā quæ timetur, superet. Ergo qui charitati student, à timore isto liberi sunt. Et per consequens, quicumque huic obnoxij sunt, se in charitate nōdum perfectos esse probāt. Euidens & perspicua est huius argumenti veritas. Quia enim Christus charitatis studio amplissima vitæ æternæ præmia pollicetur, & huius sectatores se pro suis agnitorum testatur, utiq; ab omni pœna & cruciatu alienissimī sunt. Maior tamen erit huius loci perspicuitas, si exempla consideremus, tam eorum qui in charitatem peccauerunt, quàm illorum qui eius studium sollicitè sectati sunt. Primò autem loco pij prodent, & inter hos quidem Moses fidelis ille in domo Dei seruus. Habet is multa charitatis fraternæ, qua totus flagrauit, testimonia. Nam & scriptura eum omnium hominum mansuetissimum fuisse testatur (Nume. 12.) & cum Aegypti delicijs frui posset, cum fratribus tamen suis potius affigi, quàm sine his voluptuari voluit. Exo. 2. Heb. 11. Adhęc populi tam duri, pertinacis & ingrati quotidianas iniurias, calumnias, conuitia & minas tātā longanimitate pertulit, vt nesciam si quis sanctorū illi hac parte conferri queat. Sed quàm excellēs in eo est quàmque secunda Dei fiducia? Cū enim ad Dei concionantis vocē & tonitru totus populus consternaretur, nec tantę vocis maiestatem ferret, solus ad caliginem illam, alijs inaccessam, appropinquare audebat, & cum Deo facie ad faciem colloqui. Exo. 20. Nume. 12. Idem cum omnis populus propter idololatriæ peccatum deleri meruisset, solus est, qui suam pro illis vitam interponere audebat, & flagrans iam diuini furoris iudicium restinguit. Num ergo diuini iudicij diem miserè & desperabundus timere potuit, qui discere audebat: Nunc igitur remitte peccatum hoc eorum, aut si remittere non vis, expunge me quæso de libro tuo, quem scripsisti: Exo. 32. Vides ergo in Mose, charitatis fraternæ studio, horribilem illum iudicij extremi terrorem locum non habuisse. Sed ne soli Mose securitatem hanc contigisse putemus, Dauidem quoque inspicere, quem Deus virum esse dicit iuxta cor suum. 1. Sam. 17. Exultabant huius infinita in regē Saulem & vniuersum Israelem beneficia, quæ de ipsius charitate luculenter testari poterāt. Nec in eos modò beneficus fuit, qui officia eius agnoscebant, sed in ingrattissimos homines, imò in hostes, quos cum Saule in interitum suū conspirauisse videbat. Nam & Ceilam à Palæstinis oppugnatam liberat, & Saulem in manus suas delapsum cum occidere posset, saluum abire permittit. 1. Sam. 23. 24. & 26. Atqui licet ingrattissimos sentiret, qui ipsi ingentia præmia debebant, nō tamen fructu caruit tam ardens charitatis studium. Timore enim mortis et tremendi illius iudicij adeò vacuus fuit, vt sponte ad Dei tribunal prouocare, & causam suā Deo iusto iudici subijcere ausus fuerit. Quis ergo miserum dicit Dauidem, qui tantum causæ suæ inspectorem se habere intellexit, & ab illo de hac iudicari voluit? Legantur Psalmi eius quos in Saulina persecutione compositos reliquit, & inter hos cū primis 7. & 26. & inuictum animi robur in eo videbis quem tot vndiq; premebant pericula. Iungatur duobus hisce electum illud Christi organum, Paulus apostolus, qui charitatis ignem tantum in sese sentit, vt pro Iudæis fratribus suis, anathema à Christo fieri cupiat. Roma. 9. Idem enim hic iudicij metu adeò non consternatur, vt cupiat dissolui & esse cū Christo, simulque intelligat iustitiæ coronam sibi in cælis repositā esse, Phil.

Exempla charitatis.

Phil. 1. 2. Tim. 4. Constat ergo verissimum esse, quod Ioannes charitatem horribili illo iudicij metu liberam esse dicit.

Sed opponamus his impiorum exempla, vt ingens illud charitatis bonum clarius elucescat. *Exempla alienorum à charitate.* Atqui inter hos primatum meritò tenet primogenitus ille satanæ Cain, qui charitatis igne in animo suo sic restinxit, vt ne fratri quidem vterino parcendū esse putaret, & innocenti illius sanguine manus infelices polluere auderet. Què verò illi animū post explosam charitatē fuisse legimus? Responsare quidem audet Deo de fratre interroganti, qui omnium impiorum mos est, flagitia nimirum recens commissa negare, & impudenti improbitate correptores repellere. Sed infelix est tantæ audaciæ exitus. Vbi enim se propius vrgeri, & tam infandum scelus Dei iudicis oculo nequaquam latere videt, horribiles in animo suo conscientiæ æstus sentit, qui infelici & verè misero desperationis plenam vocem extorquent. Iniquitas mea maior est, quàm ut remittatur. Sed & fugit ecclesiam filiorum Dei, cuius commercium sibi interdictum esse sentit. Idem omnino Saulis tyranni, ab omni charitate alieni, exitus fuisse legitur. Vt primum enim ambitionis cæstrum animo illius charitatem expulit, insequit autem odium & inuidiã, omnem simul conscientiæ pacem & tranquillitatem recessisse sentit. Nam satanæ spiritu agitatus, Dauidem regno eiecit, filio proprio mortem intentat, Phytonissam consulit, tandem amissis filijs & cæsa exercitus maxima parte, ipse sibi mortem consciscens vitæ miseræ exitum miseriorem sortitur. i. Sam. 28. & 31. &c. Nec ab similibus ab his est Iudæ proditoris conditio. Atqui dies me deficeret, si quæcunque in hanc sententiam adduci possunt exempla, copiosius recensere velim. Quæ vtinam diligentius paulò expendant, quos hodie iuuat vindictam ardentius persequi, opes per fraudes & dolos cogerere, & sanguine partas diuitias coaceruare. Licet enim nunc surdæ ipsis aures sint, & omnem monitionem fide indignam esse credant, erit tamen aliquando tempus, quando oppressorum clamores, pupillorum eiulatus, viduarum lachrymæ, peregrinorum gemitus, & horrèda effusi sanguinis facies oculis ipsorum obuersabuntur, & eos terrores iudicij excitabunt, quos Cainum, Saulem & Iudam olim sensisse modò didicimus.

Præterea in Apostoli verbis obseruandum venit, quòd ait: Qui timet, non est perfectus in charitate. Quia verò charitatem ex fide originem ducere & fidei coniunctam esse, iam sæpe dictū est, constat nec in fide & religione perfectos esse, aut quicquam certi habere eos, quicunq; mortis & iudicij extremi metu excruciantur. Fidei siquidem proprium est, conscientiarum pacem afferre, & omnem de salute nostra dubitationem eximere. Est enim (vt Paulus definit) solida & firmiter subsistens rerum, quæ sperantur, apprehensio. Heb. 11. Nec ita nos fidè Christus docet, vt salutis nostræ incertos & dubios esse velit. Nā in euangelio ait: Quisquis biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non sitiet in æternū. Ioan. 4. Et rursum: Qui venit ad me, non esuriat: & qui credit in me, non sitiet vnquã. Ioan. 6. Et alibi omnibus oneratis, ad se venientibus, requiem certam ac verã pollicetur. Matth. 11. Agnouerunt hæc sancti omnes, quorū fides in scripturis celebratur, & ea de causa spem inuictã secuti sunt, quæ nullis laboribus siue periculis debilitari & expugnari potuit. Videt igitur & hoc loco, quid de Sophistarum doctrina, quæ in Papistarum ecclesijs spargitur, iudicare debeas. Docent illi & constanter affirmant, hominem quoad hic viuit, de gratia Dei certum fieri non posse. Quòd si incertum tibi est, num in gratia Dei sis, salutem quoque tibi incertam esse oportet, quæ extra gratiam Dei nulla est. Parit hæc de gratia Dei & salute nostra dubitatio per petuos timores, & indefinientes terrores conscientiæ, quod fateri coguntur, quicunque opinionibus hisce assensum præbent. At vbi timores eiusmodi supersunt, charitas perfecta locum non habet, & proinde nec fides, quæ à charitate separari nequit. Talis ergo hæc doctrina est, quæ fidem euertit, & omnem nostræ salutis rationem in dubium vocat. Sed quia de his in præcedenti Sermone plura diximus, hæc modò sufficiant. Amplectamur nos Christi doctrinam, & in hac ipsum Christum, qui vt fidei fundamentum est insuperabile, ita charitate ea suos incendit, quæ omnibus conscientiarum terroribus pulsus, spem & fiduciam salutis certam ac infallibilem nobis conciliat. Cæterum hinc digressi reliqua etiam huius loci videamus.

I. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Denuo fontes & causam efficientem charitatis attingit, quia hoc præsentis loci ratio postulare videbatur. Ita enim inter homines comparatum est, vt quoties magnum alicuius rei fructum vident, mox quærant, vnde hæc illi virtus & efficacia. Quare cum eos ostendisset charitatis fructus, qui reuera magni & salutare sunt, non ineptè veram charitatis causam repetit, ne quid nobis ipsis imaginemur, quod cū veritate pugnet, & diuinæ gloriæ contrarium sit. Dicit ergo: Nos Deū diligimus, & per dilectionem hanc Deo coniungimur ac vnimur, quo fit, vt homines etiam, quos ille diligit, amore prosequamur, eamq; instituamus vitæ nostræ rationem, quæ ab omni terrore iudicij & desperationis malo liberet. At tan-

tum bonum nemo putet ex nobis esse, vel nostræ naturæ viribus procreari. Altius enim ascendamus oportet, ad Deum scilicet, qui illius in nobis author est. Quia hic nos prior dilexit, & nihil tale cogitantes suo amore præueniens, eum dilectionis affectum in nobis operatur, ut & ipsum diligamus, & propter ipsum eodem amore proximos nostros complectamur.

Charitas non consistit in operum iustitiam.

Est hæc Apostoli sententia perquam memorabilis. Perspicue enim docet, quod iam sæpe dictum est. Charitatis doctrina operum nostrorum iustitiam & proprii meriti fiduciam non stabiliri, sed everti potius. Siquidem ad causas efficientes effectus omnes referri debent. At quia charitatis fons non in homine, sed in Deo est, qui non alio medio quam fide apprehendi potest, stultè & ineptè homini tribuitur, quod non suis viribus & proprio motu operatur. Charitatis verò causas ex Deo esse, multis & solidis argumentis probari poterat. Certè hominis naturam peccato primi lapsus sic corruptam & vitiatam esse constat, ut non modò boni in se nihil habeat, sed & boni diuinitus præscriptum odiat & abominetur, ac legi diuinæ non possit subijci. Primas verò in hac corruptione tenet philautiæ malum, quo homo totus in sui amorè rapitur, se solum quærit, sibi semper proximus est, nulla interim vel diuinæ gloriæ vel salutis aliorum ratione habita. At quid à charitate Christiana tam alienum esse potest, quam philautiæ vitium? Ut enim charitatis affectus sunt; mansuetudo, clementia, misericordia, iniuriæ acceptæ obliuio, facilitas in cōdonandis delictis, beneuolentia, benefaciendi studium & quosuis iuuandi voluntas: ita ex philautiæ fontibus vitiosissimis promanare solent, inuidia, odium, simulas, inimicitia, iræ, rixæ, conuitia, obrektiones, calumnia, pugna, cedes, vfuræ, doli, imposturæ, mendacia, rapinæ, furta, simulationes, & quicquid aliud vel auaritia vel ambitione dictante faciunt homines. Quis verò à tanta corruptione nos auferit? Num ipsi nos liberare possumus? Minimè. Imò ne volumus quidè liberari, & pauci sunt qui videant, quam ipsis necessarium sit, ut ex tantis malis liberentur. Solus Deus est, qui sua dilectione miseros nos præuenit, & liberatos vult, quos cōdidit ex gratia. Filium enim suum Iesum Christum, priusquam mundi fundamenta iacerentur, nobis redemptorè & saluatorem cōstituit, & in illo elegit nos, priusquam conditi aliquam habere potuimus istarum rerum notitiã. Et quia in Christo nos ante mundi constitutionem elegit, nullo hoc nostro merito factum fuisse constat. Nec hic mihi aliquis præscientiã Dei obijciat, quasi propter opera & merita, quæ nos præuidit facturos, elegerit. Quia nisi ille elegerit, & sua gratia ornare dignatus esset, iustitia nostra nulla omnino futura erat. Nec enim nos proprio nostræ naturæ motu Deum quærimus, & gratiã nobis in Christo reconditam sciamus, sed nisi queramus ipsi, nulla salutis cura tãgimur. Nam ut oues errauimus, vnusquisque in viam suã. Isa. 53. At ouis ea natura est, ut semel à grege seducta, non ipsa pastorem quærat, sed à pastore quæsitã & inuenta gregi restituitur. Nec aliã esse nostræ salutis rationem, exempla scripturæ plurima docent. Peccauit primus Adam, & nudum se conspicit. Nunc verò ad Deum conuersus sponte veniam petit, culpam deprecatur, emendationem promittit & in posterum obedientiæ studens, cum Deo in gratiã redire meretur? Nemo opinor hoc dixerit. Quin potius se nudum videns timet, vel amentata consuit verè ficulnea & nullius momenti, Dei conspectum fugit, eiusdem vocem metuit, & eum se præbet, ut non potuisset non perire, nisi Deus ipsum, quæsitum & inuentum in gratiam recepisset, & ab æterno destinati saluatoris promissionibus fuisset cōsolatus. Atqui hæc in primo parente fieri voluit Dominus Deus, ut quæ salutis omnium nostrum ratio esset, perspicue cerneremus. Eandem & postea in alijs secutus est. Iudæorum etenim gentem hoc ipso modo ex mera gratia elegit, suum fecit peculiũ, cum nihil in ipsis esset, propter quod tales fieri mererentur: quod nemo negabit, qui Ezech. cap. 16. & Pauli ad Rom. 9. diligenter perlegerit. Quæ gentium cōditio fuerit, idem Paulus multis in locis docet, clarissimè tamen Ephes. 2. & primis epistolæ ad Rom. capitibus. Verissimè ergo est Ioannis sententia, nos Dei dilectionem & quicquid ex hac boni emanat, non ex nobis ipsis, sed ex Dei gratia habere, qui prior nos diligere dignatus est. Quare stultissimi mortaliũ sunt, qui suis ipsorum viribus & operibus fidunt. Quid enim habes quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4.

Pij Deum redimere debent.

Porro eadem sententia nostri nos officij admonet Apostolus. Si enim nos, cum corruptissimam esse nos, prior dilexit Deus, & gratiæ suæ filios effecit, decet utique, ut Deum vicissim diligentes, in eius gratia perseuerare studeamus. Communis siquidem sensus docet, ut eos diligamus qui suo nos amore dignos censent & beneficia in nos conferunt. Et quia summa in nos est Dei patris dilectio, nec beneficia vlla maiora sunt, quam quæ in nos Deus confert, summum quoque & ardens dilectionis Dei studium merito à nobis exigitur. Nec enim verbis tantum nos se diligere vult Deus, sed cordis affectum requirit, iuxta illud Christi: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Matt. 22. Sunt dilectionis huius pulcherrimi fructus, ex quibus facillimè agnosci potest. Primus inter hos est obediencia vera, quæ dei præceptis exhibetur. Ut enim qui pa-

Dilectionis Dei fructus.

qui patres diligunt filij, eorundem iussis obtemperant, ne illorum in se iram aliquo modo prouocent: ita qui Deum patrem diligunt, præceptis Dei vnice student, & ea anxie cauent propter que venit ira Dei super filios inobedientiæ. Col. 3. Alter fructus est, animi propensio, qua pro Dei patris gloria nihil non amittere, nullos non labores perferre, nihil non periculorum subire parati sumus. Habet enim hoc proprium amor, vt leuia & iucunda reddat, quæcunq; ferenda veniunt, quod in illis cernitur, quorum amor circa homines, aut patriam, aut opes aliaque eius generis versatur. Quoties vitæ pericula subit impudicus amator, mercator auarus, miles ambitiosus? At quâto maiorem diuini amoris vim putabimus, cuius obiectum Deus est, summum illud & æternum bonum, cuius possessores non possunt non esse omnibus modis absoluti & beatissimi? De hac Paulus loquitur: Quis nos separabit à dilectione Dei? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues maectationi destinatae. Verum in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. Rom. 8. Debent hæc totis animis recondi, siquidè veri Dei cultores esse & dici volumus. Pericula enim ingentia & infinita fidelibus proposita esse, ipse Christus testatur: quæ nunquam sustinebit caro, nisi animi nostri hac Dei dilectione flagrent. Et exempla hodie multorum sunt, quæ docent, quàm infeliciter euangelio Christi & fide gloriantur, qui ab hoc amore adhuc alieni sunt. Sed ô pudendam nostri seculi corruptionem. Quid enim de periculis, de Cruce, de persecutionibus, & alijs eius generis malis dicere opus est, quæ charitate vinci debebât? Quot obsecro hodie inuenies, qui diuitias superfluas propter Dei gloriam relinquere velint? Quid diuitias dico? Quàm pauci sunt, qui illicitis voluptatibus renunciare velint, sic postulante Christi gloria? Malè audit & infamatur Christi doctrina propter morum nostrorum corruptelam. Euangelio multi accepta ferunt, quæ inter huius professores regnant vitia, nempe vsurarias artes, rapinas, dolos, mendacia, blasphemias, fidei & religionis contemptum, scortationem, stupra, adulteria, bellandi rabiem, ebrietatem, & effrenem in rebus quibuslibet intemperantiam. Quotus verò quisq; est, qui vt Dei verbum hac infamiae nota liberet, & tam atrocem contumeliam à Christi nomine depellat, ab hisce tam corruptis studijs sibi abstinendum esse censeat? Imò pergunt pleriq; & in deteriora labuntur indies. Num igitur in his Dei dilectionem regnare, imò aliquam huius scintillam inesse dicemus? Imò quod verè de his dici potest, pudet dicere. Dicam tamen, quia hoc illorum meretur impietas. Tam alieni sunt à Dei & filij ipsius Iesu Christi amore isti homines, vt turpe lucrum ex re qualibet, pocula, scorta, & res quasq; nefandissimas Deo & Christo ipsius præferant. Nisi enim hæc illi præferrent, nunquam certè in his contra Dei voluntatem, cum tanta diuini nominis & verbi contumelia, tam impudenter volutarentur. Et vt exemplo cõstet, quales sint, Iudæis omnino conferri debet hæc improba hominum colluies, quibus olim Barrabas, homo seditiosus & sanguinarius, Christo Iesu largitore & authore salutis potior erat. Nam & ipsi eadem Christo præferunt, quæ in Barraba homine flagitiosissimo locum habebant. Nostrum est, fratres dilecti, insignem Dei patris amorem, quo nos profecutus est, digno studio expendere, illius mutuo amore incendi, vt tam sancti studij fructus olim percipere, & omni timore vacui, in die iudicij comparere possimus coram Christo iudice, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXVIII.

Si quis dixerit: Diligo Deum: & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidit, Deum quem non uidit, quomodo potest diligere? Et hoc ipsum præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Diuus Ioannes; Nos (inquit) diligimus Deum, quia ipse prior dilexit nos. Celebris omnino & verè diuina sententia. De qua licet quæ Deus dedit nuper dixerimus, multa tamen dicenda restarent, si quis maiori spiritus virtute afflatus, diuinæ illius dilectionis mysteria pro dignitate expendere posset. Crebrò tamen in animis nostris versari debet, & in omnibus actionibus & institutis nostris occurrere, ne diuinæ dilectionis gloriam insolenti nostrorum operum fiducia nobis vendicemus, interim tamè Deum, qui prior nos amauit redamare studeamus. Porro vt passim Deus, vt ipsum verè diligamus, exigit: ita nemo nõ Dei amas & studiosus haberi vult. Iactat Dei dile-

*Argumentū præ
sentis loci.*

ctionem Turcæ & Mahometistæ omnes. Eadem gloriantur Iudæi, vtcunque à Deo propter incredulitatem repudiati sint. Splendidè multa & sanctè de eadem disputant Monachi & totus ille scholasticorum cœtus. Denique si vel fures, latrones, sicarios, veneficos, prædones, vsurarios, paricidas, periuros, & facinorosissimos quosque interrogas, non puto aliquem tam impiè impudentem fore, qui se Dei osorem vel inimicum profiteri velit, sed huius amorem omnes plenis buccis testantur. Contra hos omnes modò sermonem instituit Apostolus, vanam illorum gloriationem arguens. Docet enim hos mendaces esse, & dilectione Dei frustra gloriari, cum fratrum odio ringantur. Nec id simpliciter dicit, sed quod dixit argumentis firmis & solidis probat. Dignus ergo locus hic, qui nostro seculo diligenter inspiciatur, quando passim regnant falsi illi & mendaces dilectionis Dei ostentatores.

Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Est hæc præsentis loci propositio, & summa eorum, quæ dicere instituit. Verba plana sunt & perspicua, quare in rebus, quæ hic continentur, perpendendis nos potius versari oportet.

*Charitas Dei &
proximi coniun-
guntur.*

Primum locum in his obtinet, charitatis Dei & proximi coniunctio. Ita enim has coniunctas esse docet, vt neutra sine altera subsistere possit. Vt enim Deum diligere non possumus, nisi & fratres diligamus: ita nec fratres diligemus vnquã, nisi Dei dilectio in nobis ardeat. Siquidem nõ de prophano amore Apostolus loquitur, quo & impij interdum afficiuntur, vt non tã amare quàm furere, & prauis cõcupiscentijs æstare dici possint. Qui amor cum finè plerumque sortitur vtrique parti funestus, nequaquam diuinæ huic & sanctæ dilectioni adnumerari debet, quæ lætissimum æterni gaudij & nunquam intermorituræ felicitatis præmiũ diuinitus propositũ habet. Coniungi autem et indissolubiler cohærere Dei & proximi dilectione, nõ Ioãnes modò, sed omnis scriptura vna nimirum consensu docet. In lege certè vtraque traditur, & vt in prima Decalogi tabula deus quatuor præceptis modum dilectionis, quam ipsi debemus, explicat: ita sex alterius tabulæ præcepta, quo pacto proximi dilectionem exercere debeamus, docent. In prophetis passim hoc ipsum cernitur, qui & dei cultum & beneficentiam in proximum studiosè tradunt. In euangelio Christi vocè habemus, cuius autoritas vel sola nobis sufficere debet. Is de summo legis præcepto interrogatus, respõdet: Primum omnium præceptum est: Audi Israel, dominus deus noster, dominus vnus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Hoc est primum præceptum. Et secundum simile hoc est: Diliges proximum tuum, vt teipsum. Maius his aliud præceptum nõ est. Mar. 12. Obseruandum in Christi verbis, quòd præceptũ de proximi dilectione primo simile esse dicit. Deinde quòd de vno summo & principali præcepto quæ sitis, vtriusque dilectionis præcepta profert. Item quòd responsum suam concludens, ait: Maius his præceptum non est. Quæ omnia satis docent, charitatem vnam esse, cuius duæ principales actiones sunt, altera qua deum, altera qua proximum amplectimur: quare secundum studio fraternam dilectione quàm dei amorem requirit. Vt non temere Ioannes dixerit, Mendaces esse, qui cum fratrum odio laborent, se dei amantes esse gloriantur.

*Dei amor in nos
vehementiss.*

Patet in his & singularis in nos dei amor, & excellentissima hominis dignitas, in quam ille nos subuehere dignatus est. Vt enim deus summum bonum, & reuera solus bonus est. Matth. 19. ita solus etiam diligere & amari dignus est. Ea tamè nos dilectione prosequitur, vt nos in eius amoris, qui ipsi debetur, consortium admittat, nosque in seipso diligere velit, nec se diligere à nobis putet, nisi & proximos diligamus. Procul igitur à nostri amoris peruersitate abest deus. Inter nos quidem sic comparatum esse videmus, vt soli velimus diligere ab ijs, quos magnificamus: & si quando illorum studia & amorem in alios quoque inclinare videamus, mox æmulationis fomites & inuidiæ scintillas concipimus, quæ tandem horribile pariunt odij & inimicitiarum incendium. At non talis deus est, cui tunc demum nostra placet dilectio, si iuxta ipsius præceptum in fratres deriuetur.

Seruiat hoc tam consolationi quàm institutioni nostræ. Consolari siquidem nos debet tam propensus & beneuolus in nos diuinæ mentis affectus, cuius consideratio omnes, quæ ab iniquis nobis inferuntur, iniurias leues reddere debet. Quid enim homo illi noceat suo odio, quem dei favor protegit? Cum Dauide ergo dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo. Psal. 118. Item: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robor vitæ meæ, à quo expauescerem? Psal. 27. Cum Paulo item exclamemus: Si deus nobiscum, quis contra nos? Rom. 8. Præterea non graue sit, nos ab hominibus prauis & mortalibus contemni vel negligi, cum eam nostri curam deus susceperit, vt seipsum in nobis, tam amari quàm negligi & contemni, æstimet. Cuius rei euidentis argumentum est, quòd Christus de nouissimo suo in iudiciũ aduentu differens, iudicij siue sententiæ suæ rationem hanc vnam, tam erga pios quàm impios, pro-

laturum

laturum se dicit: Quicquid fecistis de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Matth. 25.

Institutioni verò nostræ hæc seruire debent, non in hoc tantum quòd nostri nos officij admo-
nent, verum etiam, quòd nostræ naturæ stupendam & exemplo carentem corruptionem prodūt.
Si enim tam mentis quàm corporis oculos ad omnes Creaturas animatas & inanimatas, nullam
in tota hac vniuersitate deprehendes, quæ non suo officio respondeat, & hominis dignitatem, qua
illum Deus donauit, agnoscat. Nam quia hunc rerum dominum & principem constituit Deus,
omnes creaturæ illi obediunt & inseruiunt. Profert in hominum gratiam omnis generis fruges
tellus, nec iniquius fert, si aratro scindatur, rastris & occis distrahatur, aquis rigetur, fossis inter-
stinguatur, varijs imprægnetur seminibus, modò homini suo principali alimenta, quæ debet, profe-
rat. Seruit hominis vitæ & incolumitati circumfusis vndiq; aer, nec toties haustus & refusus, vel
consumitur, vel defatigatus officium detrectat. Fluunt perennes aquarum fontes, cursu suo inde-
fessa pergunt flumina, & mare fluuios tam excipit, quàm refundit, vt hominibus debita obsequia
præstent. Non deest nobis ignis, quin multiuariam nostris succurrat necessitatibus. Liberalitate
sua nos pascunt arbores, plantæ, frutices. Et si altius ascendamus, cœlestes orbes in hoc vnum in-
cumbere, & ideo perpetuo motu versari videbimus, vt nos per illos iuuemur: legeque ab opifice
suo præscriptas tanto studio seruant, vt tot iam annorum centurijs nunquam illis hominibus su-
um officium negauisse constet. Imò cœlestes spiritus, angelos, electorum ministerio & seruitio in-
tentos esse, scriptura docet. Hebr. 1. Et castra figit angelus domini circù eos, qui timent dominum,
& eripit eos. Psalm. 34. Et vt in terras redeamus, brutis animantibus hunc sensum inesse experi-
mur, quo hominis dignitatem agnoscunt, eiusdem imperium admittunt, seque illius arbitrio sub-
iici patiuntur. Sic immanis & vasti corporis taurus iugum sponte recipit, stimulos patitur, & ad la-
nienam sese tandem abripi sustinet: quem si viribus suis contra hominem vti vellet, nemo facilè,
nec sine periculo vinceret. Sic equus acer & furens ore frænum, fessorem tergo recipit, calcaribus
vrgetur, & in medios hostes, in gladios, hastas, sagittas, bombardarum tonitrua fertur, & ad mor-
tem vsque pro suo fessore depugnat. Sed & immanes feræ, quas natura à quotidiano hominum
vsu abalienauit, hominis dignitatem obseruant, profundis syluis & obscuris antris clausæ delite-
scunt, nec in hominis perniciem ruunt, nisi Deo creatori visum fuerit, illarum opera ingrati & im-
morigeri insolentiam punire. Quòd si cum his hominem conferas, prorsus alium videbis. Nec ali-
qua fera homini tam iniqua & inimica est, quàm ipse homo. Immemor enim suæ non modò digni-
tatis, verum etiam natiuitatis, quæ illum inermem, infirmum, vagientem, & opis alienæ indigum,
in lucem profudit, quasi ipse sibi ad omnia sufficiat, fratres contemnit, fastidit, odit, persequitur, &
nihil non tentat, quò illos & opprimere & in vniuersum extinguere possit. Et quia armis illum
natura nullis instruxit, ipse sibi arma parat, quibus odium suum & rabiem exaturet. Nam & ar-
mata ferrea corpus totum contegens squamigeros dracones imitatur. Enses, hastas, tela, & ea
quidem omnis generis, excogitauit, quibus & cornua taurorum, & leonum vngues, & aprorum
dentes, & quicquid deniq; in feris immane & truculentum est, longè superat. Adde his quòd non
pauci & rari inueniuntur, qui humanitatis obliti, in fratrum perniciem ruunt: sed regnat passim
tam effera rabies, & eò iam multis seculis progressa est, vt inde sibi summam laudem venentur ho-
mines, si collectis agminibus, & instructis aciebus armati congregiantur, & leuissimas ob causas
(fortassis ob verbum temere elapsum, aut consputum clypeum) riuos humani sanguinis fun-
dant. Hic magni & celebres, Heroum que nomine digni iudicantur, qui in eiusmodi certaminibus
se reliquis truculentiores præbuerint. Sed quid dicemus si illorum facta & mores cum Ioannis
sententia conferamus? Quòd si illos interroges, quò in Deum sint animo affecti, plenis buccis il-
lius amorem iactitabunt. At fratres se odisse, negare nõ possunt. Mendaces ergo sunt, quoties Dei
amore gloriantur. Aperiamus itaque mentis oculos, vt nostræ naturæ pueritatem agnoscere
possimus, ne in illis pergamus gloriã & laudem quærere, quæ à Deo alienissimos reddunt, & per-
petuæ damnationis ignominia perfundunt.

Præterea ad religionis causam hæc Apostoli sententia trãferri debet. Docet enim omnes cul-
tus, quos homines à fraternâ dilectione alieni exercent, Deo inuisos & exosos esse, & proinde ijs
Dei gratiã nullo modo promereri posse. Nam cù Deus ipsa veritas sit, cultores mēdaces & falsilo-
quos vel hypocritas ferre non solet, nec potest. At quicunq; Dei cultum & amorem iactant, cù fra-
tres suos oderint, mendaces sunt. Eisdem ergo cum suo cultu Deo placere impossibile est. Est hu-
ius argumenti veritas tam firma, solida & perspicua, vt huic contradicere nõ possit, nisi qui lucem
tenebras dicere audeat. Probatur præterea exemplis plurimis, quæ passim in scriptura proponun-
tur. Illorum enim hominum patriarcham dicere possumus Cainum, quem cù Abele sacrificauis-
se, sacrificium verò illius Deo displicuisse legimus. Atqui vni & eidem Deo vterque sacrum

*Corruptio homi-
nis stupenda.*

*Cultus à charita-
te alienus Deo displicet.*

suum obtulit. Nec verisimile est, Cainum alio ritu rem diuinam fecisse, quam à patre Adam, vna cum Abele acceperat. Sed & scriptura in ritu sacrificij, & ipsa re sacrificata nihil reprehendit. In ipso igitur Caino fuisse oportet, quod illius sacrum Deo inuisum faceret. Fuit id animus fide vacuus, & à charitate fraterna alienus, quem postea immani parricidio abunde declarauit. Quare cum odio fraterno inflammatus, Dei amorem & cultum simularet, mendax fuit, & Deus mendacis cultum recipere non potuit. Eodem referri debent, quæ apud prophetas multis in locis habentur. Dicit enim: Odi & abominor vestras ferias, nec odorabor in cœtibus vestris. Et cum sacrificaueritis mihi holocausta & sacrificia vestra cibaria, non erunt mihi grata: gratulatorium sacrificium pinguum vestrorum non aspiciam. Amos 5. Et rursus alibi: Cum expanderitis manus vestras, abscondam oculos meos à vobis, etiam si multiplicaueritis orationem, haudquaquam exaudiam. Isa. 1. Quæ verò causa est, quòd & sacrificia & preces (quibus nihil magis gratum habere solet) reijcit? Manus (inquit) vestræ plene sunt sanguinum. Item: Beneficentiam volo, & non sacrificium. Hof. 6. Debebant hæc totis animis consyderare nostri seculi homines, qui cultum Dei in externis Ceremonijs, ijsq; frigidissimis & à Deo minimè traditis, consistere putant. Qui vbi vsuris tantum non sanguinarijs, cauponationibus, imposturis, furtis, rapinis, mercenaria sanguinis effusione, & aliud & altare suis impensis extrui curent, si vestes sacras coemant, si Missarum sacrificia & luminarium oblationes perpetuas instituunt, & annuis redditibus sacrificulos conducunt, qui non intellectas preces pro animarum salute deblaterent. At longè alia Deus requirit, & Zachæum imitari conueniebat, qui dimidium suorum bonorum pauperibus dabat, & si quem defraudauerat, reddebat quadruplum. Luc. 19. Sed & stultum est putare, Ceremonijs per nos confectis Deo pro sceleribus tantis satisfieri posse, cum is olim abs se tradita sacra tanto fastidio damnarit, quando à talibus hominibus celebrabantur. Præterea, nemo virum bonum dixerit eum, qui à fure furti partem recipere, & ea accepta illius furtum dissimulare vellet. Et tu Deum tam iniquum putas, qui furtis & rapinis tuis propter lucris & cõmercij spem ignoscere debeat? Explodamus potius ò fratres tam stultas & impias opiniones. Cogitemus Deum purum, sanctum & incõtaminatum, imò ipsam veritatẽ esse, & proinde ab impuris & mendacibus nullo modo coli posse. Veritati ergo & dilectioni fraternæ studeamus, vt placere possit Deo cultus noster. Cæterum, quia Ioannis sententia carnis nostræ iudicio non grauis duntaxat, verumetiam intolerabilis & palàm falsa videri solet, non contentus hanc nudis verbis proposuisse, eandem duobus argumentis firmissimis comprobatur, quæ modò inspiciemus.

Propositionis cõfirmatio.

I. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidit, Deum quem non uidit, quomodo potest diligere? A comparatis argumentatur Apostolus. Ea est hominum natura, vt ijs quæ sub sensum currunt, magis moueantur, quàm absentibus, quæ animi tantummodo contemplatione assequi aliquo modo possumus. Quare, si quis animo tam immiti & inhumano est præditus, vt fratris conspectu, quem coràm videt, & ope sua indigere nouit, non commoueri possit, nunquam ille putandus erit Deum diligere, qui vt oculis nostris videri nequit, ita nullius opis est indigus. Sed obijciat aliquis: An ergo fieri nequit, vt Deum diligam, licet ab hominum aliquorum dilectione alienus sim? Atqui inter homines imò fratres vterinos, alium quidem amare, aliũ verò odisse possum, nec statim sequitur me omnes odisse, si vnum aliquem odio prosequar. Quantò magis igitur Dei amorem retinere possum, licet fratres non perinde diligam? Sed facilis est ad hæc responsio. Comparationis enim siue argumenti vis, quo Ioannes vtitur, ex coniunctione, quæ homini cum Deo est, dependet. Hominem enim & primitus ad Dei imaginem conditum, & in eam dignitatem euectum esse constat, vt quæcunque Deo debemus externa officia, in illum ex præcepto Dei conferri debeant. At eorum, quos amamus, imagines magni facere & amare solemus. Sic liberi parentum imaginibus non paruum honorem deferunt, & honestæ matronæ coniugum absentium picturas non vulgari amoris affectu venerantur. Quòd si ergo Dei amor animis nostris infuderit, non poterimus non amare hominem, qui ad eius similitudinem conditus est, & Dei conditoris memoriam quotidie nobis renouat. Et quicumque eum ita neglexerit, vt nec Dei imago quam refert, nec eiusdem præcepti, quo illum nobis commendauit, nec præsens necessitas, quæ illum opis nostræ indigum reddit, in illo commiserationis affectum excitare queat, næ ille frustra & falsò Dei dilectione sese teneri gloriabitur.

Imagines Dei.

Est hic obseruatione dignum, quòd hominem ad Dei imaginem factum esse & Dei memoriam in nobis refricare diximus. Arguit hoc illorum stultitiam, qui mutis imaginibus, ex ligno aut lapide, vel etiam præstantiori materia creatis, Dei similitudinem repræsentari posse existimant. Quasi

Quasi verò Dei imago in hominis corpore & vultu conspiciatur, cum ea potius interioris hominis sit, qui per Christi spiritum renouatus, Dei ingenium & mores refert, quoad carnis nostræ in firmitas patitur. Et vt maximè demus, Dei formam & naturam eiusmodi simulachris exprimi posse, nō potest tamen non extremè stultum dici, quòd tātis sumptibus, tot laboribus & molestijs simulachra Dei, quibus non indigent, homines faciunt & fieri curant. Non indigent autem, cū multo præstantiores Dei imagines passim habeant in ijs, qui per Christum regenerati, Christi spiritu viuunt, & Dei non simulachra modò, verum etiam filij & hæredes sunt. At eò dementiæ peruenerant homines stultissimi, vt viuas Dei imagines spolient, quò lapideas & ligneas vestire possint, & neglectis illis opes suas in truncos ficulneos & salignos conferant, & in ea re summam pietatis & religionis Christianæ consistere putent. Sed quia de simulachris dicendi locus commodior erit in fine epistolæ, pauca hæc modò sufficiant.

I I. Et hoc ipsum præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.

Argumento à pronuntiatis sumpto probat, quod supra proposuit. Allegat autem ipsius Dei auctoritatem, quæ vtiq; apud Christianos maxima esse debet. Dei (inquit) hoc præceptum est, ne proximi dilectionem ab ea, quæ ipsi debetur, separemus. Vt enim se diligi vult, ita fratres quoq; diligere iubet. Iniquum ergo & summæ audaciæ facinus est, seiungere velle, quæ Deus indissolubili nexu coniuncta esse voluit. Et quia dilectio Dei vera obedientiæ causa est, falsò Dei dilectione gloriabuntur, quicunq; fratres suos, quos tanto studio sibi diuinitus commendatos esse audiunt, diligere neglexerint. Debent huc referri, quæ supra de dei & proximi dilectione dicta sunt.

Habemus autem his verbis breuiter comprehensam religionis Christianæ summam, quæ in dei & proximi dilectione consistit. Dei dilectio fidem comprehendit, & voluntatis diuinæ studium. Nec enim fieri potest, quin illi fidamus, & in eo spem omnem collocemus, quem ex toto corde super omnia diligimus. Adhæc dilectionis proprium est, vt ijs placere studeat, quos diligit. Proximi verò charitate quæcunq; reliqua sunt legis implentur, iuxta illud Pauli: Nemini quicquam debetis, nisi hoc, vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa: Non adulteraberis, non occides, non furaberis, nō falsum testimoniū dices, non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summam comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum nō operatur. Consummatio itaq; legis est dilectio. Rom. 13. Hæc cum ita sint fratres, quæ stultitia est, circa ea altercari, quæ à Deo nec tradita sunt, nec aliqua parte iuuant. Sufficiat nobis Christi iugum, suauē & salutiferum. Diligamus deum ex animo illi nos totos cōsecremus, & omni fiducia salutis in hunc collocata, eidem seruiamus sicut ille præscripsit. Rursum in deo diligamus, quos ille ad suam imaginem condidit, quos filij sui sanguine redemit, quos suos filios & hæredes constituit. Sic fiet, vt illum in spiritu & veritate colentes, in ipsius conspectu comparere possimus, & æterni regni consortes fieri cum filio dei Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

Summa religionis Christianæ.

C A P V T V.

H O M I L I A XXIX.

Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quòd diligamus filios Dei, cum Deum diligamus, & præcepta eius seruamus. Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta eius seruemus.

I O A N N E M Apostolum supra dixisse audiuius: Hoc est præceptum Dei, vt credamus nomini filij ipsius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut ille præcepit. Cōprehendit aut̄ duobus capitibus, Fide nimirū & charitate, omnia hominis officia quæ tã Deo quã proximo debemus: in quorū explicatiōe vniuersa scriptura plurimū versatur & Ioan. hucusq; nō vulgari diligentia vsus est. Et quia dū hæc proponuntur, homines vel sub fidei prætextu carnis licentiæ studēt, factisq; negāt quod ore p̄fitentur: vel dū operib. charitatis student,

*Argumentū præ
sentis loci.*

*Fides et charitas
coniunguntur.*

*Fidei obiectū &
fundamentum
Christus.*

*Iesum credatur ef
se Christum.*

propriæ iustitię meritum stabilire conantur, non temere Apostolus fidem cum charitate coniungit, & hanc ex illa manare docet, vt nec fide mortua falsò gloriemur, nec meritum putemus, quod debitum dici debet. Eodem & præsens locus refertur, in cuius prima parte docet fidem & charitatem res esse inter sese coniunctissimas. Deinde notas tradit & signa, ex quibus tam proximi quàm Dei dilectionem agnoscere possumus. Nos de singulis ordine agemus.

I. *Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & cum qui natus est ex eo.* Habent verba hæc integram ferè argumentationem, in uerba tamen (vt in orationibus fieri solet) propositionum collocatione. Sic enim argumētatur Apostolus: Omnis qui Diligit Deum, diligit & eos qui ex Deo nati sunt. At omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Ergo omnis qui Deum diligit, eos qui Iesum credunt esse Christum, diligit. Maior, dilectionis ingenio siue natura & communi sensu probatur. Ea enim amoris vis est, vt non in eius persona quiescat quem amamus, sed ad alios quoque, qui ei personæ coniuncti sunt, extendatur. Nec vnquam nostri amantem esse putabimus eum, qui nostros vel liberos vel amicos & seruos odio prosequitur. Hinc illa in amicorum amicos & cognatos officia, & quod illorum curā non inuiti suscipimus, qui amicorum literis commendati ad nos veniunt. Imò ita comparatum esse videmus, vt illorum pecudes & canes nobis commendatissimi sint, quos syncero amoris affectu amplectimur. Firma ergo stat Ioannis sententia, Dei filios ab ijs diligi, qui Deū diligunt. At quia Dei filios esse dicit eos, qui credunt in Iesum Christum, non obscure monet, dilectionis fraternæ verissimam causam & radicem esse fidem, quæ vt diuinę bonitatis consyderatione & exemplo dilectionis ignem in nobis accendit: ita nos quoque tales efficit, quibus fraternus amor ex officio debetur. Nec ideo sequitur, eos tantummodo diligendos esse, qui vera in Christum fide imbuti sunt, cum & planè ignotos scriptura alibi commendat: sed scopus Ioannis est, demonstrare, fidem à charitate nullo modo separari posse, sed hanc illius fructum & comitem esse indiuisum. Vnde sequitur, à fide in Christum & dilectione Dei alienissimos esse, quotquot fratres amare dedignantur. Quia verò fidem & charitatem, virtutes Christianorū reuera principes et cardinales, cōiungit, nostrum erit nō oscitanter, quæ de vtraque dicuntur, inspicere. Et primò quidem fidei mysteria excutiemus.

Est in his primo loco obseruandum, quòd fidei obiectum nullum constituit Apostolus, præterquam Iesum Dei filium. Atqui poterat plures fidei articulos constituere, qui passim in scripturis explicatur, quales sunt de trinitate, de gratia Dei, de vita æterna, & alijs rebus eius generis. Sed vno hoc, quo Christus Iesus traditur, contentus est: non quod alios, vel negandos vel negligendos esse, existimet, sed quòd hic omnium primus sit, & reliquos omnes in sese contineat. Christianæ ergo fidei basis & fundamentum Christus est, sicut ipse, & ex spiritu ipsius Paulus testatur. Matth. 16. 1. Cor. 3. In eius agnitione & confessione necessariò conuenire debet, quotquot Christiane esse & haberi volunt. Qui hunc tenuerit syncerum & integrum, in reliquis perniciosè errare nō poterit, & si quando hallucinetur circa alia, eius tamen error nec incurabilis nec exitialis erit. At qui hic impingens noui & alieni dogmatis author est, & scisma facit inter Christiani nominis professores, pro Christiano haberi nequit, donec ad fundamentum fidei vnicum, Iesum Christum, reuertatur. Arguuntur itaque Ioannis exemplo, qui nouos fidei articulos constituere audent, & eos quidem, qui cum Christo Iesu nihil commune habeat, imò cum illius merito & officio manifestè pugnant. Tales sunt, qui Missæ sacrificium, operum nostrorum iustitiam, satisfactiones, merita, diuorum inuocationem & intercessionem, purgatoriū ignem, vota monastica, indulgentias, & quæcunque alia sunt huius farinae, obtrudunt. Atqui ea hodie ita quidam tumentur, & tanta cum obstinacia animorum pro illis depugnant, vt blasphemias in Christum Iesum, & horribilem diuini nominis ac verbi abusum facilius ferant, quàm vt his, quæ modò commemorauimus, quicquam derogetur. Nobis vnus Dei filius, Iesus Christus sufficiat, in quo omnes scientiæ & sapientiæ thesauri dati sunt, qui nobis iustitia, sapientia, sanctificatio, satisfactio & redemptio à patre factus est. Qui denique peccatum fieri voluit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. 1. Corinth. 1. 2. Cor. 5.

Cæterum non satis est, Christi nomen in ore habere, & de Christo frequenter multa dicere: sed Christo credere, & ea quidè de illo credere oportet, quæ salutis nostræ causa ipse vel fecit vel passus est. Poterant hæc multis extendi, sed breui compendio omnia illa Ioannes complectitur, cum dicit: Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Iesus nomen filio Dei proprium fuisse, supra dictum est. Illud enim in Circumcisione (vt hodie in baptismo fieri consuevit) ipsi inditum fuit. Luc. 2. Nec tamen sine mysterio. Quemadmodum enim in ipso salutem propositionem habebat humanum genus: ita nomine hoc ipsum testatum esse oportuit. At Christi vox officium denotat, cui ipsū cœlestis pater ab æterno destinarat. Latinis enim vnctum sonat, id est, sacerdotem & regem: quia hi soli iuxta legem olim inungi solebant. Iesum ergo Christum esse credit, qui-

dit, quicumq; illum & sacerdotem & regem esse agnoscit populi Dei, id est, ecclesie, & ab illo sperat, quæcunq; de vncto illo domini per diuinos homines prophetas spiritus sanctus promisit. Ostendit is illum doctorem fore, quem omnes audire debeant. Deut. 18. Act. 7. Docuit, eundem vitam fore, quam ipsemet in ligno pro peccatis nostris immolaturus esset. Isa. 53. Ostendit præterea intercessorem fore & patronum, qui causam nostram coram Deo patre solus fideliter & sufficenter agat. Quare illum non sacerdotem modò vocat, sed sacerdotium eidem tribuit stabile & æternum. Psal. 110. Simili ratione eidem omnia regis officia transcribit. Regnum eius extendit per omnes gætes ad extremos cardines orbis terrarum. Psal. 2. Zach. 9. Victorem proponit, qui caput serpentis conterat, & suos ex illius tyrannide potenti brachio liberet. Gen. 3. Deniq; in hoc nõ leges modò & iudicium (quæ nõ postrema regni bene instituti pars sunt) indicat, verum etiã thesauros cœlestis vitæ & spiritualia dona, quibus suos ditare consuevit. Talè postea plenius depingit euangelij doctrinam, quam spiritu Christi distante, Apostoli ore & scriptis ecclesie tradiderunt. Describuntur enim in hac Christi sermones, quibus docuit, & voluntatè patris clarissimè interpretatus est. Indicatur, vt ecclesie suæ verbi ministerium reliquerit, per quod hodie etiã inter suos docet & concionatur. Eph. 4. Explicatur tota sacrificij Christi ratio. Proponuntur eius precès, quibus pro nobis olim intercessit, & promissiones quibus pollicetur hodie quoque patri grata & accepta fore vota nostra, quæ in ipsius nomine offerimus. Præterea demonstratur victoriosus ille & gloriosus rex esse, qui deuictò satana, peccato & morte, portisque inferorum effractis, omnem potestatem acceperit in cœlo & in terra. Matth. 28. Hæc & quæcunq; alia sunt in Christo Iesu, agnoscere & firmiter credere oportet eos, quicumq; Christianam fidem profiteri volunt. Nec sufficet illa simpliciter vel credere vel fateri, nisi illa in solo Christo haberi credas, & eundem vnicum humani generis saluatorem esse agnoscas. Nec enim vacillantes vult in religionis & fidei causa animos Christus. Sibi solus nos totos vendicat, sibi soli desponsatos vult, & nefandi adulterij contra Christum reus est, quicumq; salutis fiduciam minima ex parte in creaturas declinare permiserit. Vnde Petrus non contentus dixisse, Non est in alio quoquam salus: addit: Nec enim aliud nomen datum est sub cœlo inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Acto. 4. Et Paulus, se vni viro Christo Corinthios adiunxisse testatur, nec permittit, vt è simplicitate fidei, quæ vni Christo debetur, deflectant. 2. Cor. 11. Obseruent hæc, qui cum Christi nomine gloriantur, extra hunc tamen nouum sacerdotium, noua sacrificia, nouos intercessores, noua ecclesie capita, nouos doctores & magistratos, denique nouam per omnia salutis rationem comminiscuntur. Agnoscamus nos, extremam & sacrilegam impietatem esse, Iesu Dei filio quicquam detrahere, quod Christi, id est, regis & sacerdotis nomine comprehenditur.

Præterea fructum fidei exponit euangelista, ex quo eius dignitatem æstimare licet. Qui (inquit) credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Dei filios facit fides, quæ dignitas omnem mundi gloriam longè superat. Laudi habetur generis nobilitas. Et sanè non nihil est, ex bonis parentibus progenitum esse, & domestica habere virtutis exempla quæ imiteris. Sed vana est, & plusquam ventosa nobilitas, nisi ex Deo natus sis. Nicodemo etenim Christus ait: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Ioan. 3. Quæ ergo vtilitas erit posse auios & atauos numerare gloria & virtute celebres, nisi cœlestis accedat regeneratio, quæ sola regni cœlorum hæredes facit? Apud inferos & Pharaonem & reliquos reges torqueri legimus, qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium, nec impijs & à fide alienis superba titulorum ostentatio profuit. Ezech. 32. Atqui sola fides Dei filios facit. Christo enim inserit, qui spiritum suum nobis communicat, in quo clamamus Abba pater. Rom. 8. Gal. 4. Nemo itaq; tanquã ignobilem contemnat eum, qui Deo patre & Christo fratre per fidem gloriari potest. Nemo generis nobilitate effertur, si se Dei filium esse nondum viderit. Imò licet se eum esse certus sit, nondum tamen datam sibi putet gloriandi materiã. Quia vt carnalis natiuitas nõ nostri est vel arbitrij vel potestatis sed parentum beneficium est, ex quibus nascimur: ita vt filij Dei nascamur, nec volentis nec currentis est, sed miserantis Dei. Rom. 9. Et non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati censi debent, quotquot eò dignitatis euehantur. Ioan. 1. Nam & fides, cuius medio tales efficitur, non ex nobis, sed donum Dei est. Ephes. 2. Euertit hoc omnem meriti nostri & iustitiæ propriæ gloriacionem. Vt enim hæres nascitur filius, non hæres esse meretur: ita nos hæredes Dei sumus, quia ex Deo nascimur. At ex Deo nascimur per fidem, quæ grauitum diuinæ liberalitatis munus est. Stultum igitur eo gloriari coram domino, quod ex te nec habes, nec vnquam habere poteris nisi donante domino. Porro ne quis fidem imaginetur mortuam, quæ impijs licentiæ & scelerum pretextus est, ad alteram huius loci partem transeamus, quæ charitatis mysteria explicat, cuius causam & radicem diximus esse fidem in Christum.

Fides facit Dei filios.

Charitas non respicit personas.

Sunt in hac duo expendenda, quæ illi Apostolus tribuit. Primò personarum respectum excludit, qui si admittatur præsentissimum charitatis venenum est. Nam charitatem per se laudabilem esse, & eius studium probari debere, nemo facilè negauerit. At si à nobis quoque exigantur charitatis officia, mirum quàm ingeniosa sit caro nostra, quæ vix aliquem inuenire potest, quem nostra beneficentia dignum iudicet. Hunc enim propter patriam vel negligi, vel etiã contemni & vexari posse putat, eò quòd natale solum longius à nobis remotum illi contigit, vel ex eo aliqua fortasse iniuria nobis illata est. Alium rursus propter vitæ conditionem nostro amore indignum censet. Denique, dum philantiæ oculus in proximi vitij obseruandis acutissimè cernit, semper aliquid deprehendere solet, quo omissum dilectionis officium excusare studet. At Ioannes, omnes eos filios Dei esse docet, qui Iesum Christum nobiscum agnoscunt & fatentur. Quòd si filij Dei sunt, fratres tui sint necesse est, nisi te filium Dei negare velis. Tu verò quis es, qui & fratrem & filium Dei negligi posse existimas? Multa equidem in externis sunt, quæ personarum discrimina non obscure inducunt. Sed arctior est nostra, quam in Christo Iesu habemus, cõiunctio & fraternitas, quàm vt propter externarum rerum discrimina violari debeant. Siquidem in Christo Iesu non est Iudæus neque Græcus, non seruus neque liber, non masculus neque femina, non Barbarus, non Scythæ, non Germanus, non Gallus, non Hispanus vel Italus, sed omnia in omnibus Christus est. Et omnes nos vnum sumus in Christo Iesu. Galat. 3. Col. 3. Explodamus ergo malignum philantiæ iudicium, & Christi doctrinam audiamus, qui omnes illos nobis proximos esse docet, quos nostra ope, nostro consilio & auxilio indigere videmus. Luc. 10.

Charitatis obiectum Deum est.

Deinde quorsum charitas referri debeat, vel quòd eius obiectum sit, docet. Omnis (inquit) qui Deum patrem diligit, eos etiã diligit, qui ex Deo nati sunt. Proprium ergo charitatis obiectum, quo mouetur, Deus est. Longè enim à prophano amore, quem in filijs huius seculi est videre, sanctam hanc & diuinam dilectionem, spiritus sanctus remouet & distinguit. Equidem multi sunt, qui & amicos amant, & eos, quorum amicitias sibi vel honori vel vtilitati esse norunt, magno studio sectantur, & nihil non officiorum illis exhibent. At quia hæc priuata vtilitatis siue voluptatis causa faciunt, non proximum, sed seipsum diligere dici debent. Aufer enim amatori potiùdæ amicæ spem, vel libidinis voluptatem tollito, & amori illius finem feceris. Aufer honores & emolumentum quòd alius ex ijs sperat, quos suo fauore prosequitur, & mox languere videbis obsequium, quòd paulò ante feruere putabas. Aliud ergo obiectum sanctæ illius & Christianæ dilectionis Ioannes monstrat, Deum scilicet, quem quia in omnibus hominibus cernere licet, illius respectu ad omnes amandos incitatur. Constat enim ad Dei imaginem conditum esse hominem. Constat eum, qui fidelis est, Dei esse filium, & Christi fratrem atque cohæredem. Constat eum quoque, qui infidelis est, sub Dei cura & patrocinio agere, & fortassis spes est, illum aliquando in salutis cognitionem peruenturum. Hæc quia fidelis cogitat, vbique videt, quòd in ipso amoris sancti flammam incendat. Quamuis enim lucri nihil sperare possit, de quæ retributione beneficij planè incertus sit, quia tamen Deo se hoc beneficium debere intelligit, non grauatim confert, quòd tam liberalis remunerator ab ipso postulat. Rursus, si iniuria affectus sit à proximo, non tamè memoria charitatis affectum extinguet, si in Deum respiciat, qui atrociores multò iniurias ab omnibus nobis illatas sustinuit & condonauit, imò expiauit effuso in ara Crucis filij sui sanguine. Vides ergo necessarium esse, vt in charitate exercenda aliò, quàm ad proximum, mentis nostræ oculos conuertamus. Nisi enim id fiat, proximus nobis idolum, & charitas idololatriæ loco erit. Diuina autem charitas dici merebitur, quæ propter Deum & præceptum eius exercetur. Christiana erit, quæ Christi nomine fratribus impendimus. Nec tamen hæc quisquã ita accipiat, quasi misericordiæ affectu à charitate excludamus, qui alienæ miseræ aspectu commouetur. Qui nisi in sanctis locum inueniat, iam illos stipites & truncos, non homines esse iudicabimus. Sed principalem charitatis causam, qua etiã nulla alia accedente excitatur, vrgemus, quæ sola charitatis affectum omni vitio liberat, & per omnia syncerè reddit. At quia tã fides quàm charitas Deo nititur, & in deum vnum respicit, non potest non arctissima & indissolubilis esse illarum coniunctio: & proinde firmum & certum consistit, quòd Apostolus prima huius loci parte probare instituit.

Note charitatis.

I. In hoc cognoscimus, quòd diligamus filios Dei, cum Deum diligimus, & præcepta eius seruamus. Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta eius seruemus. Poterant hæc priorum expositio videri, sed simul veræ dilectionis notas comprehendunt. Loquitur autem tam de Dei quàm proximi dilectione. Dilectionis proximi notam facit dilectionem Dei. Et vt ante dixit, eum qui Deum diligit, & Dei filios necessariò diligere: ita nunc inuerso verborum ordine, ait: In hoc cognoscimus, quòd diligamus filios Dei, si ipsum Deum diligamus. Quia enim philantiæ malo excæcati sumus omnes, fucatus erit omnis, quæ proximo impendimus, amor, nisi eum dei amore cõiunctus sit. Obserua-

Obseruandum hoc in amicitijs quærendis, in quibus vt maxima terrene felicitatis pars consistit: ita qui in illis admittitur error, frequenter opum & famæ ruinam secum trahit. At frequenter fit iuxta illud poetæ, vt Vulgus amicitias vtilitate probet. Quare diuitum & potentum huius seculi fauorem plerique affectant. Sed quàm miserè fallantur, multi quotidie experiuntur, licet erroris causam non omnes animaduertant. Proximos syncerè non amat, nisi qui Dei amans fuerit. Quisquis ergo syncerum & stabilem amicum quæris, eum sectare in quo Dei amorem flagrare senseris. Hunc ab omni dolo alienum senties. Hic nec secundis rebus, quæ tibi affluunt, inuidebit: nec aduersis offendetur. Imò eò plus amoris & officij præstabit, quò maiori necessitate te circumuentum viderit. Quòd si hoc præcepto contempto, eos amicos quæras, qui præsentis alicuius emolumentum spem faciant, eadem esca tu quoque decipieris, vt & tuam amicitiam tui similes venentur: sic que illud ethnici poetæ in te locum habebit: Donec eris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Porrò ne quid nobis desit, Dei quoque amorem quo indicio probare debeamus docet. Hęc est (inquit) dilectio Dei, vt præcepta eius seruemus. Opponit sententiam hanc hypocritis, qui de Deo & dilectione eius multa magno cum verborum splendore disputare consueuerunt. Sed vt regnum Dei non est in sermone, sed in potentia & virtute: ita Dei amor non verbis, sed factis optime probatur. Videtur autem ex communi hominum sensu & experiētia quotidiana desumptum esse, quod Apostolus dicit. Sic enim comparatum videmus, vt filij qui parentum verè amantes sunt, ipsè obedire studeant: nec vnquàm persuadebis alicui cordato, eum filium patris amore teneri, qui in obedientia sua patri iugis irarum & doloris causa est. Eadè ratione, quicumque Dei amore animis suis conceperunt, diuinam voluntatè studiosè obseruant, nec illis graue videri potest, quo Deum delectari norunt. Debent huc referri, quod Christum Iesum dixisse legimus: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Item: Qui habet præcepta mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Ioan. 14. Et rursus eodem loco: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et alibi: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Ioan. 15.

Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd Dei dilectionem cum præceptorum Dei obseruatione spiritus sanctus coniungit. Nec enim falsos modò dilectionis Dei iactatores arguit, verum etiam contra superstitiosos hypocritas de vera præceptorum Dei obseruatione nos instituit. Nam sunt, qui egregiè se suo officio sanctos putent, si externa illa, quæ Deus exigit, magno cum splendore peregerint: vt interim de illis nihil dicam, qui hæc ipsa inuiti faciunt, & non nisi præcæ metu impulsæ. At Deus, quia animum hominis requirit, voluntariam quoque à nobis obedientiam postulat. Quare de populo Christi illud cum primis regius Psaltes Dauid testatur, quòd promptus per omnia & spontaneæ voluntatis sectator in Christi cultu futurus sit. Psalm. 110. Et Moses cum legem totam summatim colligere instituit, de Dei dilectione non indiligenter mentionem facit, dicens: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est. Diliges itaque dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & pro omni virili tua. Deuteronom. 6. Et rursus: Et nunc Israel, quid dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum Deum tuum, & vt incedas in cunctis vijs eius, diligas eum, & seruias domino Deo tuo toto corde tuo, &c. Vbi gradationem, quam Moses ponit, obseruare operæ precium est. Vult vt Deum timeamus, quod verè sapientiæ principium esse testatur Solomon. Prouerb. 1. & 9. Psalm. 111. Timorem sequitur præceptorum obseruatio. Nec enim herum timere dicitur seruus, qui heri præcepta negligit. At ne seruilis putetur timor hic, & non spontanea præceptorum Dei obseruatio, tertius locus dilectioni tribuitur, quæ tandem eum cultum parit, qui totum cor hominis Deo vendicat. Confutantur itaque hoc loco omnes cultus extra Dei verbum per homines constituti. Nec enim gratus esse poterit Deo cultus, nisi qui cum Dei amore coniunctus fuerit. At hic à præceptorum Dei obseruatione alienus non est, imò huic vnice studet, & hominum traditiones, Dei sententia olim damnatas, cane peius & angue odit.

Possent hic de præceptorum Dei obseruatione multa dici. Sed quæ huc faciunt in ijs quæ proximè sequuntur, Ioannes subiiciet. Agnoscamus nos coniunctionem arctissimam fidei atque charitatis. Sectemur vtriusque studium, & fidem quidem Dilectione, Dilectionem verò præceptorum Dei obseruatione probemus. Sic enim fiet, vt pro veris Dei filijs agnosci possimus, & in cælis olim viuamus cum filio Dei vnigenito, Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas, in æternum. Amen.

Et præcepta eius grauiã non sunt. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria, quæ uicit mundum, fides nostra. Quis est qui uicit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius Dei?

VT Deus in scripturis sanctis passim fidem veram & nõ fictum fraternæ charitatis studium à nobis exigit: ita omnes ferè tam fide in Deum uera quàm charitate in fratres gloriari solent, cum tamen paucissimos videre liceat, qui his ex animo & uerè studeant. Prudentissimè ergo Ioannes de his sermonem sic instituit, ut utramq; certis ac infallibilibus notis describat, quò ueros fidei & charitatis cultores ab hypocritis & uanis ostentatoribus possimus discernere. Et fidei quidem notam fecit ipsam charitatem. Quia enim fide filij Dei efficimur, fieri nequit, quin & erga deum patrem & eius filios, qui nobis fratres sunt, amorem uerum animis nostris concipiamus. Charitatem uerò synceram ex obseruatione præceptorum dei æstimare docet. Nam amoris proprium est, ut ijs quos amamus, placere summum studium sit. At Deo placere non potest, nisi qui præcepta eius seruare studet, ut multi scripturæ loci & exempla passim obuia probant. Semper ergo ob oculos nobis hæ notæ uersentur, ut tã alios homines quàm nos ipsos dijudicare, & quãtum adhuc nobis in fidei & charitatis studio desit, agnoscere possimus. Ceterũ quia in obseruationem præceptorum Dei incidit, inde occasione sumpta, de hac in præsentia diligentius & plenius disserit. Insignis locus, & attentæ consyderatione dignissimus. Primò enim, ne nimis difficultatis opinio omnino in nobis studium frangat, & desperabundi in ipso limine cõcidamus, docet, Dei præcepta per se grauiã & difficilia non esse. Deinde quibus non grauiã sint, indicat. Tandem & organũ uel medium describit, per quod omnis, quæ hic incidere potest, difficultas facillimè superatur.

Argumentũ præsentis loci.

Præcepta dei quomodo facilia sint

I. Et præcepta eius grauiã non sunt. Breuis & perspicua (si uerba consyderes) sententia, sed quæ penitus inspicere mereatur. Si enim eam ad Carnis nostræ iudicium reuocemus, longè diuersum apparebit. Siquidem Caro, quanta quanta est, corruptioni subiacet. In peccatis cõcepti & generati, peccatorum illecebris delectamur, peccatis seruimus, & iuxta prophetæ sententiam, Aethiopsis colorem mutare tam facile est, quàm carnis ingenium aliud fingere. Iere. 13. Et Paulus apostolus peccati uim tantam in membris suis se sentire testatur, quam nullis uiribus aut consilijs superare possit, quin per eam captiuus ducatur, quò non uult. Rom. 7. Quomodo igitur non grauiã sunt dei præcepta, quibus ferendis non sufficimus? Hic obseruemus oportet, duplicem esse præceptorum dei consyderationem. Prima est, qua illa ad carnis nostræ infirmitatem & ingenitam corruptionem examinamus. Altera, quæ qualia per se sint, indicat. In priori, nõ grauiã modò, uerũ etiam prorsus intolerabilia esse deprehenduntur: quæ tamen si nuda & qualia in seipsis sunt, consyderentur, nihil difficultatis cõtinent. Exemplo aut simili res clarior fiet. Fingamus in medio positã massam aliquam nõ magni ponderis. Iubeatur hanc in humeros attollere & auferre aliquis, quem uel natura ineptum & imbecillum genuit, uel morbus diuturnior debilitauit. Nunquam certè, quod iubetur, efficiet, & intolerabile pondus erit illi, quod alius, cui uires sunt integræ, paruo labore sublatum amouebit. Massa hæc reuera est Dei uoluntas & eius præcepta, quæ per uerbum Dei in scripturis proponuntur. Grauiã sunt & intolerabilia, non alia de causa, quàm quòd primæ transgressionis peccato uires nostræ eneruatæ, & caro nostra eò corruptionis adducta est, ut nihil illi & grauius & inuisum magis sit, quàm quòd cœlestis uitæ rationem præscribit. Quòd si rem ipsam excutiamus, præcepta hæc non leuia modò, sed & dulcia omnino & suauia esse deprehenduntur.

Doctrina præceptorum Dei.

Incipiamus autem à doctrina, per quam illa proponuntur. Ita enim comparatum est, ut præcepta omnia multum uel facilitatis uel difficultatis ex methodo & tradendi ratione accipiant. At qui hæc doctrina & simplex est, & clara, certa atq; perfectã. Simpliciter argumentum ingens est, quòd & ciuibus & rusticis, doctis & indoctis, uiris & mulieribus, imò & pueris illam conuenire posse uidemus. Simpliciter hæc de eiusdem perspicuitate luculenter testari solet. Certitudinem nemo negare potest, cum & certis libris comprehensa sit, & iam à prima usque mundi origine durauerit. Perfectionem uerò tantam habet, ut nihil illi uel addi debeat uel adimi, nec permissum est, ut quisquam aliquid in illa mutare ausit. Pertinent huc Christi testimonia, qui se omnia nobis tradidisse dicit, quæcunque à patre acceperat. Ioan. 14. Idem scripturas scrutari iubet, & in illis uitam æternam monstrat. Ioannis quinto. Et Paulus, scripturam diuinitus inspiratam & ueritatem esse factam.

esse fatetur ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit homo Dei, & ad omne opus bonum apparatus. 2. Timoth. 3. Cum ergo de doctrinæ præceptorum Dei simplicitate nobis constet, nunc potissima illorum capita, ad quæ referri possunt, consideremus.

Primum & summum in his fides est, quam salutis nostræ fundamentum & causam principalem esse, omnes fatentur. At huius unicum obiectum proponitur Deus, in quo bona nobis omnia abunde proposita sunt. Et medium, per quod illum fide apprehendimus, Christus esse indicatur, qui nos patri reconciliauit, & viam se esse monstrat, qua ad illum perueniri potest. Ioan. 14. Quid verò facilius in fidei negotio tradi & à nobis exigi poterat, quam quòd iuxta primi fœderis præceptum & Decalogi legem (Gene. 17. Exod. 20.) & totius euangelij doctrinam, vni Deo per filium suum Iesum Christum fidere & huius solius gratiæ niti iubemur? Nōne facilius hoc multo est, quam si hominum dogmata sequi, & multis fictitijs dijs animo ambiguo adherere, atq; innumeros mediatores querere instituamus? Quisquis ergo de fidei præcepto queri audeat, quasi illud graue sit & intolerabile, huic etiam molestum erit, si quis eum Labyrinthos & incertas viarum ambas relinquere, regio autem itinere & plano ad locum propositum tendere iubeat.

Præceptum fidei.

Secundo præcepto ea, quæ ad Dei cultum & religionem faciunt, comprehendemus, in quibus eadem est, quæ in priori, simplicitas. Deus enim cum spiritus sit, spiritu coli vult. Ioannis 4. Quare non cultus exigit vel sumptuosos vel laboriosos valde. Auro siquidem nostro & argento non indiget, ut nec reliquis, quæ per nostri corporis ministerium fieri possunt. Animum requirit, qui ab ipso alienus esse non potest, si fidei præceptum non fuerimus aspernati. Quia tamen nostræ carnis infirmitas externis signis & Ceremonijs adiuuari potest, propter nos pauca, quæ sufficere poterant, tradidit. Nam cœtus instituit sacros, in quibus verbum ipsius audiamus, preces fundamus ad patrem, & vnanimi consensu quasi iunctis viribus in Deum impressionem faciamus, qui ita se à nobis peti & infestari gaudet: adhæc sacramenta vsurpemus, quæ ut nostræ salutis testes & symbola essent, Christus tradidit, baptismum videlicet & Cœnam dominicam. At quid in omnibus illis est, quod graue videri possit? An molestum erit, Dei vocem audire, ijs qui ex Deo nati sunt? Ioan. 8. Num precandi officium graue esse potest, cum tot nos vndique circumstant pericula, quæ si nemo iuberet, nos ad preces & numinis inuocationem cogunt? Quanta verò in sacramentis simplicitas, & quàm læta proponuntur sub tam facili simplicitate salutis mysteria? Baptismus aquam habet, quæ paruo paratur, simul tamen ex Dei institutione communionis Christianæ symbolum est, de salute per Christum parta testatur, regenerationis & inuolutionis (quam in eodem habemus) beneficium obsignat, & nostri nos admonet officij. Cœna domini cum maxima frugalitate inæstimabiles salutis thesauros comprehendit, de quibus omnibus alibi locus erit copiosius dicendi. Hic fateamur oportet, Christianam religionem, si Dei præceptis insistere velimus, nec sumptuum difficultate, nec Ceremoniarum molestia intolerabilem videri posse.

Præcepta externi cultus.

Tertius præceptorum Dei ordo externam vitæ conuersationem continet, quæ duabus rebus absoluitur, charitate nimirum & puritate vel innocentia. Qui enim hisce studuerit, vitam viuet Dei iudicio sanctam & irreprehensibilem. Atqui vulgo videmus nihil esse, quod temporariæ felicitati magis seruiat, quàm charitatis & innocentiae studium, adeò ut sine his vita hæc nec tranquilla nec felix esse queat. Charitate sublata succedunt odia, liuor, simultates, rixæ, conuitia, pugnæ, vulnera, cædes, & infinita alia, quæ singula vitæ nostræ conuersationem quouis felle amario rem reddunt. At quàm magni labores & quanta pericula eos maneant, qui puritatis & innocentiae studio abiecto impuritatem & scelera quæuis pro animi sui libidine sectantur, clarius est, quàm vt longa demonstratione opus habeat. Quis enim negare aufit, hominis intemperantis & ebrij conditionem laboriosorem esse quàm temperantis & sobrij? Nōne castitatis & fidei coniugalis studium plus gaudij & voluptatis habet, quàm vaga scortandi & adulterandi libido, quæ & morbis grauat, & vitæ pericula non rarò nobis conciliat? Similiter, qui sua sorte contentus viuit, multis nominibus præstat auarum vsurarium & raptorem, qui alienis opibus inuidet, & suis frui non potest. Denique constat (siquidem verum fateri velimus) Dei præcepta leuia per se esse, & non nisi nostro vitio graua & intolerabilia censerentur. Rectè ergo Christus Iesus pronunciat: Iugum meum commodum est, & onus meum leue est. Matth. 11. Et regius ille Psaltes Dauid, legem domini fauis melle stillantibus dulciorem esse, fatetur, Psal. 19.

Præcepta vitæ et morum.

Accedunt tamen his, quæ vel grauissimum onus gestatu leue & commodum reddere poterant, præmia videlicet ingentia, quæ Christus suorum præceptorum studiosis pollicetur, & multa Dei patris lenitas. Vt enim æternæ vitæ brauius nos inuitat & trahit Deus, ut carnis affectus obedientiæ sanctæ zelo superemus: ita si quid infirmitate peccatur, non ita rigidè obseruat, ut pro-

Premia obedientiæ & Dei facilitas.

pterea è conspectu suo in æternum repulso velit. Imò, vt apud prophetam legimus: *Viuo ego (inquit) & nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ezechiel. 18. Adhæc ipse gratia sua adest nobis, & spiritu suo suffulcit, vt possimus præstare, quæ carni nostræ nimis ardua videntur: vt nihil aliud à nobis postulare videri possit, quàm vt sui spiritus organa, & gratiæ suæ vasa nos præbeamus.*

Ingratitudo nostri seculi.

Admonet nos locus hic, vt enormem nostri seculi ingratitude[m] consideremus, qua in Dei gratiam & præcepta impiè & turpiter peccamus. Cum enim æternæ vitæ præcepta Deus simplici methodo & dilucidè comprehensa proponat, eaq; per se leuia sint, & spiritus sancti auxilio leuiora reddantur, malunt tamen pleriq; hominum sub dura Antichristi tyrannide intolerabilibus humanarum traditionum sarcinis grauari, quàm leue hoc & suaue Christi iugum, tantis propositis præmijs, sustinere. Confer enim cum his, quæ hucusq; dicta sunt, ea quæ toto Papatu traduntur, & faciliè intelliges, quàm grauis sit in omnibus istis animarum sarcina. Doctrina illorum nec simplex, nec perspicua, nec etiam certa & perfecta est. Nam scripturis minimè cõtenti patrum traditiones & Conciliorum decreta vnà cum nouis Canonibus inuexerunt, & eam vel Pontificum vel Conciliorum auctoritatem esse arroganter iactitant, vt noua & hæctenus inaudita non minus constituere possint, quàm olim ipsorum maiores fecisse constat. Quis ergo ijs præceptis securus ac quiescet, de quorum certitudine & perfectione dubius esse cogitur? Quòd si autem ipsa præcepta consideres, maiorem incertitudinem deprehendes, & onus senties longè grauius. Fides, quæ vni Deo debebatur, in multos Deos vel Diuos distrahitur, imò proprijs operibus & meritis homines confidere docentur. Sed quid Confidere dico? Homines de salute & gratia Dei perpetuò dubitare docent, qui huius doctrinæ præstantissimi antistites sunt. Mediator vnus Christus Iesus, ijsdem non sufficit, sed tot mediatores finguntur, quot Diui diuèq; in cœlis sunt: & frequenter fit, vt dubij hæreant homines, quem nam ex tanta turba diligere debeant. In religione sumptuosa & laboriosa sunt omnia. Premuntur hominum traditionibus conscientię. Peccata dicuntur esse, quæ Deus licita esse voluit, & pecunia accepta in ijsdem dispensatio aliqua admittitur. Sacramentorum numerus auctus est, & eadem nõ sine maximis impensis administrari possunt. Baptismus iam nõ modò Christianæ fidei cultoribus & illorum liberis datur, sed idem in res inanimas transfertur, & campanas baptismo initiari maxima habetur religio. E Cœna domini alteram speciem impio ausu abstulerunt & totam in sacrificium conuerterunt. Sumptus in ea vestium ingens, calicum item & aliorum, quæ nouus ille Deus Maozim desiderat. Pœnitentię doctrina multis additionibus plane intolerabilis facta est, & obrutum prorsus Christi meritum, quod solum hanc nobis leuem & iucundã reddere poterat. Excogitatæ satisfactiones, quæ quàm indignę sint hoc nomine, vel hinc patet, quòd nec eius conscientię satisfacere possunt, qui illis operam suam sedulo impendit. Nil nunc dicam de templorum ornatu, monasteriorum regijs ædificijs, monachorum & sacerdotum turba, passagijs, sacrorum nundinatione, indulgentiarum mercibus, casibus referuatis, & in finitis alijs, quorum tyrannis eousq; progressa est, vt maxima opum huius mundi pars, legitimus hæredibus fraudatis, in eorum manus peruenerit, qui spirituales & clerici dici volunt. Atqui in omnibus illis nulla diuini auxilij promissio, nulla gratiæ Dei spes, sed certa Dei ira & vindicta præfens, quæ omnes eos manet, qui Christi verbo contempto, hominum commentis sese regendos præbent. Imò nec ipsi quidem post hanc vitam præmium certum pollicentur, sed de purgatorij igne nouas fabulas excogitarunt, quæ iam morituris nouos terrores incuterent, & pecunias adhuc plures extorquerent. Et quemadmodum veri Christi cultores tam viui quàm mortui sub domini præsidio conseruantur (Roman. 14.) ita quicumque istis sese manciparunt, & viui & mortui ipso tyrannidi & rapacitati subiacent. Et tamen talibus delectatur mundus hic, tales veneratur & suspicit, pro talibus pugnat, & in fratrum viscera intestinis bellis grassatur? O cæcas hominũ mentes, o peccata cæca. O impietatem & ingratitude[m] quouis supplicio dignam. Sed hoc ipsum est, quod Christus prædixit: Ego veni nomine patris mei, nec recipitis me: si alius venerit nomine suo, illum recipietis. Ioan. 5. Cæterum omisis his ad propositi loci tractationem reuertamur.

Quibus Dei præcepta nõ sunt graua.

I I. *Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Indicat quibus hominibus Dei præcepta graua nõ sint: ijs nimirũ, qui ex Deo nati sunt. Additur autè & ratio, qua probet quod dicit, Quia tales mundum vincunt. Argumentatio talis est. Quicumq; mundũ vincere norunt, ijs Dei præcepta graua nõ sunt. Quicumq; ex Deo nati sunt, mundũ vincunt. Ergo qui ex Deo nati sunt, ijs Dei præcepta graua non sunt. Maior per se plana est & perspicua. Quia enim in præceptorum Dei obseruatione mundus hic nobis maximè obstaculo est, quicumq; illũ vicerit, idem maximam illorũ difficultatem superauisse dicitur. Mundum verò hic vocat Ioan. quicquid mundi princeps nobis obijcit, vt per illud in salutis via impediamur: qualia sunt, exemplum mundi, opes, honores, voluptates,

voluptates, carnis studium, affectus, desiderium oculorum, & quæcunq; alia sunt huius generis. Ex Deo nati dicuntur, qui (vt initio huius cap. didicimus) per fidem Iesu Christi filij Dei facti sunt. Constat ergo eos nondum fide renatos nec filios Dei esse, quicumque de præceptorum Dei grauitate conqueruntur.

Præterea obseruatione dignissimum est, quòd qui per fidem filij Dei facti sunt, mundum vincere solent. Hinc enim colligi potest, pro filijs Dei & verè fidelibus haberi non posse eos, qui mundi desiderijs & studijs subiacent. Siquidem ideo nos regenerari scriptura docet, vt non modo & peccatis mortui in posterum viuamus Deo. Col. 3. Rom. 6. Quòd omnia præcepta & omnes adhortationes referri debent, quibus vitæ puritas & sanctimonix studium nobis passim commendatur. Cæterum, quia non omnibus constat, quomodo qui ex Deo nati sunt, mundum deuincant, ad huius explicationem Apostolus, quæ sequuntur, subiicit.

III. *Et hæc est uictoria, quæ uicit mundum, fides nostra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei?* Paucis uerbis rem maximam complectitur, & quæstionem carni difficillimam absoluit. In hoc enim maximè exercentur cogitationes hominum, quibus armis, qua arte, quo modo & quibus consilijs improbos mundi conatus & principis ipsius arma artes que vel eludere vel superare possint. Et multos eò ad egit consiliorum inopia & rei difficultas, vt temere susceptis ieiunijs, cilicijs, chameunijs, flagellis item & infinitis alijs id confici posse putarèt, quæ res superstitiones peperit propemodum infinitas. At Ioanes omnem huius pugnx uictoriam fidei in Iesum Christum tribuit, & fidem in hac nobis vice clypei, galeæ, hastæ, ensis, relique fore dicit, denique sola hac omne istud negotium confici. Nec id temere. Nam fides, vt Christo, qui inuicta petra est, nos superædificat: ita Christi spiritus confortes & participes reddit, qui ad omne opus laudatum facit paratos & verè idoneos. Vnde Paulus qui alibi de peccati uicinis suis inhaerente, quæritur, rursus se omnia posse dicit in Christo, qui ipsum confortet. Phil. 4. Et exempla passim extant, quibus quanta hæc fidei vis sit, demonstratur. Poterit autem huius loci Commentarius absolutissimus censeris epistolæ ad Hebræos cap. 11. Ibi enim producentur, qui fide animati, rebus secundis bene uti, & quæcunq; sunt huius mundi bona ex Dei mandato relinquere potuerunt. Nec enim graue est Abrahamo patrios lares & natale solum deserere, quem ita confortauit fides, vt & filium dilectum, sic postulante Deo, propria manu immolare paratus sit. Expende quales in eo facti paterni animi æstus fuerint, quibus arietibus mentem suam peti senserit, quam multa quamq; graua obijcere potuerit caro, quæ à cœpto & debito obedientiæ officio illum reuocarèt. At omnia hæc uicit vna fides, quæ nouerat Deum promissionibus suis nunquam defuturum, & immolatum quoque Isaacum à mortuis resuscitare posse. Eadem fide antea quoque idem Abraham diutinum illud dilati feminis tædium superare potuit, cum inde sinenter in Dei veritatem & potentiam respiceret. Rom. 4. Per fidem Moses delicias aulae & regni honores aspernari potuit. Per fidem omnes sancti tyrannorum minas, edicta, tormenta, egestatem, exilium, infamiam & infinita mortis genera superare, imò spernere potuerunt. Nec est, quòd olim quidem hanc fidei uirtutem fuisse putemus, quæ iam tota euauerit. Viget hodie adhuc eadem fidei vis, & passim in ijs cernitur, quibus nec exulare, nec pauperiem & ignominiam perpeti, nec etiam mori pro Christo graue est. Quomodo enim exilium metuat, qui mansionem & ciuitatem permanentem sibi in cælis paratam esse, firmiter credit? Ioan. 14. Phil. 3. Cur egestate & inopia terreatur, qui immarcescibiles regni cælorum thesauros sibi repositos esse intelligit? Denique, nec mors illis terribilis esse potest, qui illam non aliud esse certò norunt, quam vitæ æternæ & nunquam intermorituræ felicitatis inuam. Ioan. 5. Quisquis ergo hæc ita metuit, vt illorum terrore sese superari & à ueritatis confessione abduci sinat, idem fateatur, se quid fides sit, profus ignorare.

Porro demolitur locus hic & euertit omnem nostrarum uirium & operum fiduciam. Cõstat enim, salutis nostræ rationem omnem ex uictoria hac, quâ in præsentis proponit Apostolus, pendere. Nã quæ hic vincitur, salutis iacturâ faciat oportet. At uictoriâ refert ex pugna hac sola fides, vt modò demonstrauimus. Soli ergo fidei salutis nostræ gloria debetur. Quòd si uerò fidei ingenium & naturam inquiras, hominis uires & merita procul excludi uidebis. Primò etenim fides non ex nobis, sed donum Dei est. Ephes. 2. Deinde, non nostris uel uiribus, uel meritis, sed vno Christo & illius merito nititur. Stultum ergo & perniciosum est, quicquã in salutis negotio, uel nostræ uoluntati, uel uiribus & factis tribuere. Et sanè summæ consolationis plenum est, quòd nõ nostris uiribus, sed ipsius Christi & spiritus sancti operatione, pugnam hanc omnem deuincendam esse nouimus. Quæ enim uictoriæ spes esse poterat, si nostrarum uirium robor requireretur, quod planè nullum esse quotidiani lapsus probant? Fidant huic, qui succumbere, quàm vincere malunt.

Debent hæc totis animis recondi fratres dilecti. Agnoscamus præceptorum Dei facilitatem

Vt fideles mundum uincant?

Vana est nostrarum uirium & operum fiducia.

C A P V T V.

& commoditatem verè salutarem. Intelligamus, ijs qui ex Deo nati sunt, contra mundum, mundi principem & illecebras perpetuò pugnandum esse. Nec desperemus de victoria, quæ solius dei est, quoniam qui natura infirmi & impotentes sumus, inuicti reddimur in eo, qui serpentis caput iam olim contriuit & omnem potestatem aduersariam subegit, Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A X X X I.

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus. Non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est, qui testificatur: quia spiritus est ueritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, & Aqua, & Sanguis: & hi tres in unum conueniunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo.

VT Deus humani generis salutem unice studet: ita satan eiusdem communis & publicus hostis, nostræ perditioni nunquã non inuigilat, & tanquã leo rugiens obambulare solet, querens quem deuoret. 1. Pet. 5. Hinc fit, ut uita hæc nostra perpetuæ militiæ instar sit, dũ modò uoluptatum illecebris, modò propriæ carnis cupiditatibus, & frequenter impiorum ac hostium Dei tyrannide nos diabolus oppugnans, à ueritatis ac salutis uia abstrahere satagit. Cæterum in pugna hac uincit una & sola fides, quæ Christo nos superedificans, & Spiritus Christi confortes reddens, facit ut in illo possimus omnia: quod in præcedenti Sermone pluribus demonstratum est. Porro quia fidei huius fundamentum unicum est, Iesus Christus, nec aliud fundamentum à quoquam poni potest, necessarium fuerit, ut eius cognitionem ueram, certam atque solidam assequamur. Quis enim ignoto fidere poterit? Vel quis mundi huius tyrannidem & atroces diaboli assultus sustinebit, & per illius nomen uincet, de cuius potentia, gloria & fide ipse dubitat? Opportunè ergo Ioannes, ubi fide uincendum esse docuit, in præsentis de fidei nostræ obiecto & fundamento, Christo Iesu, agit, certis ac firmis argumentis probans, hunc esse uerum Dei filium, qui à patre in carnem missus sit, ut humani generis redemptor ac saluator fieret. Quæ omnia in eum tendunt, ut firma & infracta fide per omnes tribulationes & satanæ insultus ipsi nitamur. Multum uerò lucis loco huic afferet, si orationis figuram obseruemus, quæ profopopœia constat pulcherrima. Nam perinde ac si causa Christi in iudicio uel foro ageretur, illam in medium productis testibus probat. Deinde de testium illorum autoritate agit, ne quis tantæ rei testimonia contemnere auderet.

Argumentum præsentis loci.

Christus est filius Dei.

I. Hic est, qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus. Non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est qui testificatur: quia spiritus est ueritas. Dixerat, per eos mundum uinci, qui credunt quòd Iesus Christus sit filius Dei. At quia de hoc dubitatur à multis, talem esse probat. Venisse autem dicit per aquam & sanguinem, id est, aqua & sanguine testificatum & demonstratum esse, quòd is sit, quem olim Deus saluatorem fore promiserat, & quem uenturum prædixerant prophætæ. Primò igitur testes Christi sistit, aquam & sanguinem: quibus tertio loco coniungit ipsum Veritatis æternæ spiritum. Sed operæpretium est, ut de singulis ordine dicamus.

Diuinitatis Christi testes.

1. Aqua.

Primus testis Aqua est. Commodissimè autem per aquam Christi baptismum, & quæcumque in illo acciderunt, intelligimus. Nec temere hunc primo loco Ioannes producit. Quamuis enim multæ in Euangelio actiones sint, quæ Iesum Dei filium, & Christum, id est, mundi promissum saluatorem esse testantur, inter eas tamen baptismus illius facillè primatũ obtinet: quia ut per hunc publicè quasi inauguratus est, ita multa simul concurrunt, quæ singula illi testimoniũ ferunt. Primò enim Baptistam audimus, eum (inquam) qui in spiritu Eliæ ante faciem domini præcessit, & quo nemo sanctior ex mulieribus natus est, qui digito in Iesum extenso ait: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioan. 1. Sequitur mox in ipsa baptismi actione, cælorum apertio: quæ euidenter testabatur, Iesum hunc esse, cuius merito cælorũ ianuæ, quæ hucusque per peccatum humano generi occlusæ fuerant, recludi & referari deberent. Accedit his spiritus sancti suffragiũ, qui ui-

qui visibili forma super Christi caput delapsus, eum esse docebat, cui olim dictum erat: Vnixit te, Deus oleo lætitiæ præ omnibus confortibus tuis. Psal. 45. Et quasi parua esset omnium horum auctoritas, Deus pater proprio ore de filij sui officio testari voluit. Nam cœlitus intonat vocem hæc spei, gaudij & consolationis plenissimam: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Hæc itaque omnia cum Christi baptismo contineantur, Apostolus huius testimonio illius causam munire voluit, quod nemo aspernari poterit, nisi qui & spiritus sancti & Dei patris suffragia contemnere audeat.

Secundum testem Sanguinem facit Apostolus. Comprehendit hic passionis & mortis Christi historiam, in qua sanguinem suum pro mundi peccatis fudit. Nam ut sanguinis effusione salutem nobis peperit: ita in hac ipsa multæ res acciderunt, quæ illum nostrum saluatorem esse testantur. Huc pertinet quod iam morti vicinus latroni se inuocanti vitam & paradysum pollicetur. Maxime tamen eò referri debent præclara illa & stupenda prodigia, quæ in præstantissimis mundi partibus visa sunt. Totus siquidem terrarum orbis ingenti terræmotu concussus est. Sol, non obseruato naturæ ordine, faciem suam obscura caligine texit, quasi sui conditoris indignæ passioni condolens. Rigidæ & duræ petræ scissæ sunt, & templi velum ex summa parte in imam usque disruptum legimus. Sed & sepulchris apertis quidam resuscitati sunt, clarissimū testimonium ferentes, Iesum Christum esse vitæ & salutis amissæ reparatorem vnicum. Et hæc quidem omnia tam potenter & perspicuè facta sunt, ut & vulgi mētes in melius mouerētur, & Centurioni quantumuis duro, & barbaris militibus voces istæ extorquerētur: Verè hic homo filius Dei erat. Matthæi 27. Marc. 15.

Atqui non oscitanter prætereundum est hoc loco, quod duos hosce testes repetere & repetitione in vnum coniungere Ioannes videtur, dum ait: Non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Sic enim ad memorabilem illam historiam alludit, cuius ipse testis oculatus fuit, quam quædam singulari diligentia abs se descriptam nobis reliquit. Ioan. 19. Nam cum Christi mortui latens sanguis in cœca confossum esset, ex eo aqua & sanguinem simul effluxisse testatur. Voluit ea re docere dominus, quis mortis ipsius fructus esset. Aqua sordes eluuntur, & recreantur æstuantis hominum animi. Sanguis olim expiationum typus erat, eò quod sine sanguine peccatorum remissio fieri non possit. Heb. 9. Idem animæ vel vitæ sedes esse dicitur, Gene. 9. At omnia hæc Christus complectitur in cuius latere fons ille saluberrimus apertus est, è quo & purificationem veram & expiationem peccatorum cum salute æterna haurire licet. Facit huc Zachariæ oraculum, qui cum de Christi morte & electorum ex Iudæis conuersione vaticinatus esset, mox subdit. In die illo aperietur fons domui Davidis & incolis Ierosolymæ ad peccatum & menstruam immunditiam, id est, ad ablutionem peccati omnis, tam actualis quam innatæ corruptionis, quæ Originale peccatum dicitur. Zach. 13. Christi enim sanguis nos emundat ab omni peccato. I. Ioan. 1. In Christo item vitæ promissio proponitur, quam ipse toties iterat, dum quasi ad fastidium usque illud suum indefinenter inculcat: Qui credit in me, habet vitam æternam. In eodem solo fons est eius aquæ, quæ & æstuantis conscientias recreat, & semel hausta sitim propulsat in æternum. De hac ipse loquitur: Si quis biberit ex aqua, quam ipse haurit, sitiet iterum: qui verò biberit ex aqua quam ego do, non sitiet in æternum. Ioan. 4. Et rursus: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ de eius ventre fluent. Ioan. 7.

Restat tertius & vltimus Christi Iesu testis spiritus. Commendatur huius testimonium à veritate, quæ in teste cum primis requiritur. Nec enim alia de causa illum de Christo testari dicit, quam quod veritas sit. Et ipse Christus in euangelio veritatis spiritum nominare cōsuevit. Ioan. 14. Potest autem testimonium hoc bifariam accipi. Vel enim intelligemus solennem illam spiritus sancti missionem super Apostolos, quæ Acto. 2. describitur: Vel testimonium spiritus Christi, quod singuli fideles in animis suis sentiunt. Vtrumque certè non obscuris indicijs, Iesum Christum Dei filium & mundi redemptorem esse, probat. Nam in missione cœlitus exauditus fragor, nihil nisi cœleste & diuinum in hoc negotio agi significabat. Et admirabile illud linguarum donum, quo Apostoli repente instructi prodierunt, argumento erat, eius discipulos hucusque ipsos fuisse, ad quem totius orbis imperium & omnium gentium iurisdicção pertineret. Accessit his non contemnenda spiritus operatio, qua effectum est, ut Apostoli non modò intrepidè & prudenter Christi causam agebant, verumetiam ingentem hominum multitudinem Christo lucrificiebāt. Quæ omnia, si cum Apostolorum persona conferas, qui literis nullis antea ornati, nulla dicendi facultate præditi erant, adhæc vitæ genus contemptum & humile sectabantur, & toti metu frigiditate latebant, facillè agnosces illos maiorem numinis vim sensisse, quæ res tam arduas aggredi, & tam feliciter in illis versari fecit. Possunt huc referri, quæcunque per Apostolos signa & miracula edi-

ta sunt, quibus singulis spiritus hic Christo testimoniū ferebat. Sed quia parū cōsolationis afferre posset, si in solis Apostolis spiritum Christi testē monstrare liceret, tam nostrā saluti quā causā Christi consultissimum fuit, vt tātus testis omniū fidelium animis infereretur. Quare vt Christus carnem & sanguinem ex nobis assumptū in cœlos subuexit, vt illic pignoris loco essent, quod edocti, sciremus quid de nostra carne olim sperari deberet: ita vicissim de tuo spiritu nobis largiri voluit, qui animis nostris immissus, salutis nostrę arrhabo esset, nos de gratia patris & regni cœlorum hæreditate assequendā certiores redderet, & in quo ad Deum clamaremus, Abba pater, 2. Cor. 1. & 5. Ephe. 1. Rom. 8. &c. Est hæc magna fidei nostrę certitudo, quod non in ijs modō quæ extra nos sunt, sed in animis nostris eius veritatem deprehendere possumus. Quæ causa fuit, quæ sanctissimi Christi cultores olim nullis tormentis & cruciatibus à veræ fidei confessione abduci potuerunt. Magna quippe & insuperabilis animorum atque conscientiarum vis est, si certam causā, quam tuentur, cognitionem semel assecutæ fuerint, nec se à concepta sententia dimoueri patiuntur, nisi aliud quiddam adhibeatur, quod ipsos animos aliter sentire doceat & persuadeat. At nulla est tanta vspiam hominum sapientia, vel autoritas, nullæ tantæ hominum vires, nulli tantæ cruciatus, qui spiritum vincere & expugnare possint, nisi forte hominū potentiam Dei voluntate & omnipotentia superiorem dicere velimus. Quapropter & Paulus ex spiritu sancti testimonio probat, nihil esse in vniuersa rerum natura, quod fideles à Dei dilectione possit abstrahere. Roman. 8.

quibus testibus
Christi & fidei
causa defendenda?

Porro priusquam ex hoc loco discedamus, Ioannis exemplum nobis probè considerandum est, quo docemur, quibus testibus & testimonijs Christi causa & fidei doctrina defendi debeat. Solet hic plurimum peccari nostro seculo, dum in tantis controuersijs plerique ad hominum vel multitudinem vel auctoritatem respiciunt. Atqui poterat Ioannes vtramque hoc loco producere in medium. Eiusdem enim cum illo sententiæ erant reliqui Apostoli omnes, quorum maior pars, imò forsitan omnes, cum hæc scriberentur, non verbis modō, verumetiam proprio sanguine Christo & doctrinæ ipsius testimonium tulerant. Erant præterea innumeræ per totū orbem terrarum ecclesiæ, quæ vnanimi consensu hanc de Christo Iesu doctrinam amplexabantur. Sed nulla hominum auctoritate nos Ioannes grauari voluit, vt nobis doctrinam hanc & fidem ideo recipiendam esse contendat, quia à multis alijs iam ante recepta sit. Quia enim diuinum & celeste est negotium illud omne, diuinis & cœlestibus testimonijs confirmari debet, nisi forte Dei veritatem & gloriam ex hominum auctoritate pendere dicamus. Quod si obseruarent, qui hodie vel principum maiestati, vel scholarum eruditioni, vel Conciliorum auctoritati tantum tribuunt, vt cōtrouersias fidei & religionis eiusmodi hominū suffragijs determinari oportere existiment, viderent vtique se toto cœlo errare. Extant passim in scripturis, quæ de fidei doctrina & veritate nos erudire possunt. Illic habetur causæ huius testes veri & fideles. Ibidem iudices sunt, quos nec dona flectunt, nec verborum Labyrinthi irretiunt, nec personarum respectus mouet. Hoc qui audire dedignantur, digni sunt, qui hominum mendacissimorum auctoritate inextricabilibus tenebris immerfi æternum pereant. Sed pergamus ad reliqua.

Locum non ad alterum.

I I. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus & Aqua & Sanguis: & hi tres in unum conueniunt. Subiungit his plenior testimoniorum, quæ præmisit, explicationem, quæ comparatione constat. Quamuis sint, qui prius membrum de tribus testibus in cœlo, adulterinum esse, & à sciolo in marginem ascriptum, tandem in orationis contextum inrepsisse putent. Mouentur hi quorūdam patrum auctoritate, & Cyrilli imprimis, qui cum locum hunc ceter, membrum tamen illud omisit. Sed nos Hieronymum sequi malimus, cum sæpe accidat, vt in scripturis citatis multa intermedia omittantur, tam à priscis quā recentioribus scriptoribus, maximè si quæ ad suum institutum non omnino necessaria existiment. Præterea non video, qua ratione membrū hoc nobis suspectum esse debeat. Nam quod multi tractationem de trinitate hoc loco superuacaneā esse putant, nimis friuolum est, cū illam hic minimè instituat Ioannes, eius tamen mentio causæ præfenti maximè conueniat. Sic enim mihi dicere videtur Apostolus: Sicut fides nostrā mysterio tres personas agnoscit: ita tres etiam habemus Iesu Christi testes, plenos auctoritatis, & omnino irrefragabiles, qui oculis nostris passim occurrunt, siue in cœlum, siue in terram respicias. In cœlis enim sacrosancta & adoranda trinitas sese offert, cuius personæ singulæ de hoc testantur. Et in terris non spernendæ auctoritatis sunt, quos modō produximus, Spiritus nimirū, Aqua & Sanguis. Quod si trinitatis testimonia audire libeat, passim illa in scripturis habentur. Pater certè semel atque iterum cœlitus pronunciat, Iesum hūc esse suum dilectum filium, cuius intercessione nobis recōciliatus sit. Et cū Iesus se à patre glorificari peteret, patris vox cœlitus exaudita

audita est. Et illustraui, & rursus illustrabo. Ioan. 12. De filij testimonijs non opus est dicere, cum omnes euangelistæ in ijs recensendis laborent. Vnum hoc admonendum, quòd non eo nomine illa nobis suspecta esse debent, quòd de seipso & propria causa testari videtur. Nec enim solus est, qui testatur, sed ipsius patris testimonio de se prodito consentit. Ioan. 8. Spiritus verò sancti testimonium & euidentis est & multiplex. Nam & olim per prophetas de Christo & venturis in illum afflictionibus testari solebat, & virtutem suam per Apostolos variè exeruit. Vide 1. Pet. 1. & 2. Pet. 1. Vt autem tres personæ, Pater, filius, & spiritus sanctus, vna sunt essentia: sic testimonia, quæ de Christo habentur, in unum omnia conueniunt, illumq; Dei filium ac humani generis redemptorem esse declarant.

Est verò locus hic singulari obseruatione dignus. Admonet enim quàm graue & atrox flagitium sit, si quis Christo contradicere, & doctrinam eius per Apostolos nobis traditam, negare auctoretur. Nam cum huic testimonium ferat sacrosancta Trinitas, fieri non potest, quin illam mendacij accuset, quicumque doctrinam de fide in Christum negare instituit. At qui hominum auctoritas tantum fieri consuevit, ut iuratis testibus falsi crimen impingere, capitale habeatur. Quo ergo supplicio nõ dignus censebitur, aut quam veniam mereri poterit, cuius impudens os in ipsam deitatem tale quid pronuciare præsumit? Hoc si nostro seculo expenderent, qui de fide & religione disputationes instituunt, multò religiosiores videremus in sententijs suis dicendis. Sed præstat, ut Ioannem audiamus, qui quæ hucusq; dicta sunt, ad hunc modum concludit.

I I I . Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo. Videtur ad legem alludere Ioannes, quæ duorum aut trium testimonio fidem habere, & secundum illum iudicare docet. Deut. 17. Habent verò non obscuram comparisonem verba hæc. Si enim hominibus credendum est in ijs rebus, quæ causas humanas & ciuiles concernunt, quantò magis Deo credere debemus, cuius auctoritas maior est, quàm vt cum hominibus aliquo modo conferri debeat? Homines quippe natura mendaces sunt, & multis causis moueri solent, vt falsum potius quàm verum loquantur. Ad hæc, vt maximè verum dicere velint, falli tamen possunt, & proinde alios quoq; fallere solent. Solus Deus nec ipse fallitur, cum cordium & renum scrutator sit, nec quenquam fallere vel vult vel potest, quia æterna est veritas. Non temere ergo fit, quòd Dei testimoniũ humano maius esse dicit Apostolus. Est enim maius, primò propter auctoritatem & certitudinem. Nam Dei verbum manet in æternũ, & facilius est terram & cælum transire, quàm vt verbo Dei sua desit fides & veritas. Isã. 40. Matth. 5. & 24. Deinde maius est, quia non de ignotis testatur Deus, sed quæ ipsi intus & in corde (si sic loqui licet) notissima sunt: de filio nimirum, qui ab æterno in sinu ipsius est. Præterea, non Dei, sed nostra causa hic agitur. Quid enim ex vniuerso nostræ redemptionis negotio Deus habet, quod ante nõ habuerit? Ab æterno iustus, bonus, sapiens, verax, omnipotens & gloriosus est. Nobis dedit filium. Propter nos ille incarnatus est. Propter nos tot passim extant de illo in scripturis testimonia, vt nimirum in ipsum credentes vitam æternam consequamur. Nulla igitur causa est, propter quam, quæ de Christo dicuntur, nobis suspecta esse debeant, quòd minus illis fidem adhibeamus.

Docent hæc, quanta sit nostræ fidei in Iesum Christũ dignitas. Nam vt de Christo, qui eius fundamentum est vnicum, nihil dicamus, quis nõ singularem eius maiestatem videt, quæ tot tâq; præclaris testimonijs muniri meretur? Quasi enim parum fecisset dominus, qui per prophetas & apostolos illam nobis commendauit, ipsius sacrosanctæ Trinitatis publico testimonio eandem dignatus est. Debet id nos nostri officij admonere, quod partim in vitæ sanctimonia versatur, ne impuritate & peccandi licentia nos tanta gloria indignos reddamus: partim verò constantiam & perseuerantiam requirit, ne dum dolores sufferre, & paupertatem Christi nomine perpeti detrectamus, à tanta gratia excidamus infelicissimi. Fidei ergo iungere libeat, sanctimoniam & innocentiam studiũ, atq; fortibus animis patientia munitis per omne tentationis genus indiuulsi adhæreamus capiti nostro Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternũ. Amē.

H O M I L I A X X X I I .

Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso. Qui nõ credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit in testimoniũ, quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimoniũ, quòd uitã æternã dedit nobis deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam. Qui nõ habet filium Dei, uitam non habet.

Quam peccens qui Christo contradicunt.

Testimonijs diuini veritas irrefragabilis.

Fidei Christianæ dignitas.

VAs illud electionis, Paulus Apostolus, in priori ad Corinth. cap. 3. ait: Fundamentum aliud nemo ponere potest, quàm quod positum est, quod est Iesus Christus. Docet ijs verbis spiritus sanctus, salutis nostrę rationem vniuersam ex vnius & solius Christi merito depēdere, ad eò vt iuxta Petri sententiam, in alio nullo salus sit. Actorũ 4. Quare nihil homini tam salutare ac necessarium est, quàm vera & solida Christi cognitio, atque indubitata in eundem fides. Quia causa Ioānes motus, fidem hanc tanto studio & diligentia tradit, nec modò quid credere nos oporteat docet, verum etiam fortissimis argumentis ad credendum impellit & vrget. Vidimus id precedentibus, vbi vniuersum Iesu Christi negotium, quo salus nobis parta est, testimonijs locupletissimis confirmat, de quibus quātum dominus dederat, tum dictum est. Cohæret autem illis presens hic locus, qui fidem in Christum tribus rationibus grauisimis sic commendat, vt eam amplecti non lentibus nullus excusationis locus supersit. Diligenter ergo in earum consyderatione versemur oportet, si quo modo dignus tantę rei amor, & zelus salutis iustus in nobis accendatur.

*Argumentũ præ-
sentis loci.*

1. Fides in Christum certa est.

I. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso.* Argumentum est ab autoritate, quo fidem hanc certam & indubiè veram esse probat. Ponit autem hoc primo loco, quia naturaliter sic affecti sunt homines, quod credendo falli nolunt. Vnde & nimia credulitas vitio vertitur, & animi leuis parumq; constantis signum habetur. Sed & multos hodie est inuenire, qui se fidem in Christum libenter amplexuros pollicentur, modò de eius veritate certi esse possint. Quare Apostolus, nihil hic periculi subesse docet, nec timendum vt fallaris, si in filium Dei credere voles. Nam, qui credit (inquit) in filium Dei, habet testimonium in semetipso. Loquitur autem de testimonio spiritus sancti, quem Christum suis pollicitum esse & dedisse, vt arrhabo salutis sit, sepe iam diximus: nec tamen quidquam ob stare debet, quin sæpius idem reperatur. Est enim memorabilis omnino & plena consolationis permutatio, qua Christus hic vti voluit: qui vt ex nobis asumpsit carnem & sanguinem, eaque in cœlos euecta ad dextram patris collocauit, vt certo nobis constaret, nostra quoque corpora cœlestis glorię, iuxta promissionem ipsius, aliquando consortia fore: ita vicissim suum spiritum animis fidelium inserit, quò edocti se ex numero saluadorum esse certò intelligant, nec dubitent Deum patris nomine appellare, quem (nisi hoc spiritu animaretur) caro nostra non posset non timere. Atqui miros in fidelis animo effectus hoc spiritus testimonium operari consuevit. Huius enim opus est constans Dei fiducia, quę nec secundis rebus loco moueri, nec aduersis frangi potest. Cur enim propter mundi huius fauorem & amicitias à Christo recederet, qui spiritu Christi testante nouit, Deum sibi patris loco esse, sic vt mundi amicitia & patrocinio minimè opus habeat? Cur opum studio Christũ negligeret, qui in hoc immortalis cœlestis regni thesauros sibi repositos esse intelligit? Cur denique voluptatum illecebris animum suum à fide Christi abduci pateretur, qui synceras æternę vitę voluptates & omnis amaritudinis expertes delicias in Dei filio nobis partas esse firmiter credit? Similiter nec pauperiem pati recusabit, nec exilij molestias sustinere detrectabit, nec orbis & viduus fieri timebit, quis tantum suę fidei testimonium intra sese sentiet. Imò non vllos cruciatus graues esse putabit, cum illi vita Christus, & mors lucrum sit. Phil. 1. Nesciunt huius testimonij virtutem impij, & proinde Christianos pertinaces suę opinionis sectatores esse clamitant, & qui optimi ex illis sunt, aliquo misericordię affectu tanguntur, quòd nos incertę persuasionis causa tot periculis peti malisque nunquam finiendis vexari vident. Fidelis autem tanti testis autoritate confirmatus, salax prophani mundi iudicium facilè spernit.

*In fide querenda
hominum authoritas.*

Admonet autem locus hic de re omnium maxima, quam nostro seculo diligenter obseruasse multum prodest. Si enim fidelis suę fidei testimonium in semetipso habet, non vtique illud extra se ab alijs quærat oportet. Siquidem ea animi nostri natura est, vt in ijs, quę certò cognouit, facilè acquiescat, nec aliorum dicta moretur amplius. Vanissimi igitur hominum sunt, qui in fidei & religionis causa hominum autoritatem requirunt, nec ante fidem aliquam amplexandam & retinendam esse putant, quàm hominum testimonio approbata fuerit. Tales sunt, qui vel principum vel doctorum autoritate ducuntur, vel Concilij alicuius determinatione expectant, à qua toti pendent. Quorum fidem si definire velis, eam non Deo, sed hominibus niti dicendum erit. Imò quod turpe dictu est, æternam Dei veritatem hominum mendacissimorũ autoritati subijcere audent. Longè aliud ergo est verè fidelium ingenium, qui se Dei filio & æternę veritatis verbo credidisse norunt, & proinde angelum, si aliam doctrinam proponat, anathema pronũciare vident. Gal. 1. Et sanè admiranda est hominum nostri seculi cæcitas, qui tanti erroris turpitudinem non vident. Quis enim adeò demens est, vt in rebus prophanis, quę per nos fiunt & gubernantur, quod factum est, hominum autoritate infectũ fieri posse dicat? Num ergo in ijs, quę solius Dei sunt, tantum sibi permittent homines audacissimi, vt quę ipse de salutis nostrę ratione cõstituit, huma-

humana autoritate vel stabiliri vel eueri posse existiment? Deus est, qui salutis thesauros in filio suo conclusit, qui hunc vnum & solum mundi saluatorem esse voluit. Tu verò quis es, qui id verè factum esse, & verè doceri negas? Christus Iesus Dei filius ex Cruce dependens, & iam iam moriturus, clamat, hoc suæ mortis merito consummari quæcunque ad nos saluandos pertinent. Quæ igitur impudentia est, hoc factum esse negare? Spiritus sanctus in animis fidelium testatur, homines solius Christi merito saluari, & eos qui in hunc credunt, verè iustitiam consequi. Quid ergo opus est fidem hanc in dubium vocare, & humanæ autoritatis suffragium exigere? Quid enim hæc potest, quod spiritus testimoniū in fidelium mentibus nō possit plenius & perfectius?

Præterea discimus hic quæ causa sit, quòd quicunque extra Christum salutem quærunt, aliudq; constituunt fidei suæ fundamentum, quiescere non possint. Qui in filium Dei credit, testimonium habet in seipso. Quisquis ergo fide in filiū Dei destituitur, testimonio tali caret, & proinde quiescere non potest. Exemplis res declarari facile potest. Quisquis animo suo de re aliqua dubitat, suspitionibus non potest non agitari, nec profunt quātumuis multorum magnorumq; hominum testimonia. Quòd si pacatum velis reddere, animi dubiū eximas oportet. Eadem in salutis causa ratio est. Cupiūt hanc naturali quodam motu omnes homines, nec nisi hęc adepti quiescere possunt. At salutis certos nemo faciet, nisi Christi saluatoris spiritus. Qui cū solis credētibus detur, ijdem soli de salute sua certi sunt, reliqui verò perpetuis vruntur suspitionibus curis & solitudinibus. Huc referri debent Christi verba, qui in euangelio Samaritidi dicit: Quisquis biberit ex aqua elementalī, quam ipse haurit, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego do, non sitiet in æternum. Ioan. 4. Per aquam verò elementalem ea intelligit, quæ suis viribus faciūt homines, dum proprijs meritis salutem consequi student. Ea animum sitientem & esurentem satiare non possunt, quia nulla Dei promissione confirmantur, nec spiritum dant, qui salutis arrhabo est. Imò his ferè quod hydropicis euenire solet, qui aqua, quantumuis largissimè hausta, sitim adeo non restinguunt, vt inflamment potius. Ita hi quòd plura faciunt, eò magis perplexi hærent, & subinde vnum hoc deesse sentiunt, quo sitis animarum restinguitur. Nec longè rerum exempla petantur. Te ipsum appello, qui olim sub Papatus iugo in hoc totus fuisti, vt salutem & acquireres, & de ea certus efficereris. Fateberis oportet te ad eam metam peruenire nunquam potuisse, licet omnia faceres sedulo, quæcunq; illa religio dictabat. Promittebatur in Missæ sacrificio plena pro peccatis tuis satisfactio, & ea spe ad Missam accedebas. At idem mox relegaberis ad Confessionem auricularem, ad ieiunia, ad diuorū inuocationem, ad monastica vota, ad passagia, ad Romanas indulgentias, stationes item Romanas, & infinita alia, quæ quotidie noua fingebantur salutis nostræ adminicula. Quòd si mortis articulus imminerebat, & certa salutis fiducia quàm maximè opus erat, noui exoriebantur inferni terrores & purgatorij metus, quos (quasi nihil in viuis fecisset) nouis pecunijs & anniuersarijs nunquam finiendis redimere oportebat. Nunquam non ergo oculis tuis desperatio obuersabatur, quæ multos in extrema senectute sub vitæ suæ finem monchos fieri coegit, si quo modo horribiles animorū æstus effugere possent. Vera me dicere fatebuntur, quotquot nō leui animo in illa superstitione vixerunt. Quòd si nunc cū illis animi dubij terroribus eam fidem conferas, quæ Christo illucescente affulsit, quantum inter hanc & vanā illam salutis opinionem intersit, facilè senties. Nam præter Christi vocem in euangelio sonantem, spiritus testimonium audis, quod te de salute amplius dubitare non finit. Cum Paulo enim dicis: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & inter cedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei? &c. Rom. 8. Omisissis ergo superstitionis hominum traditionibus Christum audiamus, qui omnes laborantes & oneratos ad se inuitat, qui aquam & panem vitæ æternæ nobis pollicetur, & salutis nostræ certi omnem fortunam alacri & læto animo ridebimus.

I I. Qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit in testimoniū, quod testificatus est Deus de filio suo. Comprehendit his secundum argumentū, quod fidem in Christum Iesum nobis commendat. Ducitur hoc ex contrarijs, dum ostendit quid sit Deo non credere, qui filium suum nobis saluatorem proponit. Qui non credit Deo (inquit) Deum mendacem fecit. Porro mendacem facere dixit, pro eo quod est, mendacij insimulare vel accusare. Alioqui enim Deus, qui ipsa & æterna est veritas, mendax fieri nequit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Rom. 3. Mendacij autem insimulatur Deus, quando verbis eius fidem habere dedignamur. Inter homines equidem sic comparatum est, vt nō nisi illorū verbis credamus, quos veraces esse, vel scimus, vel saltē esse putamus. Et si cui quid narrati fidem adhibere dedignamur, ideo hoc fit, quia leuerr

Extra Christum non quiescit cōscientia.

Desperatio facit monachos.

2. Increduli Deū mendacij accusant.

& mendacem esse credimus. Eadem ergo ratione, quisquis Deo fidem habet, hoc ipso se Deū veracem agnoscere testatur. Quisquis autem Deo credere negat, eūdem mendacij insimulat, si non verbis, facto certè, quo fidem illi adhibere detrectat. Nemo autem leuiculum crimen esse arbitretur, Deum mendacij insimulare, cum blasphemia sit, qua vix alia atrocior & horribilior extogitari potest. Nā inter virtutes, quæ Deo propriæ sunt, veritas nō postremo loco poni debet, eò quòd æternæ Dei essentiæ & incorruptibilitati pulchre respōdet. Quisquis ergo Dei veritatem negat, non potest nō in ipsum Deum directè peccasse iudicari, cum id oppugnet, sine quo Deus nec fuit vnquam, nec esse potest. At inter diuinæ veritatis promissiones præcipuæ sunt, quæ Iesum Christum saluatorem & redemptorem humani generis esse docent. Hunc primis parentibus, iam paradiso eijciendis pollicitus est. Eundem Abrahamo promisit. De hoc denique maxima ex parte scripta sunt, quæcunq; spiritu Dei instigante diuini homines literis mandauerunt. Nisi igitur is saluator & redemptor vnicus est, & nisi in illo conclusi sunt vniuersi salutis nostræ thesauri, fieri non potest, quin mendacissimus sit Deus, qui infelix mortalium genus ab ipsa mundi origine falsis promissis & inani spe lactare voluit. Talem vero suspicantur, quicumque vnico Christo Dei filio nolunt contenti viuere, & salutem alibi quærendo illi fidem habere detrectant. Quam enim aliam causam suæ diffidentiae prætexent, quam quòd, ne fallantur, metuunt? Atqui nemo est, qui ab illo se falli metuat, quem veracem esse credit. Nunquam ergo Christum solida fide amplecti detrectabunt, quicumque Deo patri, qui hunc passim saluatorem esse testatur, veritatis gloriam et titulum deferunt. Licet enim omnibus Dei verbis fidem indubitatam inesse intelligant, imprimis tamen ea, quæ de Christo dicuntur, magni facient, quia hæc non simpliciter à Deo dicta, sed tanquam abs teste pronunciata esse, & testimonij instar esse audiunt.

Cur fidei tribuatur iustificatio et salus?

Porro ex his patet, cur in scripturis sacris tanto studio fides in filium Dei inculceretur, eiq; omnis tribuatur iustificatio, salus & vita humani generis: quod multi mirantur, qui quid fides sit, non satis intelligunt, nec etiam intelligere volunt. Atqui causa huius doctrinæ magna & grauis est, æterna nimirum Dei veritas, quam euacuant & mendacij accusant, quotquot fidem in Iesum Christum aspernantur: glorificant autem & colunt, quicumque Iesum Christum saluatorem & redemptorem suum vnicum amplectuntur. Ideo (inquam) fides æternæ vitæ & salutis promissionibus cōmendatur, diffidentia verò & incredulitas æternæ meretur damnationis supplicia. Concidit autem hoc loco omnis humanarum traditionū iustitia, quā sine fide, & plerūq; contra fidei præceptum homines sectantur. Vt enim ingrata, imò exosa, nobis sunt illorum hominum obsequia & officia, quos de nobis parum honorificè sentire nouimus: ita Deo grata & accepta esse nō possunt quæcunq; in illius honorē & cultū fiunt, si ab illis fiāt, qui Christo Iesu nō credentes, promissionū Dei veritatē suspectā habēt & in dubiū vocāt. Verè ergo Paulus pronūciat: Impossibile est Deo placere absq; fide. Heb. II. Et rursum alibi, peccatū esse dicit, quicquid sine fide fit. Ro. 14.

3. Spiritus fidei.

III. Et hoc est testimonium, quòd vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium, habet vitam. Qui non habet filium Dei, vitam non habet. Est hoc tertium argumentū, quo fidem in Christum nobis commendat Apostolus: Ab vtilitate nimirum & fructu, quem inde ad nos rediturum docet. Eò autem tendit, vt demonstrat, doctrinæ de Iesu Christo non simpliciter modò credi debere, sed nostri esse officij, vt eam totis animis, ardenti studio & amore complectamur, eò quòd in hac vniuersa nostræ salutis ratio proponatur. Sic enim loqui videtur Ioannes: Non abs re fieri puetis o fratres, quòd testimonij huius de Christo veritatem & autoritatē tan toperere vrgeo. Nā præter quòd de Dei gloria hic agitur, quæ omnibus pijs commendatissima esse debet, vestra quoq; hic salus & vita vertitur, quam nisi toti obsurderitis, non potestis contēnere. Quippe testimonij huius & doctrinæ summa & scopus vnicus est, quòd Deus miseris nobis, qui per peccatum morte æterna mulctari merebamur, vitam reddidit & donauit ex gratia. Donauit verò hanc in filio, qui vitæ fons & author est vnicus. Eum si fide cōplectamini, viuetis. Eundem si aspernati fueritis, vitam in vobis habere non poteritis. Quam chara ergo vobis est vita & salus vestra, tam ardens esse debet in animis vestris studium fidei, quæ sola Christum apprehendere, & homines vitæ in Christo propositæ consortes facere solet.

Summa salutis nostra.

Comprehendit paucis his Apostolus omnia, quæ nostræ salutis seruiūt, quæq; nouisse oportet, si eam velimus assequi. Primò, vitā nobis à Deo datam esse testatur. Priusquam ergo illa daretur, in nobis non erat aliqua. Nam quod aliquis habet, ab alio ipsi dari nō potest. At quomodo vitam habere ex nobis possemus, qui quanti quanti sumus, peccatis sumus inquinatissimi, quorū stipendium est mors? Rom. 5. Agnouerunt id sancti omnes, quorū voces sunt: Domine, ne intres in iudicium cum seruis tuis. Et in cōspectu tuo nō iustificabitur vlla caro. Itē, si iniquitates obseruaeris, Domine quis subsistet? Deinde vitā hanc in filio Dei, Iesu Christo esse dicit. Inest autē huic, non vt nobis

vt nobis vita inesse dicitur, dum mouemur, spiramus & alia facimus, quæ à viuentibus fieri con-
fueuerunt. Sed Christo inest tãquam auctori, qui eandem alijs quoque largitur & communicat:
& ideo alibi ipsa vita & panis vitæ, vel viuificans esse dicitur. Ioan. 14. Hic ergo quia euangelium
prædicat & amplectendum proponit, rectè & meritò doctrina vitæ & prædicatio salutis dicitur.
Et Paulus hæc ritè considerans dixit: Non me pudet euangelij Iesu Christi: quia potentia Dei
est ad salutem omni credenti. Rom. 1. Postremò modum quoque explicat Ioannes, quo nos vita
in Christo proposita potiri possumus. Qui habet filium (inquit) vitam habet. Filium Dei verò ha-
bet, qui in illum credunt. Quia enim peracto nostræ redemptionis negotio terras reliquit & cœ-
los conscendit, nec in hoc mundo corpore suo versatur, corporaliter haberi aut apprehendi non
potest, nec etiam sic apprehensus prodesset. Ioan. 6. Spirituali igitur modo habetur, fide scilicet,
quæ animos nostros supra humanæ rationis captû in cœlos euehit, vt ibi Christû Iesum cû omni-
bus, quæ in hoc nobis data sunt, apprehendat. Vnde fit, vt in Christo maneamus toti, & ipse vicis-
sim maneat in nobis. Sensus hunc ipsius Christi verba tradunt, quæ toties repetit & inculcat:
Qui credit in me, habet vitam æternam. Ioan. 5. & 6. Summa igitur salutis nostræ, in eo versatur,
vt nos mortis reos esse agnoscamus, vitam verò nobis à Deo patre in filio donatam amplectamur
vera fide, quæ nos filio Dei Iesu Christo inserit, & bonorum cœlestiû in ipso facit hæredes.

Est autem hic singulari obseruatione dignum, quòd contrariam quoque sententiam pro suo
more, nec sine emphasi, repetit: Qui non habet filium Dei, vitam non habet. Sunt enim qui nõ ne-
gant saluos fieri eos, qui Christum Iesum vera fide apprehendunt: sed hanc salutis viam vnicâ &
solam esse, agnoscere nolunt. Imò vt se omnibus tolerabiles reddant, ac homines cõmodi habeant
tur, alios quoq; saluari posse existimât, qui bono aliquo zelo aliâ salutis ratione sectantur. Hos ergo
breui sententia Ioannes iugulat, docens vitã in Christo Iesu sic conclusam esse, vt in solo habe-
ri possit, & vita omni careant, quicumque Christo carent. Vanissima igitur sunt quæcunq; homi-
nes vel faciunt vel patiuntur, si Christum non habeant. Quia enim Deus externa specie non du-
citur, & eum cultum exigit, qui in spiritu & veritate consistit, corporalis exercitatio nihil iuuat,
sed pietas (cuius præcipua pars fides est) præsentis & futuræ vitæ promissiones habet. 1. Tim. 4.
Pertinent huc crebri & graues prophetarum sermones, quibus dictante spiritu sancto, Israelita-
rum sacrificia, festa, libationes, circuncisionem, deniq; ipsum templum cum toto illo Ceremonia-
rum mundo damnant & rejciunt. Atqui omnia illa diuinitus præscripta erant. Ad vitam tamen
prodesse & Deo placere non poterant, eò quòd sine fide in Christû Iesum, quem iam olim Deus
promiserat, peragebantur. Quid ergo de frigidissimis Ceremonijs dicemus, quas humanæ ratio-
nis stultitia & superstitionis iam aliquot seculis peperit? Num ea saluare poterût homines, quæ non
aliam suæ institutionis causam habent, quàm quòd de Christi merito & satisfactione homines du-
bitare, & quæ huius sunt, sibi vendicare cõeperunt? Præterea constat, vitam & salutem nullam esse
posse sine peccatorum remissione. Quàm diu enim peccatum inhæret homini, peccati pœnã, mor-
tem videlicet & damnationem, non effugiet. Atqui peccatorû remissio in solo Christo habetur. Is
enim est, qui languores & infirmitates nostras tulit. In hunc cõfluere fecit omnes nostras iniqui-
tates dominus. Isa. 53. Ipse torcular calcauit solus, & non est cû ipso aliquis. Isa. 63. Ipse delet trans-
gressiones nostras, vt densas nebulas, & peccata nostra vt nubem, idq; propter se. Isa. 43. & 44. Ipse
est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mûdi. Ioan. 1. Ipse peccatû, id est, hostia pro peccato factus
est, vt nos essemus iustitia Dei per ipsum. 2. Cor. 5. Et supra Ioannem dicentem audiuimus: San-
guis filij Dei emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1. In solo igitur Christo vitam & salutem con-
sistere & inueniri constat, & verè Petrus pronunciat, dum negat aliud nomen sub Sole homini-
bus datum esse, præter nomen Iesu, in quo saluari possint. Act. 4. Cuius sententiam & ipse Dei fi-
lius approbat dicens: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14.

Memorabilis ergo locus hic est ô fratres, & dignus què crebrò meditemur, imò in cuius cõsy-
deratione versetur dies & noctes. Docet enim, fidem in Iesum Christum, non vtilem modò & sa-
lutarem, sed necessariam esse, eò quòd sine hac saluari non possumus. Docet tutam & infallibilem
esse eius veritatem, nec vllum subesse, ne per hãc fallamur, periculum. Adhæc ostendit, quàm atro-
citer peccent in ipsam Dei maiestatem, quicumque hunc saluatorem amplecti nolunt. Abiecta igi-
tur omni dubitatione, & explosis humanæ superstitionis cõmentis, totos nos fidei consecremus,
quæ sola faciet, vt hic feliciter viuere, & olim cum Dei filio regnare possimus, cui debetur benedi-
ctio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

uitam habetis eternam, & ut credatis in nomen filij Dei, Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quòd audit nos, quicquid petierimus, scimus quòd habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.

Argumentū præsentis loci.

Causa huius epistolæ.

Credentes quoque infirmi debent.

Quamuis homines naturali desyderio felicitatem appetant, ea tamen est nostræ carnis cæcitas & corruptio, ut nec huius rationem ipsi inuenire, nec oblatam amplecti possint. Patet hoc tum alibi, tum in Christi saluatoris nostri negotio. Cum enim Deus in hoc omnibus suæ gratiæ thesauros concluderit, in quibus uno illo comprehensa sint quæcunq; nostræ salutis inferuiunt, plerique tamen hominum illo contempto vel neglecto, ad sua commenta declinant, & nunquam non impletur illud Christi: Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me: alius ueniet nomine suo, illum recipietis. Ioan. 5. Quæ causa est, cur Apostoli in Christo Iesu tradendo studiū tantum tamq; ardens adhibent, si quo modo homines adduci possint, ut hoc uno cõtenti, in ipso solo quærant quæ salutis sunt. Idem & Ioannis scopus est in omnibus ijs, quæ hucusque uidimus. Nec aliud agit in epistolæ Epilogo, quem modò orditur, & paucis præcipua doctrinæ capita repetit. Et in præsentis quidem, primò causas commemorat, quæ ipsum ad scribendum impulerunt: Deinde ad fidei fructus exponendos reuersus, de præcædi fiducia agit, quæ plurimò momenti habet ad medendum offendiculis, quæ ex Cruce & aduersis huius seculi Christianis hominibus obijciuntur.

I. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomen filij Dei: ut sciatis quòd uitam habetis eternam, & ut credatis in nomen filij Dei. Causæ scribendi duæ fuerunt Apostolo. Prima, ut qui credunt, sciant se habere uitam æternam, id est, de salute sua certi sint & ab omni dubitatione alieni. Nec enim in uerba opinione nostræ salutis uersatur, sed fides, certa & infallibilis est rerum cœlestium & salutis apprehensio: Et magna hæc fidei in Christum laus est, quòd salutis certos facit suos cultores, cum in reliquis religionibus omnia incerta sint & dubia. Altera causa est: Ut credatis in nomen filij Dei. Videtur ineptum esse & superuacaneum quod dicit. Si enim illis scribit, qui credunt, quid opus est scribere ut credant? Sed de perseverantia fidei loquitur Ioannes, quæ nisi accedat, frustra fide gloriabimur. Qui perseverauerit in finem, saluus erit, inquit Christus. Matth. 24. Et qui postquam manum aratro admouit, respicit à tergo, minimè idoneus est ad regnum Christi possidendum. Lucæ 9. Præterea iustitiæ corona non cuius certanti, sed ei datur, qui legitimè certauerit. 2. Timoth. 2. Quia ergo multa quotidie occurrunt, quibus fidem nostram sollicitare & euertere conatur salutis nostræ hostis, & magna est in hac retinenda carnis infirmitas, non temere factū putabitur, quòd huius epistolæ antidoto fideles cõfirmare uoluit Apostolus. Si enim in re domestica non minor est uirtus parta tueri, quàm acquirere: in ecclesia quoq; quæ Dei domus est, non in hoc modò incumbendū erit uerbi ministris, ut novos Christo acquirant & lucrifaciant discipulos, sed curare simul decet, ne forte elabantur qui ante capti fuerunt. Porro sunt quædã in prima hac præsentis loci parte excutienda paulò diligentius.

Primò, ijs scribit Ioannes, quibus ipse testimoniū fert, quod credant in nomen filij Dei. Quapropter non alieni modò à fide & Christi cognitione doceri & institui debent, sed institutione ad huc opus habent, qui Christum nouerunt, & illum uera fide amplexi sunt. Cuius ratio est, non si dei nostræ perplexitas & nunquam finienda quæstionū copia, sed quòd (ut modò diximus) alium de multa accedunt, quæ fidelibus admonitionibus & hortationibus remoueri oportet. Insidiatur nobis indefinenti & indefesso studio diabolus, & ut primum dormiunt homines & de salute sua securiores sunt, bono euangelij semini zizania sua superfeminat. Matth. 13. Magna est insuper carnis nostræ infirmitas, quæ illius blanditijs facillè cedit. Effrenis quoq; est nostræ rationis temeritas, quæ dum in diuinis sapere uult, multa ex semetipsa statuit, quæ cum ueritate ex diametro pugnant. Hinc nouas quotidie hæreses, nouos & inextricabiles errores, absurda dogmata, & infinita alia prodire uidemus, quæ partim præstigiatores improbi & impostores, partim contētionum auidi & ambitiosi homines, magno cum ecclesiarum malo inuehere consueuerunt. Illiciuntur in horum nassam quotidie simplices, & rapacissimis lupis miseranda præda fiunt. Quid uerò de illis dicere attinet, qui dum Cruce tentantur, aut carnis mortificationem, quæ euangelij disciplina traditur, sibi molestiorem & intolerabiliorem sentiunt, longum uale renunciantes Christo, quem totis animis amplexi uidebantur, ad mundum infelicem redeunt, quorum exempla passim non sine sum-

sine summo dolore piorum oculis occurrunt: Hęc igitur non simplicem modò docendi rationem exigūt, qua quid faciat homo, instituat: sed admonere, hortari, arguere, deniq; tēpestiue & intēpestiue instare oportet, ne à semel recepta salutis ratione homines deslectāt. 2. Tim. 4. Obseruent hęc nostri seculi homines, qui dum aures habent nimiū delicatulas, sufficere putant, si semel institi salutis suę rationem vtcunque teneant, & proinde prædicationes verbi quotidianas rem planē superuacaneam, admonitiones verò & increpationes non Christiani pectoris & charitatis veræ, sed animi suspicacis, inuidi & turbarum amanti, vel seditiosi, signa esse. Sed nã illi egregiè, si dijs placet, sapiunt. Si in sermone & inani notitia regnum Dei consisteret, illorum sententia aliquem locum mereretur. Verùm cum non ij qui dicunt, Domine domine, ingressuri sint regnum Dei, sed qui faciunt voluntatē patris cœlestis: fateantur oportet, admonitione, redargutione, imò & increpatione opus esse, quoad homines securitate pressi officium suum facere negligunt. Nec multum illorum calumnias morentur fideles ministri, quãdo & prophetæ olim turbatores Israelis & viri cōtentionum dicti sunt, nec Christus tanti criminis titulum apud eos effugere potuit, quorum saluti vnicè studebat.

Deinde non oscitanter prætereundum est, quòd toties de certitudine salutis nos admonet Apostolus. Licet enim iam ante de hac dicta sint multa, plura tamen vel dicere vel audire non pigeat, ne nostra negligentia spiritus sancti diligentiam damnare videamur. Et sanè, nihil tam necessarium homini dici potest, quàm vt de salute sua certus sit: quia dum in huius ratione quærenda animus fluctuat, satanæ laqueis facillimè capitur, quibus in desperationem attrahi solet. Quæ causa est, quòd & ipse Deus olim multiuariam de hac nos instituere voluit, & tandem filium suū, non saluatorem modò, sed doctore quoq; dedit, ne quid de salute dubij restaret. Sed nec hoc contentus, insuper spiritum animis nostris inferit, qui salutis nostræ arrhabo & pignus sit, & in quo clamemus, Abba pater. Huius testimonium supra quoq; allegauit Apostolus, & nuuc denuo repetit, hanc non postremam suę prædicationis & scriptionis causam esse, vt certò sciant, se vitam habere æternam. Procul ergo hinc facestant cum pestilenti & planè diabolico suo commento sophistæ Antichristiani, quo homines de salute dubitare docent, dum nobis semper incertum esse dicunt, an simus in charitate & gratia Dei. Nec illorum prætextus admittendus, quo sese excusant, quasi non aliud velint, quàm vt homines securitate omni pulsa, iuxta Apostoli præceptum, salutem suam in timore & tremore operentur. Nec enim nos ij sumus, qui securitatē docere, aut timorem Dei animis hominum eximere studeamus. Interim verò nefas & horribilem audaciam esse ducimus, in dubium vocare id, cuius tot extāt in sacris literis indicia, & de quo ipse pater cœlitus edita voce testari voluit. Impium & plus quàm sacrilegum facinus esse iudicamus, Deū patrem mendacij insimulare, & de Christi veritate vel minimum dubitare, qui omnibus in se creditibus vitam æternam certò pollicetur. Immane & nulla venia dignum scelus esse censemus, spiritui sancto non fidem adhibere, quem Christus nostræ salutis arrhabonem esse voluit. Præterea non videmus, qua ratione ijs mederi liceat, quorum fides satanicis suggestionibus & peccatorum grauissimorum recordatione tentatur, si persuasum esse debet homini, nos dum hic viuimus, de salute & gratia Dei certos fieri non posse. Quid enim tam necessariū est in ea causa, quàm certo damnationis testimonio non minus certum salutis & absolutionis nostræ testimoniū obijcere posse? Atqui nos peccatores esse, & peccatum morte puniri, satan certo & irrefragabili verbi Dei oraculo probare solet, quãdo illud legis obijcit: Maledictus, qui nō fecerit omnia, quę scripta sunt in libro isto: Et dicet omnis populus, Amen. Nisi ergo aliud habeas, quo certò nitaris, te quę Christi merito peccatorum sarcina exoneratum, & à damnationis sententia liberum esse, indubitato credas, fieri nequit, quin in hac tam immani Charybdi fidei & salutis tuę facias naufragium. Num ergo propter paucorum improbitatem, qui euangelij doctrina securius abutuntur ad carnis licentiam, admittendum erit, vt de Dei veritate dubitemus, spiritus sancti testimonio diffidamus, & alijs circa fidem & salutem periclitandi simus authores?

Cæterum tertio loco nobis obseruandum venit, quòd certitudinem salutis nostræ cum fide in filium Dei coniungit. Nam cum dixisset, se hæc in eum finem scripsisse, vt certò sciamus nos habere vitam æternam, mox alteram causam subiiciens, fidem commendat, qua credimus in nomen filij Dei. Porro quid sit credere in nomen filij Dei, supra cap. 3. expositum est. Faciunt hoc, qui credunt filium Dei esse Iesum, id est, saluatorem, & esse Christum, id est, vnctum Dei, regem & sacerdotem suę ecclesię, qui regiæ maiestatis iure vtens leges fert, iudicat, asserit, tuetur, & gratiæ suę thesauris suos liberalissimè ditat: qui item sacerdotij munere fungens, suos perpetuò doctet, pro ijsdem orat, & peccata suorum vnico sui corporis sacrificio expiat. Quicunq; talem agnoscunt, in nomen eius verè credunt, & in hac fide salutis suę certitudinem infallibilem. Audiunt

Salus fidelium certu est.

Certitudo salutis ex fide dependet.

enim Christum dicentem, se esse petram illam inuictam, cui portæ inferorum non possint præuallere. Matth. 16. Norunt hunc esse fidum illum & fortissimum pastorem, qui manibus suis oves eripi minime patitur. Ioan. 10. Atqui probè animaduertendum est, fidem quæ salutis certos reddit, simpliciter vni Christo inniti, minime quæ ambigam esse vel ancipitem, quæ homines in vtrumque latus claudicare doceat. Imò nihil à fidei veritate tam alienum est, quàm nostræ salutis & redemptionis gloriam non vni Christo Iesu transcribere. Solus enim est, qui propter nos in mundum ueniens carnem mortalem induit. Solus est, in quem humani generis peccata pater cœlestis confluere voluit. Isa. 53. Solus torcular illud nostrorum scelerum calcavit. Isa. 63. In euangelio denique ad se solum inuitat omnes, qui laborant & onerati sunt. Matth. 11. In se solo panem & aquam uitæ æternæ esurientibus ac sitientibus monstrat. Ioan. 6. 4. & 7. Et alibi, neminem ad patrem venire testatur, nisi per se. Ioan. 14. Præterea Apostoli in vno hoc omnem salutem & rationem salutis nobis monstrant. Nota est Petri vox, qui aliud nomen datum esse negat, in quo possimus salui fieri. Act. 4. Paulum audimus in nullo alio, quàm in Cruce Christi gloriantem. Gal. 6. Idem se nihil aliud nouisse in genua fatetur, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum pro peccatis nostris. 1. Cor. 2. Nihil ergo noui docent hodie, qui salutem in vno Christo monstrant, & huius nos participes fieri docent per fidem. Hæc enim vnanimis omnium prophetarum & apostolorum doctrina est. Hoc ipsum pater cœlestis docet, & spiritus sanctus in omnibus scripturæ sacræ libris constantissimè testatur. Deploranda autem est illorum cæcitas, qui bis miseri sunt, dum & simplicem salutis rationem aspernantur, & nunquam finiendis molestijs sese temere mancipant. Nos Christo contenti esse discamus, & fidei veræ studium sectemur, cuius nouum fructum, & quidem amplissimum, in sequentibus Ioannes proponit.

Fides preces Deo acceptas facit.

II. Et hæc est fiducia, quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quòd audit nos, quicquid petierimus, scimus quòd habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Possunt hæc Præoccupationis loco posita videri, qua tacitæ obiectioni occurrat. Cum enim doctrina de fidei & salutis nostræ certitudine in Christo traditur, multos offendit, quòd fideles rerum indigos esse, infeliciter agere, crebris infortunijs exerceri, & nunquam non affligi vident. Et quia carnis ingenium est, felicitatem hominum præsentis conditione metiri, salutis certitudinem in Christo videre non potest. Docet ergo Ioannes, hæc omnia non obstare, quò minus felices & salutis suæ certi sint, quicumque Christo vera fide adhærent: quia Deum sibi tam propitium habent, ut illorum precibus aures præbeat, & votorum compotes reddat. Si enim inter homines infelix & miser dici non potest, quem potentis & diuitis alicuius viri fauor & patrocinium protegit, licet interdum labores & pericula quorundam inuidorum calumnijs sibi structa sustineat: quantò minus infelices & miseros dicere debemus eos, qui Dei patris fauore vtuntur, cuius aures ipsorum precibus semper patent? Est hic ingens fidei nostræ fructus, qui si nihil post hæc, vitæ tam esset nobis reliqui, illius studium vel solus nobis commendare poterat. Quid enim tam felix, tam iucundum & tutum, imò tam necessarium homini, quàm in huius vitæ palæstra vndique periculorum plena, habere ad quem confugas, cui preces tuas offeras, & de cuius ope & vindice manu certus sis? Possent hic multa de precibus & precandi ratione dici, sed quia nunquam nõ eadem copiosius exponendi locus occurrit, ea tantum, quæ Ioannes in præsentis proponit, breuiter perstringemus: qui licet breuitati studeat, magnificè tamen & splendidè nobis hunc fidei fructum commendat.

Vij fiduciam precandi habent.

Primò, hæc (inquit) est fiducia, quam habemus apud eum. Fiduciam & liberam Deum accedendi & precandi potestatem nobis tribuit, quæ profectò cum singulari gloria & laude coniuncta est. Superbiunt nimis gloriosi, qui principum huius seculi facilitate tam familiariter vti solent, ut ipsis quando lubet ad illos accessus pateat. At quæ exigua, imò nulla hæc laus est, si cum ea libertate & fiducia conferatur, qua nobis, quotiescunque opus est, in Dei conspectum venire, & necessaria quæque postulare audemus? Nec quisquam putet, Ioannem propria confidentia vsum, nobis tantum boni gloriam polliceri. Habet enim fiducia hæc rationes, quibus nititur, solidas, certas & omnino infallibiles. Siquidem Deus ipse iubet & constanter præcipit, ut ipsum inuocemus: imò non semel testatur, hunc illi gratissimum cultum esse, si in angustijs constituti, ad illius opem fidis precibus confugiamus. Psal. 50. Quis ergo metuet, ne precibus nostris offendatur Deus, qui ut ipsum precemur, passim iubet? Accedit his, quòd coram suprema Dei maiestate, nõ seruatorum instar aut hostium, sed ut amici, imò filij, comparemus. Per Christum enim filij Dei facti, adoptionis spiritum accepimus, qui eam animis nostris fiduciam inserit, ut Deum blandissimo patris nomine inuocare nobis liceat. Num ergo dubitabimus, an pater tam pius & plenus misericordiae, filios suos opis indigos & ad se clamantes, audire velit? Vel num nos Deo meliores putabimus, qui liberorum

liberorū nostrorū precib. aures facillè solemus accōmodare? Matth. 7. Quin potius omni metu posito, confidenter ad thronū gratiæ accedamus per Christū Iesum, qui nobis via ad hunc factus est.

Secundò, precandi fiduciæ aliud cōiungit Apostolus, nimirum quòd Deus nos audiatur, & votorum cōpotes faciat. Sunt enim, qui preces sibi fieri vtcunq; ferunt, sed inexorabiles, perinde faciunt, ac si surdis essent auribus. Et Epicuræi ferè Deum talem fingunt, quem rerū humanarū cura minimè tangat, sed ad cœli cardines obambulans cœlestia sola gubernet. At scriptura nos à Deo audiri sæpe testatur, & promissiones sunt passim obuiæ, quibus hoc ipsum Deus confirmat. In lege pollicetur, se exaudire peregrinos, viduas & pupillos ad se clamantes. Exod. 22. Monet itè ne debitam mercedem mercenario denegantes illius preces contra nos prouocemus. Deut. 24. Alibi docet, se priusquā clamemus, nobis respondere velle. Isa. 65. Christus subinde nos omnia accepturos promittit, quæcunq; in ipsius nomine petierimus. Ioan. 14. & 16. & c. Exempla sunt item innumera, quæ Deum promissionibus hisce nunquam defuisse testantur. Clamant ad Deum ex Aegypto Israelitæ, & mox exauditis assertorem & vindicem Mosem destinat. Exod. 3. Tacitis suspirijs & gemitibus diuinam opem Moses ad mare rubrum inuocat, & mox audit: Quid clamas? & c. Exod. 14. Idem precibus pijs Dei auxilium contra Amalekitas impetrat. Exod. 17. Ad preces Eliæ cœlū aperitur & clauditur. Iac. 5. 3. Reg. 18. Sed quid exemplis opus est, quando ipsi quòtidie experimur, quanta sit precū piarum efficacia apud dominum? Nec enim quisquā tam infelix & calamitosus est, qui non fateri cogatur, se multoties per dominum voti sui compotem factum esse.

Est tamen diligenter nobis obseruanda precandi regula, quā Ioannes & breuem & omnibus numeris absolutā præscribit. Deum enim in ijs nos exaudire dicit, quæ secundum ipsius voluntatem petimus. Quotquot ergo recte & piè, adhæc cū fructu orare volent, vota sua, adeoq; sese totos, diuinæ voluntati subijciant oportet. Equidè inter homines sic comparatū est, vt eorum voluntati nos accommodemus, quorū opem impetrare cupimus. Quotò magis ergo diuinam voluntatem nos in precibus obseruare conuenit, cuius nisi studiosissimi simus, frustra corā Deo comparebimus? Atqui voluntas Dei, quoad preces, in tribus potissimū versatur. Primò fidem à nobis requirit. Nam vt ingrata nobis sunt eorum preces, quos de nostra beneuolentia dubitare nouimus: ita Deo placere nō possunt, qui inter precandū de ipsius vel voluntate vel potètia dubitant. Quare Apostolus cū fide, omni hæsitacione deposita, orare iubet. Iac. 1. Fides autè intelligitur, quæ Christo fundamento inhæret: quia impossibile est, nos quicquam boni de Deo sperare, cū peccatores & morte digni simus, nisi in eū toti recumbamus, cuius merito pater nobis reconciliatus est. Ideo & Christus in suo nomine patrem precari iubet. Ioan. 16. Et laudabilis est vetus ille ecclesiæ mōs, quæ preces omnes Iesu Christi nomine claudit, sicq; testatur, cuius merito & intercessione confidat. Secundò in precatione perseverantia & indefesso studio opus est. Differt enim interdum postulatam opè dominus, non quòd nos vel negligat, vel perditos velit: sed quòd fidè nostram exerceri prodest, cuius virtus non nisi in aduersis conspici solet. Alienissima igitur à precibus debet esse temeraria præsumptio, quæ Deo & tempus & modum auxiliij præscribere quidā audet. Nostrū enim est, dominū expectare, & ipsi permittere omnè iuuandi rationem. Pertinet huc viduæ exemplum, quo Christus orandi pertinax studiū nobis cōmendat. Luc. 18. Tertium in precibus est, vt ea petamus quæ Deo digna sunt. Quia multos est inuenire, qui ea petunt, quæ nec Deus salua sua bonitate & iustitia dare possit, nec nobis prodesse accepta. Eius generis sunt, cum opes petimus libidinis & luxus irritamenta: cum corporis robar postulamus, quo ad voluptates inhonestas abutamur: itè cum victorias contra proximum poscimus, quæ nos beneficentia vincere & demereri oportebat. Vt interim nihil de illis dicamus, qui palàm inhonesta & turpia postulare audet, quæ à viro et matrona honesta petere puderet. Vbi causa patet, cur multorū preces minus exaudiatur. Sed optimè hic nobis Iesus Christus prospexit, dū breui & dilucida formula cōplexus est, quæcūque nos à Deo petere cōuenit. Huic si accommodemus preces nostras, nunquā errabimus. Quòd si verò diuini nominis negligentes, & salutis nostræ securi, ea precamur, quæ carnis libidini adlubescunt, non mirum est, si nec exaudimur à Deo, & insuper grauioribus malis inuoluimur.

Meditemur hæc nostro seculo fratres, quando vndique nos pericula circumstant, quibus non fortunæ modò nostræ & corpora, sed animæ ipsæ petuntur. Oppugnatur variè fidei Christianæ veritas & sincera religio. Instant seductores callidi. Grassantur armis & tyrannide aperti hostes. Hic firmi stemus, & in Christum omni fiducia posita, ardētibus precibus Dei opem imploremus, illius voluntati totos nos permittamus, regni Dei gloriæ studeamus, & hic vnus scopus sit, vt in terris vitam nostram Deo patri approbare, tandemq; carcere hoc liberati in cœlis viuere & regnare possimus cum Iesu Christo, saluatore & redemptore nostro vnico, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

*Precandi regula
Dei voluntas.*

1. In fide orandi.

*2. Perseueranter
orandi.*

3. Deo digna petantur.

C A P V T V,
H O M I L I A XXXIIII.

Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortē,
petet, & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum
ad mortem: non pro illo dico ut roges. Omnis iniquitas peccatum
est: Et est peccatum non ad mortem.

Summa epilogi.

Argumentū praesentis loci.

Fidelium preces pro fratribus exaudiuntur.

Quemadmodum æterno diuinæ sapientiæ & bonitatis consilio statutum est, ut omnis humani generis iustitia, vita & salus in vno & solo Dei filio Iesu Christo, cōprehensa esset, cuius nos consortes & participes reddimur per fidem: ita vicissim communis noster hostis satan in hoc totus est, ut fidem nostram euertere, & hac euerfa, nos à Christo Iesu vnico saluatore abstrahere possit. Nouit enim, sibi contra nos nihil licere, & vires nostras Dei beneficio planè inuictas esse, quoad Christo nitimur & petra huic insuperabili inhæremus, contra quam nec portæ inferorum prævalent. Non temere ergo factum putemus, quod Ioannes apostolus tanto studio & diligentia in ijs tradendis versatur, quæ fidem in Christum spectant. Nec contentus multis ea habentibus exposuisse, Epilogum epistolæ sic contexit, ut paucis repetat, quæcunque fidei perseverantiam nobis commendare possunt. Commemorat autè præcipuos & maximè salutare fidei in Christum fructus. Inter hos primum locum vita æterna vel beatitudo obtinet, quam Christo teste, vel fide amplecti & seruare, vel diffidentia & Christi contemptu amittere oportet. Mar. 16. Secundus fructus, vitæ & salutis huius certitudo est, cuius testimonium in animis nostris experimur, atque constante conscientijs nostris spiritu Iesu Christi, quem is suis arrhabonè salutis dare consuevit. Nec alia est religio aut persuasio hominum, quæ nos salutis certos reddere possit, nisi sola hæc, eò quod quicumque ex alio fonte biberit, iterum sitiet, &c. Ioan. 4. Sequitur hunc fructum tertio loco precandi & quiduis à Deo impetrandi fiducia. Quia enim fide filij Dei efficimur, patet nobis ad patrem aditus per Iesum Christum, qui hunc nobis reconciliauit: nec fallit promissione sua, qua ait: *Quicquid petieritis patrem nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Sed transeamus ad præsentis loci considerationem, quo fidei fructus quartus exponitur, quem tertij consequentem dicere licebit.

I. *Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem.* Videtur sic mihi dicere velle Apostolus: Magna & inestimabilis est fidei nostræ dignitas, quod in necessitate aliqua constituti preces nostras exaudiri scimus, quibus nobis ipsi opem & gratiam petimus à Deo patre. Sed maius multò bonum est, quod non nobis modò, verum etiam alijs prodesse licet. Ut enim Christus Iesus nos pro fratribus orare iubet, ita preces pro illis factas Deus exaudire dignatur. Nec ea modò, quæ præsentis vitæ seruiunt & temporaria bona fratribus nostris impetrare, sed vitam & salutem animarum nostris precibus iuuare atque prouehere possumus. Nam si frater peccet, & in delicto aliquo non mortali volutetur, precando illi vitam & gratiam, vel peccati agnitionem & remissionem impetrare licebit. Si quem ergo non propriè modò, sed & aliorum salutis cura tangit, si quis beneficentiæ studio tenetur, fidem in Iesum Christum apprehendat, quæ faciet, ut in re maxima, animarum videlicet salute fratribus prodesse queat.

Ne quis tamen Apostolum temere hæc polliceri putet, prodest exempla videre, quæ passim in scripturis proponuntur. Posset autem hic vnus Moyses sufficere, qui non semel Dei iram iustam & iam iam imminuentem interitum, ab Israelitica gente fidei precibus auertit. Ad mare rubrum animo ad dominum clamans exauditur, & per medium maris siccum & per omnia tutum transitum impetrat. Exod. 14. Rursus durante prælio Amelekítico precibus suis victoriam apud Deum obtinet: & id quidem tam euidentè, ut nemo dubitare posset, quin precibus ipsius victoria deberetur. Quoties enim manibus demissis precandi officium intermittit, Amelekitarum vires crescunt, & victoria penes ipsos stare videtur. Quoties verò ad preces Moyses redit, & manibus expansis clamat ad dominum, toties Israelitæ hostibus suis superiores fiunt. Exod. 17. Voluit enim ceu oculari demonstratione docere Deus, quatiù priorum preces facere soleat. Quid autem de illo dicemus, quod cum idololatriæ peccato in vniuersum deleri meruisset populus, solus Moyses pertinaci precu perseverantia tanti peccati remissionem illis impetrat? Exod. 32. Pertinet huc Maria, quæ cum contra Mosem peccasset, & lepræ contagio esset infecta, eiusdem precibus pristina valetudini restituta esse legitur. Numer. 12. Sed longum foret omnia Mosis huc afferre, quare pijs reliqua inuestiganda permitto. Possunt huc adnumerari, qui per preces iam vita defunctos à mortuis reduxerunt, quod de Elifæo propheta, & Petro Apostolo scripturæ narrant. 4. Reg. 4. Acto. 9. Sed quid exempla coacer-

placuerat opus est, cum solius Christi præceptum sufficiat, qui non pro fratribus modò, verum etiam hostibus orare iubet. Nunquam enim id iuberet, nisi preces illas patri suo gratas & efficaces esse sciisset.

Inter alia verò nos officij nostri locus hic admonet. Docet enim, Christianorum esse, ut non propriæ modò, sed & aliorum salutis curam singuli habeant. Postulat hoc fraternitas, qua per Christum coniuncti sumus, & magis exigit arctior illa communio, quæ nos eiusdem corporis membra facit, idemque officium à singulis requirit, quod singula nostri corporis membra fideliter præstare videmus. Oculi certè non sibi solis vident, sed pro totius corporis salute inuigilant, imò pedibus, ne quando impingant, prospiciunt. Manus non sibi modò laborat, sed labore suo totum corpus alere & tueri satagit. Eadem aliorum membrorum omnium est ratio. Hoc ipsum ergo & nos faciamus, qui corporis Christi membra videri & dici volumus. Vides proximum tuum impigisse in via salutis, & hæsitare circa vitiorum & peccatorum scopulos. Vides eum à via vera exorbitasse, & per auia hinc inde errare. Vides eum peccati magnitudine & pondere pressum ad desperationem inclinare. Hic doctrina, admonitione & consilio opus est, ut misero & periclitanti subueniatur. Præcipit id in Lege dominus, quando bouem proximi errantem ad suum herum reducere, & asinum ponderi succumbentem subleuare iubet. Exo. 23. Deut. 22. Et Christus fratrem qui peccauit, priuatim primò, deinde adhibitis arbitris, tandem & publicè admoneri vult. Matth. 18. Quia verò admonendo & docendo nihil proficitur, nisi dominus corda illuminet & trahat, & multorum non ea est vel autoritas vel ingenij dexteritas, ut hoc officij aliquo cum fructu præstare possint, preces simul iungendæ sunt, quibus à Deo eam gratiam expetamus, ut peccantem in peccati sui agnitionem perducere, pœnitentiæ veræ studio accendere, & commissa peccata benignus remittere dignetur. Sic Christum pro ijs, à quibus crucifigebatur, orauisse legimus. Luc. 23. Et exemplum Christi piè secutus est protomartyr Stephanus. Acto. 7.

Nec pro illis modò, quos peccatis iam implicitos videmus, orandum est, verum etiam pro omnibus alijs, qui labi poterant, & sæpe labuntur, nisi domini gratia illos sustentet. Præterea, quorum lapsus grauioribus sunt, & reliquis etiam officere possunt, pro ijs maiori studio precari conuenit. Hinc est quod Paulus pro magistratibus, & omnibus, qui in eminentia constituti sunt, priuatim & publicè preces fieri vult. 1. Timoth. 2. cap. Cuius officij Ieremias quoque eos, qui in Babylone iam captiui detinebantur, admonet, Ierem. 29. Et inter veteris ecclesiæ ritus non postremum commemorant ecclesiastici scriptores, quòd in publicis cœtibus pro Imperatorum Romanorum salute, pro imperij diuturnitate, & ipsis etiam inimicis suis orauerint. Nec enim fieri potest, ut sine publico malo rex peccet, & principum libidines ferè regnorum incolumitas & pax publica turbari consuevit. Eadem ratione pro ministris verbi & ecclesiæ pastoribus orari debet: nimirum, ut ipsis detur sermo in apertione oris cum libertate, ut nota faciant mysteria euangelij, & loquantur sicut eos loqui oportet. Ad Ephesios 6. capite. Denique, sicut Iesus Christus non pro Apostolis modò, sed omnibus alijs orationem habuit: ita nos illius exemplum imitati, pro omnibus hominibus preces indefinenter fundere, & Deo patri offerre debemus. Hæc enim sunt veræ fidei in Christum exercitia, quæ & Deo placent, & inter homines maximorum bonorum causæ sunt, pœnitentiæ nimirum, emendationis morum, charitatis, concordia & pacis, sine quibus vita hæc subsistere nullo modo potest.

Prodest autem hæc cum nostri seculi moribus conferre, ut quantum in re cum primis necessaria hodie peccetur, agnoscamus. At nemo negabit, nos frigidissimos esse in eo studio, in quo nos feruentissimos esse oportebat. Nā quoad hostes & inimicos nostros, quibus à Deo spiritū sanctū, cordis illuminationē, peccati agnitionem, & gratiam remissionis petere debebamus, contempto hoc nostro officio, plerunque vindictæ studio totos nos impendimus. Et ea est multorum infania, ne quid dicam grauius, ut hoc vnum virile & magnanimum putent, si quis ipse sui vindex sit strenuus, nec aliquas sibi illatas iniurias inultas patiat. Vbi potius domini præceptū obseruare conueniebat, dicentis: Mihi vindictam, Ego retribuā. Deut. 32. Nec cogitat homines miserrimi, se dum suum ius animis tam acerbis persequuntur, sibi ipsi quàm maximè nocere. Nec enim dum taxat officij pietatis intermittunt, quod pro hostibus orare iubet, verum etiā preces, quas pro se ipsis offerunt, exarmare & irritas facere solent. Siquidem domino iubente oramus: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Quæ autē (proh dolor) nostra erit infelicitas, si eo iure contra nos uti volet Deus, quo nos in proximum ob leuiculam aliquam iniuriam acceptam vtimur. Certè, aut vindictæ cupiditatem deponere, & pro fratribus orare oportebit, aut nos ipsos orando condemnabimus. Idem malum apparebit, si quales erga eos simus cōsyderes, qui nullis nos iniurijs offenderunt, & quibus nullo modo hoc officij, quod modo præceptum est,

Christiani aliorum salutis consulant.

Pro omnibus orandum.

Tertull. in Apolog. ca. 30. 31. 32. &c.

Vitia nostri seculi.

negari debebat. Grassantur passim pœnæ, quibus mundi huius ingratitude & fœcordiam Deus castigat. Laborant egestate, & fame contabescunt domestici fidei nostræ. Bellorum rumores v-
bique locorum personant, & multi horribilem bellorum aleam experiuntur. Multi inter hæc ma-
la omnia adhuc vitijs suis indormiunt, & carnis studia planè impœnitentes sectantur. Quis verò
interea est, qui aliorum miserijs cõdoleat, qui cum plorantibus ploret, & lugeat cum lugentibus?
Nõne ad omnem alienæ infelicitatis sensum absurduimus, & dummodo nobis bene sit, securi
contemnimus etiam totius viciniæ incendium? Quotus verò quisque est, qui peccantes fratres ad
moneat, hortetur, reprehendat, & in viam reducat, vel saltem precibus suis diuinæ bonitati & mi-
sericordiæ commendet? Illorum quidem ingens est numerus, qui fratrum vitia solliciti obseruant,
accusant malignè, diffamât & calumniosè obtrectant: quæ res odiorum, inuidiæ & inimicitiarum
grauissimarum causa est maxima. Quòd si verò inspicias, quales in illos simus, quorum curæ pu-
blica salus commissa est, magistratus dico & verbi ministros, tam abest, vt iuxta Christi & Aposto-
lorum præcepta illis bene velimus & bene precemur, vt nullum hominum genus nostro seculo
plerisq; magis inuisum sit, quàm qui docendo & monendo Dei gloriam & multorum salutem pro-
mouere student. Quid ergo Dei irati fulmina & nouas quotidie calamitates admiramur, quando
nulla est publicæ salutis cura hominibus?

Porro quia Ioannes pro illis preces nostras exaudiri dixit, qui peccant non ad mortem, id ipsum
pleniori declaratione opus habet, ne dum nostræ carnis iudicium audimus, in precibus nostris vel
nimis temerarij, vel tepidiores simus. Hanc verò ipse Apostolus in sequentibus verbis subiicit.

Peccatū ad mor-
tem.

I I. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges. Ideo (inquit) pro illis preces fidelium
efficaces fore dixi, qui peccant non ad mortem, quia peccatum, quod ad mortem vergit, veni-
am & remissionem apud Deum nullam habet: pro quo qui precari vellet, operam omnem lude-
ret, ea petendo quæ cum Dei iustitia, veritate & æternis decretis pugnant. Hic verò peccati natu-
ra & ratio nobis consyderanda venit, quam si perspectam habuerimus, nulla erit huius loci obscu-
ritas, quæ multis & magna & offenculi plena videtur. Paucis autem perstringemus quæ præsen-
ti negotio seruiunt, ommissis inutilibus & superuacaneis quorundam distinctionibus, quæ rem per
se claram obscuriorem reddunt.

Peccatum quid.

Peccatum est, quicquid vel factò vel dictò, vel etiam cogitando & concupiscendo, contra le-
gem & verbum Dei committitur. Nolumus enim hic rem altius repetere, vt de natua hominis
corruptione vel originis peccato dicamus, cum in præsentis de actualibus duntaxat Apostolus lo-
quatur. Quia autem Deus legem suam ea conditione proposuit, vt maledictione incurrat & mor-
te dignus sit, quisquis non manserit in omnibus, quæ ab ipso præcipiuntur, Deut. 27. cõstat omne
peccatum, si per se æstimes, mortale & damnatione dignum esse. Nec probâda est scholasticorum
distinctio, qui septem duntaxat fecerunt peccata mortalia, reliqua autem omnia venialia esse dix-
erunt. Quia enim singula cū lege Dei pugnant, singula etiam mortalia sunt, & propter vnumquod
quæ homo damnari meretur, si iustitiæ suæ rigorem dominus sequi voluerit. Et qui septem mor-
talia peccata statuerunt, multis eius erroris causa fuerunt, quòd propria iustitia confisi sunt, eò
quòd se à septem illis immunes esse putabant. Quòd si verò peccati atrocitatem rectè cognita ha-
beamus, & intelligamus, Originalem quoque illam noxam mortalem esse, nedum tristes eius pec-
catorum fructus, qui inde promanant, omnis intercedit nostræ iustitiæ fiducia, & ad Christum se-
sum ardentiori studio cõuertimur, in quo solo veniã & remissionem peccati propositam habemus.

Omne peccatum
mortale est.

Peccati discriminẽ
in hominibus est.

Quamobrem in hominibus potius peccati discriminẽ quæri debet, quo fit, vt aliud ad mortem
perducat, aliud verò à morte alienum sit: & videbimus vnum idemq; peccatum alijs quidem da-
mnationis & mortis causam esse, in alijs autem veniam mereri, imò etiam in bonum cedere: non
quòd apud Deum sit personarum respectus, sed quòd variè affecti sunt erga Deum & legem ipsi
us, homines. Nam aliter peccant electi Dei & fideles, aliter infelices & peruersi huius mundi filij.
Peccant fideles, & quidem grauissimè interdum. Sed peccatum mox vel ipsi agnoscunt, vel Dei
verbum quo illud arguitur, admittunt, & ex illo de commisso crimine iudicant. Agnitum fatetur,
dolent, & de pœnitentia seriò cogitant. Adhæc per fidem ad Christum Iesum cõuertuntur, quem
pro peccatis nostris sufficientem victimam esse firmiter credunt. Et si nihilominus peccata illo-
rum digno aliquo supplicio Deus inuisat & corripiat, Dei patris manum & virgam patienter su-
stinent, totosq; se ipsius voluntati permittunt. Illi ergo, quia tales sunt, ad mortem non peccant.
Habent enim Dei verbum, dicentis: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezech.
18. Habent Christum, qui pro ipsis peccatū factus est, vt ipsi eius merito iustitia Dei fieri possent.
2. Cor. 5. Et rursus cum Paulo intrepidi exclamant: Quis intetabit crimina aduersus electos Dei?
Deus est qui iustificat. Quis ille qui condemnet? Rom. 8. At longè alia est impiorum conditio, qui
mundo

mundo semel addicti, illius seruitio se totos consecrarunt. Hi enim non contenti peccauisse, in peccatis etiam & malitia sua gloriantur, peccati atrocitatem agnoscere nolunt, verbum Dei, quo illa arguitur, odio habent & audire detrectant. Accedunt his maiora, quod nec conscientias proprias audiunt, & spiritus sancti inspiratione conuicti, reclamant tamē, & agnitæ veritati resistunt. Christum & meritum eius contemnunt: & tandem, vbi diabolus post diutinam consclerationem peccata illis ob oculos statuit, vt ea contemnere non possint amplius, omni fide & consolatione vacui horribiliter desperant. Quicunq; ergo tales sunt, ad mortem peccant, nec aliter peccare possunt (quantumuis leuia sint interdum peccati ipsorum principia) cum & pœnitentia & fide in Christum saluatorem careant. Alteri verò ad mortem peccare non possunt, quia per fidē in Christum à lapsu, quantumuis crebro & graui, resurgunt. Exempla sunt passim obuia in Veteri & nouo testamento, quibus res omnis declarari potest plenissimè. Peccant Dauid & Saul, pares natione, cōditione, & reliquis ferè rebus omnibus. Vterq; enim Israelita, & vterque ex vili conditione ad regnum diuina bonitate vocatus fuit. Et si peccata per se æstimes, grauius multò & atrocius quod à Dauide commissum fuit, apparebit. Sed longè diuersi sunt animi, quo fit, vt hic veniām impetret, alter infeliciter pereat. Saul enim, licet se contra Dei verbum fecisse negare non possit, culpæ tamen suæ grauitatem non agnoscit, nec fatetur. Deinde non de Dei, sed sua gloria sollicitus est, & cum propheta in gratiam redire cupit, ne coram populo peccati accusatus, seditionem vel defectionem metuere cogatur. Nulla omninò apud hunc Christi mentio, nulla pœnitentia, nulla contritio. Nec etiam pœnæ, quam iusto suo iudicio infert Deus, patiens est. Sed vbi alium diuinitus electum & vocatum audit, qui populi Dei sceptrum suscipiat, Dei iudicio pertinaciter sese opponit, quasi proprijs viribus contra Dei decretū regnum retinere possit. Quia ergo peccati modum nescit aliquem, noua indes peccata veteribus accumulatur, vt Dei iudicium & meritas pœnas effugere possit, ad mortem peccat, quod infelici suo exitu satis testatū reliquit. Cum hoc si Dauidem conferas, longè alium inuenies. Peccat is contra communes Dei leges, quibus adulterium prohibetur, & contra regis officium, dum eius vxorem polluit, cuius famam, fortunas & vitam summa fide & studio tueri debebat: & suæ libidinis impetum secutus adulterio iniustam viri optimi cædem adiicit. Sed Domini verbo per prophetam admonitus, non contradicit improbè, non suo honori, non regis dignitati, non familiæ metuit, sed quod Deo ingratus fuerit, quod eius gloriā tantum parui fecerit, quod illius legem spreuerit, maximè dolet. Se peccauisse fatetur. Prophetam amat & colit, non propter prædictam pœnam, vt rebellem & seditiosum, odit. Ad Deum conuersus multa se misericordia opus habere fatetur. Ad Christum respicit promissum saluatorem, cuius sanguine culpam suam expiari posse confidit. Et cum pœnas exigeret Deus, non audacter nec improbè sese opponit, quamuis causa eius contra filium Absolonem esset iustissima. Sed discalceatus, & aperto capite, sponte vrbe exit, conuitia & probra hostium patiens audit, sicq; Deo se castigandū præbet humiliter, cuius mandata & leges superbè contempserat. Eadem ratio inuenietur, si Iudæ proditoris facinus & Petri lapsum inter se conferas.

Horum diligens consideratio satis docet, qui coram Deo venia digni sint, & pro quibus orari debeat, quiue incurabiles sint, nec precibus adiuuari possint. Quicunque enim infirmitate lapsi, peccata sua agnoscunt, fatentur, pœnitent, & ad Christum conuersi remissionem sperant, hi ex electorum & fidelium numero sunt, qui ad mortem non peccant, imò peccata, vt & omnia alia, illis in bonum cooperantur. Hos nos precibus nostris apud Deum pro virili iuuare, nec vnquam de illis desperare debemus, quoad in Christi corpore, ecclesia videlicet, constantes permanent. Quotquot verò peccata sua agnoscere nolunt, eorundem atrocitatem negant, pœnitentiæ studium aspersionatur, Christi meritum & doctrinam gratiæ negligunt, non possunt non ad mortem peccare, quoad tales permanserint. Ideo de talibus apud prophetam dicitur: Tu ne oraueris pro populo isto. Ierem. 7. Item: Si ex panderitis manus vestras, auertam oculos meos, &c. Isa. 1. Quicquid enim eiusmodi homines faciunt, simulato animo faciunt, nec seriu de Dei gloria sunt solliciti. Quia tamen nostrum non est Dei iudicia altius scrutari, nec scire possumus, num semper incurabiles manuri sint, qui nunc contumaciter peccant, non temere tanquam de desperatis pronunciantur erit, qui semel & iterum admonitiones pias & fideles spreuerunt, sed iuxta charitatis ingenium de omnibus bene sperandum est, nisi manifesta peccati in spiritum sanctum argumenta deprehendamus.

III. *Omnis iniquitas peccatum est. Et est peccatum non ad mortem.* Habent hæc formulâ breuis *Peccati ratio* Conclusionis, qua summam cōprehendit, quæ ad peccati cognitionē faciunt. Omnis iniquitas, id est, quicquid præter officium vel in Deū vel proximū committitur, peccatum est, & si per se estime tur, morte & damnatione dignū est. Nec enim aliud est peccati stipendium q̄ mors. Rursus tamen

in peccatis non desperent fideles: quia ijs qui sunt in Christo, nulla potest esse damnatio. Rom. 8. Docent hæc de peccato rectius iudicare, quàm vulgò fieri soleat, dum plerique mortalium peccata aut leuiora esse putant, quàm quibus tam grauius irasci possit dominus: aut illorum atrocitatem sic horrent, vt interim Christi iustitiæ & meriti obliuiscantur, sicq; desperent. Nostrum est peccato nõ blandiri, nec eius blanditias admittere. Quàm enim absurdum est, leue putare id, quod non nisi filij Dei sanguine expiari potuit? Interim sciamus in Christo nobis omnem satisfactionem esse propositam, quæ facit, vt mortem nõ inferant, quæ alioqui lethifera essent. Amplectamur ergo viuam fidem Iesum Christum, quæ hanc in nobis fiduciam parit, vt tã pro nostris quàm fratrum peccatis Dei gratiam inuocare possimus. Oremus autem Deum patrem misericordiæ, vt omnibus nobis peccati cognitionem, pœnitentiæ studium, fidem veram & stabilem largiri velit, vt carnis carcere exempti, in cœlis cum Christo Iesu, filio suo, regnemus: cui debatur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXXV.

Scimus, quòd omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Scimus, quòd ex Deo sumus, & mundus totus in malo constitutus est.

Postquam D. Ioannes hac sua epistola diligenter tradidit fidem in Iesum Christum, eiusdem fidei fructus in Epilogo non minori diligentia commemorat. Scopus verò omnium hic vnus est, vt tot tamq; salutarium fructuum consyderatione animati, forti constantia in fide perseueremus, nec vllis tentationibus nos à Christo saluatore patiamur abstrahi. Posuit autem quarto loco eam precandi fiduciam, qua non nobis modò, verum etiam fratribus nostris subuenire, & ijs, qui in peccatum lapsi sunt, apud Deum gratiam & peccati remissionem impetrare possumus. Ibidem vt res postulabat, de peccato quædam dixit, docens omne quidem peccatum per se legis transgressionem esse, & æternæ mortis pœnam mereri: credentibus verò non ad mortem imputari peccata, eò quòd per fidem in Christum ad pœnitentiam conuersi, cum Deo patri reconciliantur. Poterant hæc ab impuris & hostibus veritatis sic accipi, quasi per euangelij prædicationem & fidem in Christum peccandi licentia planteretur. Cur enim à peccatis abstineat? cur carni molestus sit, & de syderia eius reprimat, qui peccatum sibi exitiale non esse credit? Et nostro seculo, non eos modò audimus, qui euangelij doctrina bonos mores corrumpi & securam quiduis audendi licentiam & impunitatem inuehi clamant: verum etiam phanaticos multos vidimus, qui peccata turpissima committentes, ea tamen nihil ad se pertinere dicebant, eò quòd illa carnis opera essent, cui illi iam olim renunciauissent, nec nisi spiritu viuerent. Quasi verò, qui carni renunciauit, nõ simul eandem crucifigat & mortificet, vt spiritui Christi & obedientiæ fidei tota subijciatur. Ceterum, quia tam impudens calumniandi audacia Apostolos Christi minimè latere potuit, multi in hoc sunt, vt demòstrant: fide in Christum non peccatorum impunitatem & effrenem licentiam, sed potius iuge & indefinens pœnitentiæ studium, plantari. Quod ipsum & Ioannes in præsentia paucis docet, vt fidei in Christum Iesum quintus fructus est, in cuius consyderatione vtinam sic versarentur, vt ex hoc pro verè fidelibus agnosci possent, qui Christo & fide nunquam non gloriantur.

Argumentũ præ
sentis loci.

Ex Deo natus nõ
peccat.

I. Scimus, quòd qui ex Deo natus est, non peccat. Sed qui genitus est ex Deo, seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Cohærent hæc pulchre præcedentibus. Sic enim dicit: Audiistis, peccata esse quæ non tendunt ad mortem, qualia sunt quæcunque à verè credentibus per carnis infirmitatem committuntur. At nolim mea hæc quisquam sic accipiat, quasi sub fidei & Christi prætextu impunè peccare possimus. Peccandi enim licentia à fidei ingenio tam aliena est, vt non possint peccare, quicunq; per hanc regeneriti, & filij Dei facti sunt. Nam quia Deo patri placere student, solliciti & anxij planè se ab omni labe custodiunt, talesq; se præbent, vt improbus ille humani generis hostis satan nihil in illos iuris & imperij obtinere possit. Sed prodest singula quæ ab Apostolo dicuntur, penitus inspicere.

Soli fideles ex
Deo nati sunt.

De ijs loquitur, qui ex Deo nati sunt: quod non de Creatione, quæ omnibus hominibus, imò etiam brutis & inanimatis ex Deo communis est, sed regenerationis mysterio debet intelligi: iuxta quod soli fideles ex Deo nati & Dei filij esse dicuntur. Nam si hominem, qualis sua natura est, consideres,

conſyderes, videbis, omnes nos peccatores eſſe, & quoad nos, æternæ mortis ſupplicium mereri. In peccatis enim concipimur & naſcitur, ſicut de ſeipſo regius ille Pſaltes teſtatur. Pſal. 51. Quæ corruptione fit, vt & intellectus noſter non capiat ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & voluntas à Dei voluntate alieniſſima fit, & vires in nobis nullæ reperiuntur, quibus ea exequamur, quæ Deo placent, & quæ per nos fieri poſtulat. Fateantur hoc oportet, quicunq; in ſemetipſos paulò altius deſcendant, & remoto philautiæ velo cupiditates & actiones ſuas ad Dei verbum vel legis regulam examinent. Nec aliquis eſt, qui ſuis viribus ab hac corruptione liberari aut alterius ope adiuuari poſſit. Quia filij Dei non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, nec etiam ex voluntate viri, ſed ex ipſo Deo naſcuntur. Ioan. 1. Vt enim tuus filius non erit, niſi qui ex te natus fuerit: ita nec Dei filij verè dici poſſunt, niſi quos ipſe Deus, vt tales eſſent, genuit. Is verò tales per Chriſtum Ieſum, filium ſuum naturalem (ſi ſic loqui licet) & ſibi coæternum generat. Siquidem is immortale illud regenerationis ſemen, verbum ſcilicet Dei, animis ſuorum inſerit, idemq; ſpiritus ſui gratia & operatione viuificat, quo fit vt fructus ſequantur, qui hominem innouatum & planè alium factum eſſe teſtentur. Quicunq; enim paulò ante ſpiritualia non capiebat, verbo & ſpiritu Chriſti illuminatus, Deum agnoſcit, voluntatem Dei intelligit & tota mente in myſteriorum regni dei conſideratione verſatur. Adhæc, qui voluntatè habebat à dei voluntate diuerſiſſimam, mox mutatus ijs oblectatur, & ea velle incipit, quæ deo placere poſſunt. Idemq; viribus nouis ſe inſtructum ſentit, vt qui antea totus languiebat, & ſe miſerū eſſe clamabat, nunc omnia poſſit in Chriſto Ieſu, qui ipſum confortat. Phil. 4. Quia verò Chriſtum Ieſum & verbum eius fide amplectimur, fide etiã regenerari dicimur, & filij dei ſunt, quicunq; in Chriſtum credunt, iuxta illud Apoſtoli: Quotquot illum receperunt, dedit eis vt liceret filios dei fieri, videlicet his qui credidiſſent in nomen ipſius. Ioan. 1. Quæcunq; ergo de filiis dei tam hic quam alibi in ſcripturis dicuntur, de ſolis credentibus in Chriſtum debent intelligi.

Quid verò de illis pronunciat? Scimus (inquit) quòd qui ex deo natus eſt, nō peccat. At paulò antè ſcripſit: Si quis viderit fratrem peccatè, oret pro eo. Et ſupra Cap. 1. ait: Si dixerimus, nos non habere peccatum, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Item: Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus Deum, & fermo eius non eſt in nobis. Num ergo ſibi ipſi contradicit Apoſtolus, cum modò fidelem peccare neget? Nequaquam: ſed peccandi verbo bifariã vtitur. Primum enim per peccatum omne illud intelligit, quod contra legem & voluntatem dei, ſiue dicto ſiue facto, committitur, & ſic omnes nos peccatores eſſe pronunciat, quia in multis labimur omnes, & iuſtus quoq; in die cadit ſepties. Iac. 3. Prouerb. 24. Omnibus ergo nobis & Chriſto ſaluatore, & mutuis precibus opus eſt. Rurſum verò peccatum pro deuoto peccandi ſtudio & incurabili licentia ſumitur, quæ impios exagitat, & damnationem ſempiternam meretur. Hi enim non contenti peccauiſſe (vt nuper diximus) in peccatis etiã gloriantur, ſuperbiunt, & gaudent cum malè fecerint. Hoc ab ijs, qui per fidem renati ſunt, alieniſſimum eſt. Quia enim filij dei ſunt, deo patri placere ſtudent. Non poſſunt ergo illis non diſplicere, quæcunq; contra eius voluntatem ab ſe & alijs vidènt eſſe comiſſa. Et vt per carnis infirmitatem quotidie impingunt: ita iugem & indefinentem pœnitentiam exercent, ne peccatorum cœno toti immergantur. Peccare igitur ſe agnoſcunt, ſed peccato ſeruare & viuere non poſſunt, eò quòd peccato mortui cum Chriſto ad vitæ nouitatem reſurrexerunt. Rom. 6. Conſtat ergo ex Apoſtoli verbis, fideles & dei filios non eſſe, quotquot deuotis animis peccandi ſtadium ſectantur & pœnitentiam admittere nolunt.

Cæterum non contentus oſtendiſſe quid non faciant fideles, ſimul etiam quid faciant & quibus ſtudijs occupati ſint, indicat. Qui ex Deo genitus eſt (ait) ſeruatur ſeipſum, & malus ille eum non tangit. Seruat ſeipſum, id eſt, cuſtodiam ſibi ponit, & in dei timore atque reuerentia ſeſe continet, ne peccandi libidine abreptus, à gratia dei excidat. Quia enim vita hæc perpetuæ militiæ, vel ſeruentis Oceani & tempeſtatis inſtar eſt, fidelis ceu in ſpecula conſtitutus, omnes mundi & principis ipſius aſſultus ſolicitè obſeruat, ne forte ex gradu ſuo deiciatur, vel hoſti tam improbo aliquid contra ſe agendi occaſionem præbeat. Procul igitur à Dei filiis abeſt ſecuritas, quæ multos à via ſalutis tranſuerſos rapit, & inextricabilibus vitiorum laqueis implicat. Apoſtoli enim præceptum nunquam non obſeruant, qui nos in timore & tremore ſalutem noſtram operari iubet. Phil. 2.

Nemo tamen hoc ita accipiat, quaſi noſtrarum virium fit, noſ ipſos ſeruare & cuſtodire quominus peccemus. Quid enim hic homo faciat, qui in peccato conceptus & natus, peccati legem in membris ſuis ſentit, quæ ipſum, inuito quoq; & multum reluctantè ſpiritu Chriſti, captiuum ducit? Rom. 7. Miſerum certè & deploratum præſidium, ſi ex nobis dependet noſtræ ſalutis cuſtodia. Non ædificat domum qui laborat, ſed dominus qui laboribus illius benedicit. Fruſtra excubiæ agunt vigiles, niſi Dominus ciuitatem cuſtodierit. Pſalmo 127. Et in ſalutis negotio tantum

Vt fidelis nō peccet.

Fidelis ſeruatur ſeipſum.

Salutis cuſtodia proprie Dei eſt.

fibi aliquis tribuere audebit, quasi hic sibi ipsi sufficiat, seq; ab interitu præseruare possit? Sciamus ergo, solius Dei esse nostræ salutis custodiam, qui nisi suo spiritu nos ducat, sustineat & regat, ex nobis ipsis nihil nisi peccare possumus. Ideo Christus discipulos patri cõmendat, dicens: Serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi. Item: Serua eos à malo. Ioan. 17. Eius ergo opem & nos inuocare conuenit, & ab illo petere principalem illum & regium spiritum, qui mundi illecebras calcare, carnis lasciuia coercere, & peccati vires infringere possit. Iungatur precibus ardēs verbi Dei studiu, quod nobis lucernā fecit Deus, qua in mundi tenebris dirigamur. Interim quicquid boni à nobis prodierit, omne hoc Dei gratiæ solidum trāsribamus, nec in nobis, sed in illo solo gloriamur.

Fideles non tangit diabolus.

Addit his alterum quoque Apostolus: Et malus ille non tangit eos, id est, non lædit, non sic inuadit, vt perdat. Cupit quidem & illos perdere, quia homicida est, & semper ceu leo rugiens querit quem deuoret. Sed vt in Christum Iesum, qui caput nostrum est, nihil iuris habet: ita nec in fideles, qui Christi sumus membra. Nulla enim damnatio his, qui sunt in Iesu Christo. Roman. 8. In Ægypto olim illorum primogenita cædebat vastator angelus, quorum limini sanguis agni aspersus non erat. At quia nobis Christi sanguis aspersus est, & per hunc à peccatorum sordibus ablutimus, manum in nos extendere non audet hostis ille quantumuis crudelis & improbus. Potest huc referri, quod in Apocalypsi signantur serui Dei nostri, ne illis noceant, quibus nocendi potestas data est. Apocal. 8. Et ij duntaxat damnandi esse dicuntur & plagis subiacent, qui bestiarum characterem acceperunt. Apocal. 16. & 19. Hoc ergo soletur nos contra satanę artes & conatus improbos, quod illi nihil contra nos licere scimus, nisi permittente domino, qui cum fidelis sit, non sinit nos tentari supra id, quod ferre possumus. 1. Corinth. 10. Resistamus fortes in fide hosti nostro diabolo, & fugiet à nobis. Iac. 4. Idem facere solet, quod Thrasones & Thrasycatachæ, qui vbi se metui sentiunt, horrendum in modum sæuiunt & cœlum terræ miscere velle videntur. At vbi in eos incidunt, qui minis eiusmodi affueuerunt, & forti animo iniuriam & insolentiam abs sese repellunt, illico perterriti minas intermittunt, & maximos nebulones se esse declarant, qui paulo ante viri videbantur fortissimi. Ita hostis noster satan, licet Christi potentia & merito deuictus sit & ex armatus, vult tamen aliquis videri, & ijs quoq; negotium facere audet, in quos sibi nihil licere nouit: quos modò pmissis, modò minis petit. Quòd si infirmiores cedat, illorū infirmitate ipse vires colligit, & quotidie ferocior redit. Vbi verò eosdē animis receptis sese fortiter opponere videt et suas artes detectas intelligit, fugā molitur, et in media pugna conatū suū intermittit, q̄ paulo ante victor videbatur. Quoties ergo ille pollicetur, mendacē esse cogita, nec quicquā præstare posse. Quoties minatur, victū esse intelligas, nec illi ius esse, vt illis manus iniiciat, quos Christus redemit. Sūt enim in omnipotentis illius pastoris tutela, qui oues suas manibus suis eripi non patitur. Ioan. 10.

Fideles non offendit vniuersalis mundi corruptio

I I. Scimus quòd ex Deo sumus, & mundus totus in malo constitutus est. Pertinent hæc ad explanationem eorum quę dixit, & occultā habent exhortatiunculā ad innocentiam & sanctimoniam studium. Sunt enim qui facile concedunt, quęcunq; hætenus de fidei virtute dixit Apostolus. Fatentur fide nos filios Dei fieri, & ea gratia donari, ne peccemus ad mortē. Hærent aut in eo, quòd dubitant num filij Dei sint, & ex eorum numero, quos pater in filio suo Iesu Christo saluare decreuit. Terrentur insuper mundi exemplo, quem per omnia corruptum esse, & damnationi subiacere vident. Metuunt ergo, ne vniuersalis totius mundi corruptio ipsis quoque noceat, & aliquam iniiciat salutis ipsorum remoram. Quid enim (inquit) in meam gratiam faceret Deus? Num pauculos nos aliquo priuilegio dignabitur, toto mundo, vt par est, pereunte? Cæterum cogitationibus hisce pauca hæc opponit Ioannes, quæ vt breuia sunt, ita consolationem singularem & eximiam continent. Scimus (inquit) quod ex Deo sumus, & mundus totus in malo constitutus est. Magna est in Apostoli verbis grauitas, & sancta confidentia. Nec enim se melius quiddam sperare, aut opinari dicit: sed Scimus, inquit. Quasi dicat: Dubitent de salute & gratia Dei qui fide carent: metuant mundi conscclerationem, & ignorent salutis viam, quicunque huic coniuncti sunt. Alia longè & potior multò est nostra conditio. Quia enim fidē in Christum habemus, per eandē spiritū Christi accepimus, qui in animis nostris de Dei gratia & regni cœlorū hereditate nobis testimoniū fert, & salutis nostrę arrhabo est. Per hunc instructi, scimus, nos ex Deo natos esse, nec dubitare possumus, cum filio Dei vnigenito iubente ad illum clamemus, Pater noster qui es in cœlis, &c. Non moramur ergo infelicem hunc mundum, qui vt totus in malo constitutus est, & suæ malitiæ pœnas aliquando sustinebit: ita nobis nocere non poterit, quos ab eius cõmercio Christus iam olim separauit. Ioan. 15.

Fideles sciūt quæ salutis seruiunt.

Expendamus hic aliquantum nostræ fidei dignitatem, de qua licet multa hucusq; dicta sint, iuuat tamen plura adhuc dicere, imò eadem repetere nō est infrugiferū. Sciunt se ex Deo genitos esse, quicunq; in Christū Iesum credunt, & quia hoc sciunt, nō possunt quicquam illorū ignorare, quæ ad

que ad salutem ipsorum spectant. In Christo enim, qui nobis à patre sapientia factus est, & in quo repositi iacent omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, vident quicquid hominem videre & scire oportet. Confer cū hac certa & infallibili salutis cognitione arrogantem philosophorum sapientiā, quam illi olim professi sunt, & stultissimos videbis fuisse, quos mundus pro veris sapientibus admiratur. Platoniorum princeps Socrates, hoc vnū se scire dicit, quod nihil sciat. Quid ergo tot noctes vigilate profuerunt, quid lectio assidua, quid disputationes crebræ, quid tam diu exercitatum ingenij acumen, quid labores tam assidui vtilitatis attulerūt, si nihil scit Socrates? Nec est, quod hanc vocem temere elapsam putemus. Verè enim sentiebat se nihil scire eorum, quæ hætenus magno studio inquisuerat. Siquidem constat omnes philosophos in hoc sudauisse, vt summū bonum inuestigarent, & scirent, qua in re hominis felicitas & vera beatitudo consistat. Hæc cū in solo Christo sit, quem & Platonici cum schola sua vniuersa, & Peripaterici adeo quæ omnes philosophi ignorauerunt, reuera nihil sciuerunt, & ignorantiam hanc Socrates, qui eius cador fuit, dissimulare noluit. Sed ò infelicem, qui pro ea sapientia mortem subeundam esse putauit, quæ eū nihil scire fecerat. Quòd si philosopho tam celebri fidelem conferas, non quidem aliquē ex doctorum numero, sed opificem aliquem mechanicum, pastorem, rusticum, nautam, imò puerum aliquem in fidei principis institutum, is magna cum securitate & confidentia se scire fatebitur, & verè quidem profitebitur, quod Socrates, quod Plato, quod Aristoteles, Zeno, & quotquot alij vnquam fuerunt, ignorauerunt. Num ergo stultitia aut leuis præsumptio videbitur, si pro Christo & veritate certò sibi comperita & cognita mortem adeant Christiani homines, cum in philosophis olim tantum valuerit inanis sapientiæ persuasio?

Socrat. scit, quòd nihil scit.

Quid verò illud est, quòd tam certò sciunt fideles? Duo cōmemorantur ab Apostolo: nimirum quòd ipsi filij Dei sint, & quòd mundus hic totus in malo constitutus sit. Si filios Dei se esse norunt, utiq; de Dei patris patrocinio & protectione dubitare non possunt. Cur enim filios suos tam clemens pater negligeret, cum iuare illos & possit & velit? Potest equidē, quia dominus est exercituum, & pro suo nutu omnia administrat. De voluntate eiusdem nemo dubitat, qui filium eius vniuersum pro nobis in mortem datum esse nouit. Nec est, quòd mudi corruptum statum nobis obesse timeamus. Nam solidum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Nouit dominus qui sint sui. 2. Tim. 2. Idem quoq; inter suos & impios huius seculi filios sic discernit, vt paucissimos ex vniuersali aliorum interitu facile liberet, quod exemplis euidentissimis sæpe declarauit. Cum enim prophanus Dei & religionis contemptus vniuersum terrarum orbem sic occupauisset, vt vnus Noe inueniretur, qui Deum verum agnosceret, & coleret: vnum illum arcæ præsidio cum suis seruat, cum reliqui omnes dignum impietatis supplicium sustinerent. Eodem & Loti historia referri debet, cui incurabilis Sodomæorum impietas non obfuit, quòd minus imminens illis supplicium effugeret. Procul ergo pellendus metus ille, qui ob aliorum impietatem aliquando oboritur. Iustus enim & clemēs est dominus, qui pilos caputem nostrorum numeratos habet, gemitus nostros audit, & curam nostri deponit nunquam.

Fidelibus non obest mundus corruptus.

Cæterum officij quoq; hæc sentētia admonet. Si enim ex Deo nos genitos esse scimus, & patre tam sancto gloriamur, utiq; nostrum erit, vitam tanto patre dignam viuere. Inter homines equidem sic comparatum est, vt viri boni & honesti filios degeneres ferre non possint. Cur ergo Deus ferret eos, qui moribus, vita & ingenio ab ipso diuersi sunt? Sunt autē pauca capita, quibus vitæ Christianæ institutio comprehendere potest. Primum ex his est, vt Deum, cuius filij facti sumus per fidem, super omnia diligamus ex toto corde nostro & totis viribus. Deut. 6. Si enim parentes diligimus, ex quibus in vitam hanc lachrymarum plenam sumus progeniti, cur non maiori dilectione Deus dignus est, qui ad vitam æternam, & regni sui consortium regenerat? Viuum verò & efficacem amorē Deus requirit, cuius certa videri possint signa vel argumenta. Sunt hæc, Verbi Dei studium, & præceptorum eiusdem obediētia. Non potest patris sermone satiari frugi filius, nec vnquam admonitiones patris fastidit. Ita fidelē verborū Dei satietas nunquā capit, sed totus ab eius ore dependet, & in lege ipsius dies et noctes meditatur. Psalm. 1. 19. Coniungit autē verbi studio obedientiam, ne ex eorum numero sit, qui vita abnegent eum, quem ore profitentur. Fugit ergo peccatum omne, cuius eam atrocitatem esse nouit, vt sanguine filij Dei expiari oportuerit. Excitantur autem ad hoc studium vehementer fideles, cum mundum hunc omnem in malo constitutum esse intelligunt. Cur enim huius exemplum sequerentur, quem tam profligatæ impietatis esse sciunt? Cur eius amicitiam quærent, & ambirent, quem Deo iniurum esse omnis scriptura testatur? Nec etiam minas mundi timere possunt, cuius principem Iesus Christus tam gloriose & potenter deuicit. Imò hoc vnum pulchrum, honestum & laudabile esse existimant, si contra mundum & principem eius Christi auspicijs constanter pugnent.

Fideles vitā Deo patre dignam viuunt.

C A P V T V.

Hæc totis animis recondant, qui fidei & Christi nomine gloriantur. Fide filij Dei efficiuntur. Horum proprium est, non peccare ad mortem. Lapsi enim resurgunt & Deo viuunt. Amplectamur ergo iugis pœnitentiæ studium, vt & hoc signo pro Dei filijs in extremo iudicij die agnoscamur, & Dei patris hæredes simus cum filio eius vnigenito, Iesu Christo, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXXVI.

Scimus autem quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum uerum Deum. Et sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus, & uita æterna,

Dominus & saluator noster Iesus Christus apud Lucam ait: Nemo, qui manu sua aratro admota respexerit à tergo, aptus est regno Dei. Et alibi eandem sententiam clarius explicans: Qui perseverauerit (inquit) usque in finem, saluus erit. Matth. 24. Prudenter ergo Ioannes apostolus, ubi fidem in Iesum Christum docuit, ad perseverantiã in fide nos hortatur. Et quia tentationes multæ sunt, quibus à fide abduci solemus, diligenti enumeratione fidei fructus præcipuos recenset, vt eius consideratione animati, aduersa omnia cõstanter superemus. Pertinet eodem & præsens hic locus, qui breuem omnium eorum, quæ in Christo Iesu nobis præfita sunt, summam comprehendit. Primo enim promissum humani generis saluatorem uenisse docet. Deinde quid is nobis contulerit indicat. Meretur autem rei grauitas, vt singula, quæ dicuntur, diligenti studio excutiamus.

Argumentum
presentis loci.

Promissus saluator
uenit.

Christus est promissus
ille saluator.

Cur filius Dei uenit.

I. Scimus autem, quòd filius Dei uenit. Breui sententia eos confutat, qui de salute nostra dubitant, & alios saluatores præter Christum Iesum expectant. Sic enim dicere uidetur: Constat ex omnibus ueteris Testamenti libris, Deum à prima mundi origine filiũ suum promississe, qui constituto tempore ex muliebri sexu homo fieri, & humanũ genus suo merito ex damnationis & mortis tyrannide asserere debeat. Hunc uidere & audire desiderauerunt omnes iusti & propheta. Huius diem uidere exultauit Abraham. Imò in hunc respicere cupierunt angeli. Sed quæ illi præsentem cernere & excipere non potuerunt, temporis angustia & mortis necessitate exclusi, eũ nos in mundum uenisse, & saluatorem factum esse, scimus. Non igitur cum Iudeis Messiam expectamus alium, nec eos admittimus, qui salutis rationem aliã nobis mōstrant, quã quæ in Christo Iesu nobis cognita & perspecta est. Expressè autem sciendi uerbo utitur, vt & supra. Sic enim fidei & salutis nostræ certitudinem indicat, quæ argumentis multis & efficacissimis probari potest. Pertinent huc promissiones ab ipsa mundi origine factæ, vnã cum typis legalibus & oraculis prophetarum de Christo Iesu uniuersis. Exprimuntur his & tempus Messia, & locus natiuitatis, uita deniq; cursus, miracula, mors & resurrectio. Quæ si cum ijs conferantur quæ Christus tum fecit tum passus est, nemo tam stupidus & hebes fuerit, qui non hunc ipsum in euangelio describi & monstrari intelligat, quem ueteres olim uenturum expectarunt, & de quo, instigante ipsos spiritu sancto, locuti sunt. Videt hoc populus Hierosolymitanus, dum de Christo saluatore dubitantibus respondet: Christus cum uenerit, num signa plura edet his, quæ hic edidit? Ioan. 7. Et ipse dominus eadem de causa tam Iudæos quã discipulos suos ad Mosem & prophetas relegat, vt eum saluatorem datum esse intelligant, quem illi uenturum prædixerunt. Ioan. 5. Luc. 24. &c. Est tamen & aliud huius fidei & cognitionis testimonium efficacius, illud nimirum, quod spiritus Christi in animis nostris exhibet, qui de Christo saluatore nos ita certos reddit, vt de salute per illum parta nullo modo dubitare possimus, sed in tentatione quauis cum Ioanne libere fateamur: Scimus, quòd filius Dei uenit, & nobis saluator atq; redemptor factus est. Cæterũ licet sententia hæc & breuis & dilucida sit, non tamen tam facillè præteriri debet, quin quædam in hac diligentius inuestigemus. Primo loco causa, propter quam Dei filius in mundum uenit, consideranda erit. Confer enim supremam illam & æternam maiestatem filij Dei, quam in sinu patris habuit, priusquam in mundum hunc ueniret, cum ea conditione, quam in terris hæc miseram, calamitosam & plenam doloris atq; lachrymarum sustinuit, & mirum uidebitur, Dei filium in hanc omnis miseræ palæstram descendere uoluisse. Causam uerò ipse in euangelio explicat, dum se medicum uenisse dicit eorũ qui ægrotant. Matth. 9. Et alibi absque omni uerborum inuolucro ait: Filius hominis in mundum uenit, vt saluet quod perierat. Matth. decimo octauo. Ad quod dictum Paulus respexisse uidetur, cum

cum inquit: Fidelis vel certus sermo, & dignus quē modis omnibus amplectamur, quōd Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret. I. Tim. I. Sed & angelus priusquam Christus ē virgine nasceretur, Iosepho in somnis hunc ipsum finem indicat, cum de virginis pudicitia dubi tanti dicit: Quod in illa conceptum est, à spiritu sancto profectum est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Matth. I. Causa ergo vnica aduentus Christi in carnem est, salus & redemptio humani generis. Quia enim omnes nos peccatores sumus, & peccati noxa capitalis est, quæ damnationis & mortis pœnam meretur, Dei filius homo fieri voluit, vt frater noster factus causam nostram suscipere, peccata nostra in se trāsferre, & eadem sui sanguinis precio expiare posset. Quare quæcunq; de filio Dei, Iesu Christo, vel legimus vel audimus, non eo loco habeamus, quo historiē clarorum virorum haberi solent: sed in omnibus istis nostræ salutis causam agi intelligamus, quæ propter vniuersalem humani generis corruptionem aliter parari & acquiri non potuit.

Confutantur itaq; hoc loco, quotquot Christum Iesum saluatorem quidem esse fatentur, interim verò alijs quoq; medijs eos saluari posse existimant, qui à fide & cognitione Christi sunt alienissimi. Tuentur sententiam hanc multi, eò quōd ad mundi amicitiam acquirendam percommoda est, & cum charitate coniuncta esse videtur. Adhæc multi, cum in Turcis & Iudæis vitæ puritatem, disciplinæ publicæ seueritatem, & iustitię studium ardentissimum vident, rem indignam esse existimant, si quis illos propter vnus Christi ignorantiam damnatorum numero addicere, & non potius salutem, tantorum operum præmium, illis tribuere velit. Sed hallucinatur omnes illi partim quōd operibus nostris salutem tribuunt, & nostris meritis in cœlorum regno aliquem locum deberi putant, partim quōd de æterno Dei consilio nimis oscitanter pronunciant. Si enim illud penitius inspicerent, & secundum hoc de religione omni & salutis ratione iudicarent, mox viderent, non errorem modò, sed blasphemiam & impietatem horribilem esse, si quis vnumquenq; in sua fide & religione saluum fieri posse asserat, nec necessarium esse putet, vt vnum Iesum Christum omnes amplectantur. Ea enim sententia omnes in Deo virtutes negat & euertit, iustitiam dico, bonitatem & misericordiam, veritatem, sapientiam, imò ipsum Deum, qui si has dotes illi adimas, Deus nō erit. Nam si alijs quoq; medijs, extra Christum institutis, homines saluari possunt, superuacaneū est omne hoc Iesu Christi pro nobis incarnati, crucifixi & mortui negotium. Quæ ergo hæc erit Dei iustitia, quæ filium vnigenitum, obedientissimum, & omni carentem labe atq; macula, temere diris hisce cruciatibus obiecit, & peccata nostra tā horribili supplicio per illum expiari voluit, cum ad illorum expiationem quiuus Dei cultus, humani ingenij zelo excogitatus, sufficeret? Quis item Deum hunc sibi propitium & clemētem fore pollicebitur, quē in filio suo tam crudelem & immitem sine omni causa fuisse videt? Præterea verax non erit, qui in verbo suo vni cui saluatoris Christi subinde meminit, si extra hunc infinitæ aliæ salutis viæ inueniri possunt. Similiter sapientiæ laudem omnem amittet Deus, si cum aliæ essent saluandi humani generis rationes, hanc instituere voluit, quæ vt omnium difficillima fuit, ita filium vnicum pœnis tam horrendis subiecit. Hæc ergo maiori studio & vigilantia expendentes Apostoli, nunquam eò peruenire potuerunt, vt sententiam hanc tam plausibilem proponerent, quæ omnes omnium gentiū religiones pro talibus agnoscat, in quibus homines salutem possint consequi. Quæ si vera est, nō Dei modò virtutes euacuat (vt modò demonstrauius) verumetiam extremæ stultitiæ damnat martyres Christi omnes, qui pro ea fide & religione mortem subire voluerunt, quæ non sola seruat, & eas tam pertinaciter cum vitæ iactura damnarunt, in quibus perinde, vt Christiana, saluari poterāt. Sed absint hæc à Christianis pectoribus procul, quibus tolerabilius multò est, omnes Iudæos, Turcas, & quotquot Christiani nominis hostes sunt, damnationi subijcere, quàm tam fœda & impia de Deo Opt. Max. cogitare. Valeant ergo cum sua carnali prudentia, qui hominum maiorem quàm Dei rationem habere didicerunt. Nos cum Apostolis credamus, & ingenuè fateamur, Dei filium Iesum Christum in mundum venisse, nec aliud nomen sub Sole hominibus datum esse, in quo possint salui fieri, præter nomen Iesu. Acto. 4.

Cæterum non contenti causam, quæ Christum vt in mundum veniret commouit, inuestigasse, simul eam quoq; inquiramus, quæ Deum patrem, vt illum mitteret, impulit. Indicat hanc ipse Christus, dum in euangelio ait: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum traderet pro mundo, vt omnis qui credit in eum nō pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 5. Paterni ergo amoris affectus causa fuit, quæ Deum mouit, vt filij sui morte nostram vitam & salutem redimeret. Vt enim graue est pio patri, filium periclitantem videre: ita Deus clementissimus pater illorum vniuersalē interitū ferre non potuit, quos mero suæ gratiæ beneficio primitus creauerat. Et quia inter ipsius bonitatem & iustitiam, quæ in hac salutis nostræ causa collidi videbatur, alia via

Circa eos, qui omnes religiones Deo placere posse putant.

Cur Deus filium miserit.

Salus nostra gratuita est.

non restabat, præter filij Dei incarnatio & mors, eam inuenit & præuidit ab æterno Dei sapientia, & filium hunc nobis saluatorem prædestinavit ante mundi creationem, ac nouissimis temporibus in carne manifestauit. 1. Pet. 1. Eph. 1. Horum consideratio de duobus cognitu perquam necessarijs nos admonet: Quorum prius est, quòd salutem nobis gratuitò obtigisse videmus: alterum, quòd officij nostri admonemur, quo Deo obstricti sumus. Nam vt supra Ioannes monuit, dilectio Dei in hoc est, non quòd nos priores ipsum dilexerimus, sed ipse dilexit nos, & dedit filium suum pro nobis. Et Paulus nos ante filium datum inimicos Dei fuisse testatur. Rom. 5. Quid enim habet homo, si Christum auferas, quò se Dei amicum esse gloriari possit? Nam quia peccatum vndique cernitur, nunquam non & eius pœna sese oculis nostris ingerit. Exemplum huius rei luculentum in primis parentibus habetur: qui cum peccauissent, nihil in semetipsis, præter turpem & pudendam nuditatem inuenire potuerunt, nec profuit carnalis industria, quæ perizomata contextere docebat, sed voce & aduentu domini perterriti, fugam ceperunt, quasi eum vel fugere vel latere possent, cuius oculi omnia vident, & cuius potentia vbique præsens est. Et nisi dominus illos reuocans pedem sistere coegisset, fugiendo æternum sibiipsis interitum asciuissent. Eadem est totius posteritatis Adamicæ conditio. Fugimus à conspectu domini frequenter, & frivolis rebus nostram turpitudinem tegi posse putamus. Sed nequicquam. Vt primum enim diuinæ iustitiæ vox intonat, totis animis confternati, nos & peccatores & modis omnibus infelices esse sentimus. Vt verò primos parentes Deus vocare dignatus est, & saluatorem promisit, qui ex muliere homo nasci debuit: ita passim verbo gratiæ nos vocat, & trementes atque morte dignos ad se inuitans, æternæ vitæ præmia in se credentibus pollicetur. Vehementer ergo eos falli constat, quicumque suis operibus & propriæ iustitiæ confidunt. Quia enim in vno Iesu salutem contineri omnis scriptura affirmat, is autem ex gratia datus est, nemo non videt, omnem nostri meriti fiduciã prorsus excludi.

Salus gratuita non vetat bona opera.

Nec tamen doctrinam hanc, quasi bonis operibus inimicã, aliquis aspernari debet & damnare. Licet enim nulla sint nostrorum operum merita, non tamen bonorum operum studium ideò intermittere debet, quòd à nobis maximo & optimo iure exigit dominus, pro sua in nos beneficentiã. Etenim cõmunis sensus hoc monet, vt nostri amantes redamemus, & gratitudinis officia sedulo præstemus erga eos qui beneficia in nos conferre student. Quapropter cum summæ dilectionis & beneficentiæ opus in nos exercuerit Deus, qui nec filiũ negare voluit, cũ illo nobis opus esset, quis non intelligit, nostrum esse, vt & ipsi Deum ex toto corde & omnibus viribus diligamus, nec quicquam tanti apud nos fieri patiamur, cuius amor & studium nos ab eius obseruantia abstrahat? Postulatur ergo hic à nobis nostris ipsius abnegatio, vitiorũ fuga, carnis mortificatio, vitæ totius innotuatio & indefinens Deo placendi studiũ, quæ & verè bona opera sunt, & sola Deo placere constat. Hæc qui nec præstat, nec illorum studio vel mediocriter tangitur, fateatur, se Christianæ fidei mysteria nondum, vt par est, cognouisse, & nudo tam egregij tituli splendore gloriari desinat.

Christus sapientiam confert.

II. Et dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum verum Deum. Pergit exponere salutare fructus quos sua incarnatione & aduentu suo in mundũ Christus nobis contulit. Et in præsentem quidem, per Christũ veram sapientiam nobis datã esse docet, qua verum illum Deũ cognoscimus. Nam vt solus Deus vera & æterna sapientia est: ita sapiens vocari non meretur, nisi qui huius cognitionem veram habuerit. Quæ quia in Christo offertur, idẽ nobis (vt Paulus ait) à Deo patre sapientia factus est, & in illo thesaurũ scientiæ & sapientiæ recõditos habemus. 1. Cor. 1. Col. 2. At qui cũ primis memorabile est Christi beneficium, quòd Apostolus hoc loco cõmemorat. Constat enim in veri Dei cognitione errauisse, quotquot vnquã sine Christo illam inuestigare studuerunt. Notæ sunt philosophorum disputationes, quæ vix immensis voluminibus contineri possunt: quibus tamẽ omnibus illud Paulinũ competit: Cum se putarent sapientes esse, stulti facti sunt. Rom. 1. Si militer in Iudæis quoque eiusdem rei exempla habentur. Quotquot enim in Dei cognitione & cultu sine Christi notitia versati sunt, turpissimè impegerunt, talẽ Deum fingendo, qui amputati præputij ceremonia, sacrificijs, suffitibus, aspersioibus, diebus festis, cœtibus splendidis, & alijs eiusmodi rebus delectetur. Qui error prophetarũ sermonibus argumentũ præbuit, quibus frigidæ Cere moniarum legis obseruationes acerrimè insectati sunt. Denique, Deum nemo vidit vnquã, sed vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, Ioan. 1. Et solus eã Dei cognitionẽ in nobis operatur, in qua ipse vitã æternam cõsistere docet. Ioan. 17. Porro, vt id fiat, diligentius paulò examinãdũ erit, vt viã discamus, quã eos tenere conuenit, qui in Dei cognitione cũ fructu versari volunt.

Vt Christus Dei cognitionem conferat.

Primò, Christus expressa imago est substantiæ Dei, vt qui hunc videt, simul & patrem videt. at. Heb. 1. Ioan. 14. Cum ergo se nobis cognoscendum & fruendum offert Christus, quid aliud facit, quàm quòd copiam facit Deum verum cognoscendi? Facit huc, quòd in Christo omnes Dei virtutes luculentissimè cõspiciuntur. Nullum quippe est euidentius diuinæ iustitiæ argumentũ, quàm

quàm quòd filij sui morte peccata expiari voluit. Nullum certius bonitatis & misericordiæ Dei signum, quàm quòd filium pro mundo, imò pro hostibus, tradere dignatus est. Veritas quoque Dei infallibilis in eo cernitur, quòd promissum saluatorem eo tempore & loco dedit, quo illum erat pollicitus. Sapientia item Dei immensa & inscrutabilis in eo cernitur, quòd eam salutis viam (vt paulò ante dictum est) inter bonitatem & iustitiam inuenire potuit. Similiter & omnipotentia Dei inuicta virtus apparet, quòd per filium suum, vili hominis specie amictum, omnem principis huius mundi tyrannidem deuicit. Quid multis? Nihil in Deo est, cuius non viuum exemplar in Christo Iesu videre liceat. Cæterum, quia ea est nostræ carnis cæcitas, & tanta salutis nostræ negligentia, vt pauci hæc obseruent, quæ in Christo proponuntur, non contentus in se hæc delectauisse, doctrinam quoque adhibet, quæ viuò & eterno Dei verbo de singulis instituit, quæ in Deo cognoscenda sunt. Accedunt doctrinæ sacramenta, quibus maximorum beneficiorum Dei visibilia signa, non oculis modò & auribus, verum etiam manibus percipienda offeruntur. Adde his & spiritum Christi, quem fideles ceu domesticum doctorem in animis suis quotidie audiunt, & per hunc plenissimè docentur omnia ea, quæ ad Dei & salutis cognitionem pertinent. Agnoscamus ergo tam insigne Dei beneficium, in Christo Iesu collatum, et cogitemus solum hunc nobis diuinitus doctorem & magistrum datum esse, cuius verba quisquis affert, audiri meretur. At qui diuersum docere audet, aut aliena ab illis, quæ ipse tradidit, fide dignus non est, etiamsi angelus fuerit sum de celo delapsus. Gal. 1. Non est ergo quòd scholas & superbos doctorum titulos, & principum auctoritatem nobis obijciant, qui nostræ fidei & doctrinæ contradicunt. Quia enim Christum doctorem in euangelio audimus, omnes eos, qui diuersa & aliena ab hoc afferunt, facillè contemnimus. Scimus enim nobis dictum esse à Deo patre, Hunc audite. Matth. 17. Scimus illum suis dicere: Vnus est magister vester, nempe Christus. Matth. 23. Sed & olim sponsæ Christi, ecclesiæ dictum est. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui, &c. Psalmo 45. Facit huc quòd passim in scripturis inculcatur, in Christi regnò fideles nos hominum discipulos, sed *theod. relatiuos*, id est, diuinitus edoctos fore. Isa. 54. Iere. 31. Ioan. 6. Et Christus diuersis verbis ait: Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quisquam nouit, nisi filius, & cuiusque voluerit filius reuelare. Matth. 11. Verè ergo sapientes & in Dei cognitione instructi erunt, quicunque Christum doctorem & magistrum amplexati fuerint. Sed videamus alium quoque fructum, quem Christus in fidelibus suis operari consuevit. Addit enim Ioannes:

III. Et sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus, & uita aeterna. *Finis & scopus euangelij.* Comprehen- dit his uerbis finem totius euangelij, qui est ut Deo uniamur per Christum Iesum. Videtur autem hunc forti & irrefragabili argumento asserere. Quia enim Christum dicit uerum Deum esse, fieri nequit quin uero Deo uniti sint, quicunque per fidem Christo Iesu sunt insiti. Proponit hunc finem ipse Christus, cum in preceatione illa sua ardentissima patri dicit: Rogo ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: ut & ipsi IN NOBIS unum sint, ut credat mundus, quòd tu me miseris. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, &c. Ioan. 17. Unionis uel insitionis huius in Christum finis duplex est. Nam & in hac uita fructus fidei in nobis operatur, & aeternæ salutis uel beatitudinis causa est. Christus siquidem uitis est, nos palmites. Et ut palmes non fert fructum, nisi in uite manserit: ita nec nos sine Christo quicquam possumus facere. Ioan. 15. Et Paulus ob eam causam, iam non se uiuere dicit, sed Christum in ipso. Galat. 2. At qui Christo sic insiti sunt, ut ipse in illis uiuat, illi uerò in ipso fructificent, ab eodè in altero seculo separari non possunt. Vult enim Christus, ut ubi ipse est, simul etiam sint, quos pater ipsi tradidit, & ideo præcessit, locum nobis in celo paraturus. Ioan. 17. & 14.

Arguit locus hic illorum improbitatem, qui cum Christiani haberi uelint, minimè tamen in hoc sunt, ut Christo uiuant, aut illius spiritum uitæ suæ rectorem ducemque ferant. Sed toti mundo & carnis cupiditatibus dediti, ea studia sectantur, quæ à regno Christi sunt alienissima. Quæ ratione enim Christianus dici poterit, qui à sine Christianismi totus abhorret, dum non in Christo, sed in carne & mundo uiuere concupiscit? Vides ergo, quo sensu Apostolus dixerit mundi amicitiam esse inimicitiam cum Deo. Iac. 4. Quæ sententia, si animis nostris fixa insideret, ardentius multò in omnibus nobis cereretur fidei, puritatis & innocentia studio. Cogitemus ergo quòd affectibus transuersi rapimur, nos per fidem Christo uero Deo insitos esse, & proinde absurdissimum fore, si non Christo, sed mundo potius & satanæ uiuere studeamus. Pertinet huc Pauli locus, dicentis: An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem: ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus, &c.

Rom. 6. Et paulò post: Existimate vos ipsos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo per Christum Iesum dominum nostrum. Et alibi, vitam nostram cum Christo in Deo absconditam esse testatur. Col. 3.

*Christus verus
Deus.*

Præterea habemus hic euidentis diuinitatis Iesu Christi testimoniū, cuius infallibilis est contra omnem Arrianorum impietatem autoritas. Disertè enim & verbis minimè figuratis, Iesum Christum verum Deum & vitam æternam esse dicit. Vbi obseruabis eundem & verum Deum & vitam æternam dici. Si enim verus Deus est, ab æterno, & proinde patri coæternus sit oportet. Sic si vita æterna est, æternus quoque est quoad essentiam suam, & vt sine caret, sic principium quoque nullum habuit. Facit hoc ad eludendas Arianorū nostri seculi argutias, Seruetanorum dico, qui Christum Deum quidem esse fatentur, sed æternum esse negant, adeoque Deum fingūt, qui aliquando non fuerit, & vt Deus esset, aliunde acceperit, quando ex virgine natus, aut quando in cœlum assumptus est. At nos Apostoli verbis insistamus, qui & verum Deum, & vitam æternam esse dicit. Neque ex se hoc dicit, sed Christum dicentem audiuerat: Glorifica me pater apud te ipsum gloria, quam habui, priusquam hic mundus esset apud te. Quisquis ergo vel Dei cultor haberi, vel æterna vita frui volet, hunc amplectetur oportet. Magna est hæc nostræ fidei dignitas, quam Iudeorum & Mahometistarū blasphemijs opponere decet, qui nos nudo homine, eoque crucifixo, confidere & gloriari clamant. Qui enim carne assumpta verus homo natus est, & in Cruce pependit, idem verus Deus & vita æterna est. Nec Apostolorū modò testimonijs eius diuinitas probatur, sed talem olim prophetæ agnouerunt, & eadem infinitis miraculis declarata est. Nostrum est, Iesum Christum, qui verus Deus & vita æterna est, doctorem & saluatorem agnoscere, & vera fide eidem inferi, vt veri Dei cognitione instructi, fructus illo dignos seramus, & cū illo in cœlis viuamus, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A XXXVII.

Filioli, caute uobis à simulachris. Amen.

Quicumque in salutis causa siue negotio non inutiliter versari volunt, eos & vera Dei cognitione instructos esse, & veram cultus Dei rationem nouisse oportet. Vt enim Deo, quem ignoramus, nos coniungi impossibile est: ita nisi cognitum ritè colamus, inanis & superuacanea erit cognitionis Dei gloriatio. Vtrunq; verò habebit, quicumque Christum Iesum vere amplexus fuerit. Nam & expressa Dei imago est, quæ Dei naturam plenè cognoscendam proponit, & idem disertè monet, vt per fidem illi placere possimus. Quæ causa est, quòd in huius cognitione tradenda tanto studio Ioānes versatur. Cæterum quia à Deo & salute multis rebus abstrahi solemus, eas quoque non minus nouisse oportet, vt caueri possint. Dixit ergo tū de falsis doctrinis tum de mundo & huius studijs hucusque; Apostolus, quæ duo hic facillè primatum tenent. Comprehendit falsa doctrina cultus omnes, qui contra Dei verbum nostræ rationis suafu instituantur, inter quos simulachris omnibus ferè seculis primum locum celsisse constat. Non contentus ergo Ioannes de doctrinis falsis admonuisse, contra peruersum & impium simulachrorum cultum sub finem epistolæ peculiari præcepto nos instruit: quod vt breue est, ita breuitate sua singulari grauitate tegit. Cuius consideratio diligens haberi debet, cum plerique Christiani nominis professorum, id pro lusu iocòque habeant, quod tanto studio spiritus sanctus in scripturis prohibet. Et si verum fateri libeat, constabit nostro seculo tam Iudæos quàm Turcas diuini præcepti maiorem rationem habere, quàm eos qui Christi nomine & fide gloriantur.

*Argumentū præ-
sentis loci.*

*Filiorum appella-
tio.*

Filioli, caute uobis à simulachris. Filiolos appellat credentes, vt sæpe aliàs. Vtitur autem hoc nomine (vt in præcedentibus videre licuit) quoties de re graui & obseruatu dignissima admonere vult: quia hoc modo & sui animi beneuolentiam testari potest, & illos sui iuris, quod doctore vt patri in filios est, admonet. Perinde ergo est, ac si dicat: Mementote quæso, me non temere vos monendi prouinciam suscepisse. Per euangelium enim vos genui & Christo despondi virginem intemeratam. Exigit ergo patris officium, vt in posterum quoque vestri curam habeam, & de periculis imminentibus admoneam. Exigit vicissim filiorum officium, vt paterni pectoris affectum agnoscat, monentem audiat patienter, & obtemperetis sedulo: maximè, quando non filios modò agnosco, sed filiolorum loco habeo, quos tenerrimo amore totos complector.

*Propositionis ex-
plicatio.*

Quid verò illud est, cuius obseruationem huius tituli mentione commendare voluit? Caute vobis (inquit) à simulachris. Exposui hucusque salutis rationem omnem. Audiistis in Christo exhiberi veram Dei cognitionem, & in eodem nos cum Deo per fidem coniungi. In his ergo vos manere & solidos stare conuenit, nec committendum est, vt vos securitas opprimat. Instant vnde

diq; pericula ab ijs, qui falsos cultus vero præferunt. Sollicitat mundi amicitia, ne ea abominem i-
ni, in quibus hic religionem & salutem omnem cōsistere arbitratur. Hinc fit, vt & idolorum tem-
pla ingredi, & conuiuijs immolatitijs vesci multis non admodum graue sit, qui hoc sufficere pu-
tant, quòd animos vera Dei cognitione habeant instructos. Sed si cognitione dei vera non frustra
gloriamini, re ipsa testari vos conuenit, vos illum amare, & abhorrere ab omnibus, quæ gloriam
ipsum obfuscare solent. Id cum præcipuè imagines & simulachra faciât, illa vitare & ab ijs ceu pe-
ste aliqua cauere oportet, ne vel infirmis fratribus offendiculo sitis, vel consuetudine vulgari de-
cepti, Deum imaginibus aut exprimi & effingi, aut saltem aliquo modo coli putetis.

Porro, si præcedentia repetamus, videbimus, Ioannem eo ordine vti, quo deus ipse in Deca- *Ordo & coheren-*
logo vti voluit. Illic enim primò omnium de seipso loquitur, quis sit docet, & alienos deos finge- *tia loci præsen-*
re prohibet. Mox verò præceptum de imaginibus subiicit, quo omnem cultum falsum explodit. *tis, &c.*
Simili ratione prophetæ, quando de Christo & regno eius vaticinantur, sub quo verum dei cul-
tum instaurari oporteat, vbi huius formam tradiderunt, mox de simulachris agunt, & illa tunc
excindenda esse docent. Vide Isa. 2. 40. 44. Mich. 5. Zach. 13. &c. Hos ergo imitans Apostolus, vbi
veram veri dei cognitionem in Iesu Christo monstrauit, de simulachris admonés, nos ad dei præ-
ceptum relegat, vt discamus eum cultum deo offerri debere, quem ipse exigit, fugiendum verò
esse, quem olim tam vehementer abominatus est.

Cæterum vt olim Apostolis cum gentilium deorū simulachris certamen fuit, ita cū illis ho- *Christianorum si-*
die nobis pugna est, qui verum deum sanctosq; dei cultores, vita defunctos, simulachris coli pos- *mulachra probi-*
se & debere contendunt. Qui vbi diuinam legem & quæcunq; ex hac tam prophetæ quàm Apo- *bita.*
stoli monuerunt, allegantus, ea omnia duntaxat de gentilium deorum imaginibus intelligi debe-
re clamitant. Et hic quidem egregio, si dijs placet, commento vti consueuerunt. Nam inter idola
& simulachra distinguentes, illa quidem prohibita esse fatentur, vtpote in deorum gentilium ho-
norem facta, hæc verò non item, quia in dei veri & sanctorum ipsius honorem erigantur. At pro-
dunt hic suam ignorantiam, ne quid grauius dicamus. Quid enim attinet inter idolum & simula-
chrum distinguere, quando non eiuſdem linguæ voces sunt, quarum tamé significatio est vna &
eadem? Aut ergo monstrant aliã Latinam vocem, quæ quid idolum sit exprimat, aut simulachrū
nobis relinquunt, quo idem quod idolo significatur. Vel num negare poterūt, Romanos suis dijs
simulachra posuisse, cum id Latini scriptores passim doceant? Perinde itaque faciunt, ac si quis di-
cat non scortationem, sed *uopriat* in scripturis prohiberi.

Constat præterea eandem esse idololatriæ rationem apud Christianos homines, quæ olim a- *Eadem ratio ido-*
pud gentiles fuit, siue ipsa simulachra, siue eorum vsus cultūq; consyderes. De gentilium enim *lolatriæ apud ge-*
simulachris David loquens, ea ad hunc modum describit: Simulachra ipsorum sunt argentea & *tilis et Christian-*
aurea, opus quod manibus hominis producitur. Os habent, & non loquuntur: oculos habent, & *nos.*
non vident. Aures habent, nec audiunt: nasum habent, nec odorantur: Manus habent, nec palpāt:
pedes habent, nec ambulant, neque sonum edunt suo gutture, &c. Psal. 115. Quid verò ab his Chri-
stianorum simulachra differunt vel materia vel forma, vel etiam actionibus? Sed vt de forma plu-
ribus agamus, fingebat gentiles alium quidem senili, alium verò iuuenili habitu. Alius ceu iratus
fulmen librabat aut ensem, alius rursus miti & placido aspectu intuētes alliciebat. Inter deas alię
matronalem grauitatem referebant, alię lasciuiam & intemperantiam non obscure loquebantur.
Accedebant his & brutorum animalium formæ, vt Paulus ad Romanos scribit. Num verò hæc
omnia in Christianorum templis desyderantur? Sedet senili forma (imò ridicula, vt Augustinus
monuit) Deus pater, & filium adhuc cruentum atque lacerum sinu fouet. Insidet humero vel pe-
tori adhæret spiritus sanctus, adhuc columbæ speciem, in qua semel apparuit, referens. At cum
idem deus sit, num nos deo volucris formam affingere negabimus? Gladio armatus astat Paulus.
Cultro nudato cernitur Barptolemaeus. Eques cataphractus pugnat Georgius. Imò nullus ferè
diuorum inermis fingitur. De diuarum imaginibus pudet dicere, sed res ipsa loquitur, tali ferè
eas habitu pingi & sculpi, qualem nemo bonus pater in filia, nec maritus probus in vxore fer-
ret. Nec desunt brutorum animalium imagines, cum Vendelino boues ouesque, Antonio porci,
Eustachio canes & cerui, Gertrudæ mures astant. Quid quòd asinus, quo olim Christus vsus est,
simulachrum peculiare meruit? Quid si cultum spectes, in hoc etiam à gentibus nihil differimus.
Nam vt illi olim, simulachris sacella & templa extruimus, aras consecramus, eadem vestimus, ad-
hæc esculenta & poculenta sacrificia vnà cum pecunijs offerimus. Coram illis prosternimur
cernui, preces ad illa dirigimus, nec prodest diuum vel diuam inuocauisse, nisi locum, quò
peculiariter delectari putatur, nominatim exprimas. Cum ergo eadem sit tam simulachrorum
quàm cultus qui ipsis impenditur, ratio apud nos, quæ olim gentilibus fuit, minimè putandum

*De fide & Sym-
bola.*

est, horum tantum modo simulachra diuinitus prohibita esse, nobis verò licere, vt mutatis duntaxat Deorum nominibus eadem faciamus, propter quæ illi olim damnati sunt. Eò enim grauius à nobis peccatur, quòd veri & æterni Dei gloriam in imagines, quas ille tãtopere abominatur, trãferimus, & sanctissimorum hominum, qui sanguine effuso Dei gloriam asserere studuerunt, titulis ad idololatriam & superstitionem abutimur.

Præceptum Decalogi de imaginibus.

Porro, vt clarius constet, quàm fallantur qui simulachris cuiuscunque generis, quæ religionis ergò fiunt, patrocinari solent, prodest ipsum Deum in monte Sinai de his concionantem audire, hoc modo: Non facies tibi sculptile, neque similitudinem vllam eorum quæ in cœlis sunt sursum, vel in terra deorsum, vel quæ in aquis sub terra sunt. Non adorabis, neque coles. Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filijs, in terram & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Sunt huius præcepti partes tres. Prima, ne Deo alicuius Creaturæ imaginẽ affingamus, prohibet. Secunda, quatenus imagines nec fieri nec factæ ab alijs ferri debeant, docet. Tertia ostendit, causas nobis iustas non vllas esse, propter quas vel alienos Deos fingamus, vel Deo vero cultus illegitimos & prohibitos exhibeamus. In horum omnium cõsideratione si non oscitanter versemur, mera somnia esse patebunt, quæcunque hodie pro imaginibus siue simulachris & eorum cultu afferuntur.

Deo vero non fingenda imago aliqua.

Primùm, ne Deo alicuius creaturæ imago tribuatur, prohiberi diximus. Id nos verè dixisse, totius diuinæ orationis contextus & argumentum probant. Dei enim scopus est, Israelitas in religionis causa instituire. Quare primo præcepto, vt se solum & vnum Deum agnoscant, præcipit. Mox autem secundo de cultu, qui ipsi debetur, admonet, à quo imagines & simulachra procul remoueri vult. De ijs ergo simulachris loquitur, quæ in ipsius honorẽ & cultum ab hominibus ineptis & superstitiosis finguntur. Docet hoc Moses, verborum Dei interpres fidelissimus, qui legem omnem exponens ait: Locutus est dominus ad vos de medio ignis, & quidem vocem verborum eius audiistis, simulachrum verò nullum vidistis, præterquam vocem. Cauete ergo accurate quàm chara vobis est anima vestra, ne forte peruersè quid agatis, faciendo scilicet vobis sculptile, simulachrum cuiuscunque figuræ, formam maris aut fœminæ, formam cuiuscunque animantis, quæ est in terra: formam cuiuscunque volucris pennatæ, quæ volat in cœlo: formam cuiuscunque reptantis super terram: formam cuiuscunque piscis, qui est in aquis sub terra, &c. Deut. 4. Docet hæc euidentissimè, quorsum tam diligens omnium rerum creaturarum distributio pertineat, quæ Deus in sua lege vtitur, nimirum ne alicuius creaturæ formam ipsi affingere tentemus. Cause huius præcepti in promptu sunt. Primò enim Deus cum infinitus, immensus & æternus sit, nullaq; hominis vel ratione vel eloquentia comprehendendi possit, nullius etiam rei imagine exprimi poterit. Quamcunque ergo formam Dei imaginem esse dixeris, ea quod pollicetur, non præstabit, & proinde mendax erit. Num verò Deus, qui æterna est veritas, mendacio coli poterit? Adde his, quod (vt Paulus docet) qui creaturarum simulachris deum exprimere conantur, Dei immortalis gloriam & veritatem mendacio permutat, & quæ solius Dei sunt, in imaginem mortalis & miseræ creaturæ transferunt. At quæ Deo contumelia maior inferetur? Quare Lactantius magna cum autoritate pronuntiare ausus est: Non est dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est. Nec enim metiuntur modò Deum imagines, verum etiam homines à spirituali cultu auocant, vt qui circa hunc versari debebant, in frigidis Ceremonijs & inepto ipsarum cultu toti occupentur. Quam ob causam cultus ille fornicationis nomen meruit. Quia vt fornicatio legitimo matrimonio infesta est, & coniugij vinculum dirumpit: ita idolorum cultus animam à Deo, cui desponsata esse debebat, abstrahit. Fatebuntur hoc, quicunque prioris superstitionis memoriam, cum ijs quæ olim in simulachrorum cultu fecerunt, in animum reuocarint.

Lib. inst. 2. ca. 29.

Christo Iesu non ponenda imago.

Sed audio quosdam Christi incarnationem & hominem, quem ille assumpsit, nobis obijcere. Fatentur hi, olim quidem Iudæis interdictum fuisse, ne aliquam Deo imaginem fingerent, qui visibili specie ipsis nunquam apparuerat: nos verò eadem lege nequaquam teneri, qui filium Dei, patri coæternum & expressam eiusdem imaginem, hominem verum factum & in terris versatum fuisse nouimus. Imò ad deuotionem animi & fidem excitandam non parum prodesse putant, si in Cruce pendentis imaginem crebrò videamus. Sed hos etiam vehementer falli, multis rationibus demonstrari potest. Primò equidem falsum est, quòd Iudæis siue patribus in veteri Testamento Deum visibili specie apparuisse negant. Diuersum enim docet vniuersa patriarcharum historia. Et Daniel vidit filij hominis formam, venientis in nubibus cœli. Nouerunt denique omnes sancti, quòd Dei filius incarnari & hominem induere deberet, nec tamen quisquam inuentus est, qui ideo illum hominis imagine exprimere voluerit. Deinde satis constat, non ideo incarnatum fuisse

Dei fi-

Dei filium, vt imaginum causam & occasionem præberet, sed vt carnem suam daret pro mundi vita. Ioan. 6. Quod vbi fecit, quasi peracto omni negotio, cuius gratia in mundum venerat, eadem carnem in cœlos subuexit, vt & nos eum mentibus in cœlum sublatis sequamur, nec in externis moremur. Idem cultum spiritualement præscribit, cum quo imaginibus commercij nihil esse potest. Officia verò, quæ ipsi impenderemus, siquidem præsens esset, in pauperes conferre iubet, quos sibi substituit. Matt. 26. & 25. Ridiculus ergo error est, Christum effingere, qui ideo carne à nobis abi-
re voluit, vt spiritu inter nos regnare posset. Ioan. 14. Nec aliqua allegari potest veteris & primiti-
uæ ecclesiæ autoritas, quæ imagines eiusmodi defendat. Irenæus quidē vetustissimus scriptor, *Lib. 1. cap. 24.*
de Gnosticis meminit, quòd Christi imagines habuerint, quas cum Pythagoræ, Platonis aliorumque
philosophorum imaginibus ad cultum proponebant: idem verò hoc in illis damnat & reprehendit.
Notum est quoque Epiphanius Salaminæ Cypri episcopi factum, quod in epistola ad Ioannem
Hierosolymitanum episcopum ipse D. Hieronymo interprete sic commemorat: Cum venissem
ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem
quis locus esset, didicissemque esse ecclesiam, & intrassem vt orarem: inueni ibi velum pendens in
foribus eiusdem ecclesiæ tinctum atque depictum, & habens imaginem **QUASI CHRISTI,
VEL SANCTI CVIVSDAM**, Non enim satis memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc
vidissem, **IN ECCLESIA CHRISTI, CONTRA AVTHORITATEM SCRIP-
TURARVM**, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi cõsiliu custodibus eius-
dem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Et paulò post addit: Precor, vt iu-
beas presbyteros eiusdem loci deinceps præcipere, in ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra
religionem nostrã veniunt, non appendi. Docent hæc, quò sensu veteris ecclesiæ doctores præce-
ptum Dei de simulachris intellexerint, cum Epiphanius Christi imagines & cõtra scripturarum
authoritatem haberi, & religioni Christianæ palam aduersari dicat. Quid verò illum facturum pu-
tabimus, si nostri seculi templa imaginibus quasi personis Comicis & Tragicis, vndique stipata vi-
dissent: Nec est, quòd illos audiamus, qui nos templa sine Christo & diuis habere dicunt. Habemus
enim Christum spiritu suo in templis viuus regnantem, qui & suis in nomine suo congregatis iux-
ta promissionem suam præsens adest. Habemus Diuorum scripta & exempla, quæ fideles sedulo
euoluunt & sequuntur. Quòd si hæc aliquibus minus sufficiunt, nã illi frustra contra scriptura-
rum authoritatem ligneos lapideosque Christos & diuos templis suis inferrent. Cæteru ad legem
domini reuertamur, cuius tractatio à nobis instituta est.

Secunda huius parte docemur, quatenus imagines nec à nobis fieri, nec ab alijs factæ ferri
vel tolerari debeant. Comprehendit vtrumque paucis verbis, cum ait: Non adorabis, neque coles.
Significat his omnem reuerentiã, honoris & cultus speciem, quæ ab hominibus fingi, illisque im-
pendi potest. Hanc verò omnem quia prohibet, facile constat, non in eum finem vel vsum illas fie-
ri debere, vt à nobis colantur, vel aliquo modo religionis instrumenta sint. Quòd si verò religio-
nis instrumenta esse nõ debent, facile liquet, publica autoritate easdem esse tollendas, si à super-
stitiosis tales vel fiant, vel pro talibus habeantur. Pertinet huc Ezechia regis exemplum, qui æ-
neum serpentem, olim diuino præcepto à Mose factum, demoliri & minutim cõterere non est ve-
ritus, vbi illum ab aliquibus stultè religiosi coli vidit. 4. Règ. 18. At si quæ vnquam imago de-
fendi debuit, hanc defendi debuisset dicemus. Nec enim carnali zelo contra Dei præceptum, sed
mandate Deo, nec absque sanctæ obedientiæ studio, fabricata fuit. Num. 21. Adhæc Christi Iesu
typus erat, & vniuersum humanæ redemptionis mysterium complectebatur, sicut ipse dominus
explicat. Ioan. 3. Laudatur tamen Ezechias, qui coli cõceptam, forti & sancto zelo comminuit. Eant
ergo & nos à nouitate esse clamitent, quibus displicet, quòd è templis nostris imagines eiecte sunt.
Hoc nomine equidem multos laudem meruisse scimus, neminem verò ob imagines, vel factas,
vel cultas, vel defensas, vnquam Deo placuisse legimus. Docet item communis sensus, nihil in
ecclesijs ferri debere, quod vero Dei cultui aduersetur, ex quorum genere imagines esse, su-
pra didicimus.

Porrò prodeunt hic, qui imaginibus cultum minimè impendi debere fatentur, earundem ta-
men vsum in ecclesijs non vulgarem & inutilem esse contendunt, quòd vel Dei vel sanctoru opẽ-
ra in memoriam reuocent, & ad bene agendum extiment: quo nomine à multis libri laicoru di-
ci consueuerunt. At produnt isti crassam ignorantiam, qua excæcati, in quibus cultus Dei potissi-
mum verferetur, ignorant. Si enim hoc nouissent, scirent vtiq; in hoc nõ postremu locu doctrinæ
& discendi studio deberi. Christus enim eos verbi sui amore & studio teneri dicit, qui ex Deo nati
sunt. Ioan. 8. Et Mariam, quæ pedibus suis assidens verbu audiebat, Marthæ circa externa officia
multu occupatæ longè præfert, vtpote quæ partem potiorem delegerit. Luc. 10. Vt autem discendi

*Quatenus imagi-
nes nec fieri nec
haberi debeant*

*Imagines nõ ha-
bende ut docentur*

studium in religione primas tenet, ita huic verbum suum destinavit Deus, non imagines, quæ religioni veræ aduersantur. Et Moses non obscure docet, ideo imaginem Dei nullam in monte Horeb apparuisse, vt in solum Dei verbū intenti, omnia alia fugiamus, quæ ab huius studio nos auocare poterant. Deut. 4. Et sanè veritatem mendacijs doceri impossibile est. Rectè igitur propheta clamat: Quid proderit sculptile? Quoniam sculpsit illud fictor eius: fusile, & doctor mendax? Et tamen fidit eo, fictor scilicet figmento suo, vt faceret idola muta. Væ qui ligno dicit, Euigila: & lapidi effigiato, Excitare. Ipse ne doceret? En obductus est auro & argèto, nec est flatus in eo. At dominus in templo sanctitatis suæ: taceat à conspectu eius vniuersa terra. Heb. 2. Audiant hæc, qui imagines doctores audire cupiunt. Doctores mendaces has vocat propheta. Et si verum fieri libeat experientia magistra didicimus, veram Dei cognitionem & cultum nulla alia re tam fuisse corruptam, quàm imaginum vsu. Ab eo enim tempore, quo primum in ecclesias irrepererunt, nihil non errorum abortum est, & fecundissima hæc fuit omnis superstitionis & corruptelæ seges. Adde his, quòd non alius simulachrorum cultus est magnificètiore, quàm si ab ijs discere velimus, quæ ad salutis negotium spectant. Vt enim doctorem suum is demum verè colit, qui talem agnoscit, quem audire & ex cuius ore discere debeat: non verò is, qui cum caput coram illo aperiat, genua flectat, loco cedat, deducat, tamen pro cordato & sapienti non iudicat, cuius doctrina institui possit: ita plus colit imagines, qui doctoris titulum illis defert, quàm qui vel cerea incèdit, vel alijs eiusmodi officijs illas prosequitur. Firmiter ergo teneamus Dei sententiam, qui eas nec honorari nec coli vult. Et quia nullum in religione locum tenere possunt, templis fidelium eijci, non inferri debent.

*Omni prætextus
superstitiosis adi
mitur.*

Sed præstat tertiam quoque præcepti diuini partem inspexisse, quæ docet, nullam nobis causam satis iustam grauemque esse, qua moti vel alienos Deos fingamus, vel Deum verum cultibus illicitis veneremur. Dicit enim: Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filijs, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Tria his consideranda proponit dominus. Primò, ego sum (inquit) dominus Deus tuus fortis. Id est, talis tantusque sum, vt solus tibi sufficere, te iuuare & tueri possim, sicut Abraham olim sum pollicitus. Gen. 17. Stultū ergo fuerit, si me neglecto, apud alios opem quæras, & aliorum potius quàm mea beneficentia te subleuari posse existimes. Adhæc cum fortis Deus sim, cuius potentia inuicta est, tuusque Deus sim, quod multis operibus me declarauisse expertus es, maiorem conuenit mei præcepti apud te auctoritatem esse, quàm vt temere illud transgredi libeat. Secundò, se zelotem & indignabundum esse dicit. Sunt enim, quibus nec ingenium neque vires desunt, torpent verò & naturali quadam fœcundia grauati rerum rationem non habent aliquam, sed suscipiunt de quæ ferunt omnia. Talis verò non sum ego, dicit dominus. Quin potius maritos probos refero, qui quò magis amant cōiuges, eò magis de ipsarum amore & fide solliciti sunt, nec quenquam tam charum habent & intimum, quem in huius amoris consortium admittere possint. Quò fit, vt sæpe satis molesti nimium que morosi habeantur. Eodem ingenio & me præditū esse intelligas, nec vllō modo ferre posse, vt cultus, qui mihi debetur, in simulachra muta & mendacia trāsferatur. Huc facit, quod apud Isaiam dicit: Ego dominus. Hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Isa. 42. Qui locus vel solus doceat, simulachra à Dei cultu quàm longissimè remoueri debere. Sed tertium addit, quo zelotis nomen planius & clarius explicatur: Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Testatur his dominus se non zelotem modò esse, qui iniuriam iniquo animo ferat, verumetiam in perfidos cultus sui prophanatores horribili iudicio inuehi, eosque publica suæ iræ exempla facere. Probant hoc exempla, quæ plurima in scripturis extant. Dauidis domum propter idololatriam à Solomone plantatam miseris modis afflictam esse, & regni maximam partem amisisse, sacra historia docet. Fuit scisma illud toti Israeli cū primis noxium, tandemque excidio causam præbuit. Quid Ieroboamo, Baasæ, Achabo & posteris ipsius propter simulachrorum cultum euenerit, nemo ignorat mediocriter in sacris literis verus. Inter Christianos verò propter impiam de imaginibus concertationem Imperium totū scissum esse constat, & eodem tempore Turcarum tyrannidem radices egisse historici fide digni non obscure testantur. Nec desunt nostro seculo exempla, quibus suam contra prophanos imaginum cultus iram deus luculenter testatur: at nobis sensus desunt, qui ad omnem fortunam ita obduerunt, vt nihil intelligant. Postquam enim verbi sui synceriores doctrinam nobis deus restituit, ea verò non eo loco habetur, quo iure haberi debebat, & superstitionem cum immani idolomania pluris faciunt homines, quàm quæ dei verbo traduntur, nec desunt qui templis, per dei verbum re-

bum repurgatis, idola denuo inferunt, Turcas suppliciorum suorum magistros excitat dominus Deus exercituum, qui verbi cōtemptores puniant, templa ab idolorum cultu repurgent, & mendaces Christiani nominis professores funditus excindant. Hæc quia Christi spiritu illuminatus præuidit Ioannes, hac tam graui sententia epistolam suam concludi debere putauit, vt diceret: Filiioli, caute vobis à simulachris.

Debent hæc imis animis recondi ô fratres. Repetamus quæso quæ nobis fuerit sub immani regno tenebrarum conditio, quâdo veri Dei ignorantes, infamem simulachrorum cultum & exitialem superstitionem seſtabamur. Cogitemus non temere nobis illuxisse veritatis lucem. Vult Deus, vt relictis erroribus veritatis via incedamus. Est hæc vnica veræ beatitudinis ratio, quæ nec fallit, nec incertis ludit ambagibus. Aperiamus ergo mentis oculos. Grati simus Deo saluatori & patri clemētissimo. Præstemus illi obedientiâ. Seruiamus eidem in spiritu & veritate. Prouehamus nominis sui gloriam, quoad eius fieri poterit. Curemus ne cui offendiculi authores simus. Et inter mundi huius tribulationes constâti fide & spe expectemus cœlestis regni gloriâ, quæ nobis reposita est in Christo Iesu, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternû. Amen.

IN EPISTOLAM D. IOANNIS APOSTOLI II. RODOLPHI GVAL

THERI TIGVRINI HOMILIA
RVM SYLVAE.

H O M I L I A I.

SENIOR electæ domine & liberis eius, quos ego diligo in ueritate: & nō ego solus, sed & omnes qui cognouerunt ueritatē, propter ueritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. Sit nobiscum gratia, misericordia, pax, à Deo patre, & à domino Iesu Christo, filio patris, in ueritate & charitate.



VE MADMODVM boni ac fidelis pastoris est, non totos modò greges curare & tueri, verum etiâ singulis ouibus pro virili prospicere: ita ecclesiarû pastores non cōmuni tantum Christiani gregis cura tangi, sed singularû salutem inuigilare decet. Exemplû huius curæ & fidei duobus epistolijs, quæ modò tractabimus, D. Ioānes exhibet: quorum prius fideli cuidam matronæ eiusq; liberis, alterum Caio, fratri haud vulgari inscribitur. Priori matronam hanc & eius liberos ad fidei constantiâ hortatur. Quia, vt priori epistola vidimus, iam tūc passim inueniebântur, qui fidei doctrinam fœdis & impijs erroribus corrumpebant. Simul verò hortatur, ne inani fidei titulo glorientur, sed huius ueritatem Christianæ vel fraternæ charitatis operibus declarent.

Occasio & argumenti epistola.

Admonet nos epistolæ argumentum & exemplum Apostoli, quanto studio in monendis & hortandis fratribus opus sit. Si enim uiuentibus adhuc Christi Apostolis, qui doctrinæ Christi reſertim; ab ipso gestarû oculati testes habebântur, errorû zizania per impostores passim spargere ausus est satan, quid de nostro de seculo sperabimus? Imò quæ cura nimia & superuacanea uideri poterit, cū in ecclesia palàm grassentur, quos Christus & Apostoli cauere iusserûnt? Matt. 24. 2. Pet. 2. 1. Tim. 4. 2. Theſſ. 2. &c. Excitetur ergo ministri, ne quis ipsorû ignauia pereat. Eorundē laboribus & studio faueant qui Christi oues uideri uolunt, ne maiorē mundi & amicitia eius, quàm gloria Christi rationem habere uideantur. Sed istis præmissis præsentem locū inspiciamus, qui & Inscriptionē epistolæ, & apostolicâ salutationem, siue benedictionem (vt alij uocant) continet.

Monitiones sunt necessariae.

I. *Senior electæ domine & liberis eius, quos ego diligo in ueritate, &c.* Inscriptio cōmuni more præmittitur, in qua duo consideranda ueniūt. Primū, quis epistolij autor sit siue scriptor. Nā præter cōmuni morem factū uidemus, vt nomen propriū omisſum sit. Non tamen author propterea ignoſcari potest, cū & veterum codicū inscriptiones Ioānis nomen præferat, & tota epistolæ dictio sententiæq; omnes Ioannem loquātur. Seniore uerò se dicit, quod officij nomen est. Tales enim uocabantur & pastores, & qui cum his ecclesiarum curam administrabant, vt ex alijs scripturæ locis nō obscure colligitur. Vide Act. 14. Tit. 1. cap. & 1. Pet. 5. &c. Nec tamē ea erat huius nominis rā

Ioannes author epistola.

Senior.

E P I S T O L A II.

tio, quòd nò nisi prouectæ ætatis homines ad id officij deligerètur, sed quia senili grauitate & prudètia insignes esse deceat, qui id subire velint: qua ratione & Romanis olim Senatores dicti sunt.

Ministrorum dignitas.

Obseruandum hic venit, quo loco ecclesiarum & doctrinæ antistites haberi debeant. Seniores & patres censeantur. Quia per horum ministerium regenerati filij Dei efficitur, quod Paulus non semel admonet. Et Corinthijs se patrem esse affirmat, quia ipsos per euangelium Christo generauerit. 1. Corinth. 4. Adhæc consilijs & admonitionibus patres sunt, tantoq; maior debet esse illorum authoritas, quantò filiorum Dei generatio carnali, quam ex naturalibus parentibus habemus, est præstantior. Quod si nostri seculi mores consideremus, quo hoc vno nomine ministri contemnuntur, quòd per Verbum Christi homines Deo regenerare student, facilè patebit quanta sit hæc corruptio, & quòd non immerito horrendis plagis puniuntur, qui verbo corrigi nolunt.

Quibus inscripta epistola?

Alterum Inscriptionis membrum eos, quibus Ioannes scribit, indicat. Porrò vt suum nomen (quod illis propter familiaritatem & consuetudinem ignotum esse non poterat) reticuit: ita nec horum expressè ponuntur. Contentus est enim docere, quòd Electæ dominæ scribat, eiusq; liberis. Sunt qui Ecclesiam Christi hoc nomine notari putèt. Sed si peculiarem alicuius loci ecclesiam intelligamus, absurdus & parum apostolicus hic titulus videri poterit, cum Apostoli Christianos humilitatis vbique admoneant, nec vsquam titulis superbis inebriant. De vniuersali verò Christi ecclesia (quæ nec loco nec tẽpore certo continetur, sed per totũ orbem dispersa ad mũdi consummationẽ usq; durat, inde æternũ cum Christo regnatura) minus intelligi poterit, tũ propter breuitatẽ, tum quòd pleraq; singularẽ familiaritatem spirant: maximè verò, quòd aduentũ suũ & præfens colloquiũ in fine pollicetur. Verisimilius ergo videtur, fuisse hanc primatem aliquã sceminã,

Mulieres quoque restituta.

8. Quales item Mariam & Martham Lazari Bethaniensis sorores fuisse constat. Nec temere factũ putabimus, quòd mulieres in comitatu suo Christus sustinuit, & easdem scriptis compellant apostoli. Quia enim per mulierem peccatũ introiuit in mundũ, peculiaria quædam & minimè obscura diuinæ gratiæ erga hunc sexum argumẽta esse oportuit, ne tentationibus superatæ Christi meritum nihil ad se pertinere putarent. Refer huc quæ Paulus tradit 1. Tim. 2. cap. Cæterum nò omnino præter vulgarem consuetudinem huic personarum notationi quædam adiungit Ioannes, quæ vt ipsius erga hos amorem testantur, ita ad beneuolentiã conciliandam vehementer faciunt.

Beneuolentiæ captatio.

Quos ego diligo in veritate: & non ego solus, sed & omnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. Possunt ex his multa argumenta colligi, quibus persuadeantur, vt scriptum hoc beneuoli & attentè excipiant & obseruent. Primum ab Ioannis persona sumitur: Ego vos diligo in veritate, absq; fuce & simulatione. Decet ergo vt de meis scriptis æqua feratis iudicia, cum quæ à veris fideisq; amicis proficiuntur, minimè suspecta esse debeant. Alterum à communi omnium piorum expectatione sumit: Quicumq; veritatẽ cognouerunt, vos diligunt & nihil non boni de vobis sperat. Ergo ne spem illorũ fallatis, etiã atq; etiã prospicite. Accedit tertiu à causis: Propter veritatẽ vos diligunt pij, quam à vobis coli persuasum habent. Veritatis ergo studium flagrans sectemini, nisi spem bonorum fallere velitis. Interferit his & quartum, quo constantiam in Veritatis studio obiter suadet, dum eam stabilem esse & in æternum permanere dicit. Docent hæc quibus argumentis beneuolentiã apud pios conciliari possit & debeat, ne ineptis adulationibus & ipsos dementemus, & nos omnibus exhibeamus ridiculos. Insunt verò his quædam obseruatu digna, quæ nostræ & institutioni & consolationi seruiunt.

Charitatis proprium.

Primum, Quos diligo in Veritate. Exprimit proprium charitatis, à qua simulatio & fucus procul abesse debent. Vnde ab Apostolis *ἀγαπᾷτε* dici consuevit. 1. Tim. 1. & 1. Pet. 1. De hoc officio in priori epistola admonuit Apostolus, vbi ait: Filioli mei, ne diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate. 1. Ioan. 3. Peccant ergo grauitè, qui verbis amorem simulant, re ipsa vero nocent, vel saltem clam odiunt: quod hominum genus hodie passim regnat, &c.

Charitatis causa.

Secundum, Propter Veritatem. Causam veræ charitatis siue dilectionis indicat, quæ est ipsa Veritas. Qui propter alias causas diligunt, eorum dilectio stabilis & vera esse nequit. Quia sola veritas æterna est, sola sibi ipsi constat, nec mutatur in horas. Veritatem verò hic intelligimus, quam Christus reuelauit, sermonem videlicet patris, de quo ipse testatur, quòd Veritas sit. Ioan. 17. Propter Dei verbum ergo amandi sunt fideles, non vel lucri vel voluptatis causa. Hinc eos æstimat, qui fratres nihil mali meritos hanc vnam ob causam odiunt, quòd Veritatis cultores esse vident. Sic testantur, se mundi filios esse, qui Veritatis lucem non fert. Ioan. 3.

Veritas æterna & stabilis.

Tertium, In æternum erit nobiscum Veritas. Consolationis plena est sententia. Sunt qui aliquo Veritatis amore incaluerunt. Sed quia metuunt, ne mundi furor & tyrannorum vis Veritatem illis eripiat, sensim tepescunt & frigescunt. Eos Ioannes consolatur, docens Veritatem non fallere.

non fallacem vel perfidam esse, quæ cultores suos deserat. Vt enim per se stabilis & æterna est, ita cum illis perpetuò habitare gaudet, quos sui cognitione semel illuminauit. Et si omnes omnium seculorum historias euoluamus, multos quidem à Veritate perfidè defecisse reperiemus, sed à Veritate vel falsum vel desertum vnquam fuisse neminem videbimus. Quò & Paulus respexisse videtur, cum ecclesiam columnam & stabilimentum Veritatis appellat. 1. Timoth. 3. Cum enim ecclesia non sit, nisi quæ verbo Veritatis collecta est, & eiusdem vinculo continetur, ab eadem Veritas discedit nunquam. Nam & Christi promissionem habet, dicentis: Ego vobiscum ero vsque in consummationem seculi. Facile ergo illorum sententiam recipimus, qui ecclesiam errare non posse contendunt. Sed non quosuis hoc titulo gloriantes pro ecclesia agnoscimus, nisi in verbo Veritatis se collectos esse, & eodem regi atque gubernari, probent. Deinde de pertinaci & incurabili perseveratione in erroribus ea sententia debet intelligi. Sunt enim exempla, quæ ecclesias celeberrimas in multis errauisse docent. At quia eadem Dei verbum retinent, & correctionem admittunt, in erroribus non perseverant. Qui ergo hodie ecclesiã errare posse negant, & hoc argumento omnem correctionem reiiciunt, hoc iudicio probant, se ecclesiæ nomine indignissimos esse.

I I. *Sit nobiscum gratia, misericordia, pax, à Deo patre, & à domino Iesu Christo, filio patris, in ueritate & charitate.* Est hæc apostolica salutatio siue benedictio, quam communi exemplo præmittit. Peculiare tamen habet hoc, quòd in prima persona loquens, seipsum illis coniungit, quibus facta hæc imprecatur. Testatur & ea se suum erga illos amorem, utpote quibus cum omnia communia habere cupiat. Veniunt autem hic obseruanda hæc:

Primò, quæ bona verè expetenda & optanda sint Christianis hominibus. Non ea scilicet, quæ infelix mundus cæco iudicio pro bonis ducit, sed quæ Apostoli spiritu dictante fidelibus precari solent. Primum in his gradum Dei gratia obtinet. Gratia autem pro favore usurpatur, quo Deus suos prosequitur. Est hic nostræ felicitatis columen, quia sine hoc infelicissimi sumus, & per hunc omnia Dei dona, quibus indigemus, in nos deriuantur. Imò nisi Deum sibi fauere & propitium esse homo intelligat, horribiles terrores sentiet, nec quicquam illi acceptum & suaue esse poterit. Secundo loco misericordia ponitur, quæ fauoris & gratiæ Dei causa efficiens dici potest. Ideo enim nobis fauet Deus bonaque sua confert, quia nostri miseretur. Alioqui si nos spectes, odio potius quàm fauore digni erimus. Tertio gradu pax sequitur, quæ tam gratiæ quàm misericordiæ fructus siue effectus habet. Ea enim vox apud Hebræos omnem hominis incolumitatem & felicitatem complectitur, imprimis verò eam animi tranquillitatem denotat, qua muniti coram Dei iudicio comparere possumus. Hæc (inquam) vera & solida bona sunt, sine quibus homini nihil aliud prodesse poterit. Sed ò cæcas hominum mentes, qui pro his tam parum sunt solliciti.

Secundò fontem horum ostendit, nempe Deum patrem. Nam omne donum bonum à patre luminum proficiscitur. Iac. 1. Falluntur itaq; qui hæc extra Deum quærere instituunt. Iere. 2. &c. Consolationis verò plenum est, quod in vno se Deus monstrat, quæ nobis ad salutem sunt necessaria, ne illa per varias ambages quærere cogamur, & ita laboribus vanis defatigemur.

Tertiò medium, per quod ista obtingunt, proponit, Iesum Christum Dei filium. In hoc enim Deo patri complacitum est. Matth. 3. & 17. cap. Quare & hic ad se omnes laborâtes inuitat (Matt. 11.) & Apostoli in solo hoc omnem vitam atque salutem commonstrant. Act. 4. Ioan. 1. &c.

Addit quarto loco Veritatis & charitatis mentionem, quibus eorum officia comprehendere videtur, qui bona hæc à Deo per Christum accepere. Illorū enim est constanti fide in agnita Veritate perseverare, fidem quæ charitatis operibus testari, ne inani eius titulo gloriantur. Sed quia de his plura in sequentibus dicet Apostolus, hæc modò annotauisse sufficiat. Curemus autem & nos, ut cœlestia hæc & æterna bona ardenti fide inquiramus, & oblata amplectamur atque retineamus, æternum aliquando regnaturi cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A I I.

Gauisus sum ualde, quòd inter liberos tuos inueni, qui in ueritate ambulant, sicut præceptum accepimus à patre. Et nunc rogo te domina (non tanquam mandatum nouum scribo tibi, sed quod habuimus ab initio) ut diligamus nos mutuò. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum præceptum eius.

E P I S T O L A I I.

VT dominus noster Iesus Christus neminem, quantumuis vilem & calamitosum fastidit, sed omnium ordinum hominibus sese benignum offert, adeoq; fruendum propinat: ita Apostolos præceptoris & magistri sui exemplum imitatos, omnium saluti inuigilasse constat. Cuius studij exemplum Ioannes est, qui & scæminas peculiaribus scriptis instituere, & in officio retinere sagit. Debet verò hoc spiritus sancti studium omnes excitare, ne socordia superati sibijpsis desint. Sed præsentem locum excutere oportet, qui epistolij breuis breue exordium, & mox eiusdem propositionem comprehendit.

Exordium.

I. *Gauisus sum ualde, quod inter liberos tuos inueni, qui in ueritate ambulant, sicut præceptum accepimus à patre.* A gratulatione orditur, qua animi sui erga ipsos affectû plenius exprimit, quæ res beneuolentiæ conciliandæ vehementer prodest. Quis enim eum non amet & monenté ferat, quem ita erga se affectum nouit, ut ipsius commodis perinde ut proprijs gaudeat? Hinc frequenter epistolas suas hoc modo Paulus exordiri solet, ut & Deo gratias agat, & ecclesijs, quibus scribit congratuletur propter felicem euangelij ac veræ fidei profectum. Insunt autem Apostoli verbis, quæ ad nostram institutionem transferri possunt, & proinde diligentius inspici merentur.

Piorum gaudia quæ.

Gaudet Apostolus, quòd matronæ huius liberos in Veritate ambulare intellexit. Docemur hinc, quibus rebus pij gaudere debeant. Quia enim toti Deo cõsecrati sunt, maior gaudij causa ijs offerri non potest, quàm cum Dei uerbum ac ueritatis doctrinam longè lateq; propagari, multoque Christo lucrifactos in ueritatis luce ambulare uident. Eò quòd hoc gloriæ Dei cõprimis seruit, quam omnibus pijs quàm maximè cordi esse decet. Seruit item proximi saluti, quam contemnere nõ possunt, qui fide uera Christo capiti connexi sunt, in quo eiusdem corporis membra efficitur. Arguit ergo Ioannis exemplû eorum socordiã & duritiem, qui sicis oculis & sine gemitu horribilem ecclesiarum uastationem, turpemque ab agnita ueritate multorum apostasiam inueniri possunt.

In ueritate ambulare.

Obseruandum quoque, quòd illos in ueritate ambulare dicit. Differunt enim ueritatem nouisse, & in ueritate ambulare. Prius etiam hypocritæ interdum habent, & palàm impij. At alterum hoc in solis electis ac uerè fidelibus conspicitur, qui ueritatis cognitionem totius uitæ conuersatione exprimunt. Non sufficit ergo nuda diuinæ ueritatis cognitio, sed in ea ambulare, id est, uitã omnem iuxta huius præceptiones instituere conuenit, nisi in spiritum sanctum peccare, & ijs adnumerari uelimus, quibus in magna illa die dominus dicit: Non noui uos. Discedite à me operarij iniquitatis, &c. Matth. 7.

Veritatis regula

Exprimitur verò & modus siue regula ambulandi in ueritate, cum addit: Sicut præceptum accepimus à patre. Quia enim omnis homo mendax, in ueritate non ambulabit, nisi qui Deum audiunt. Is filium suum doctorem dedit, qui in euangelio clamat: Ego sum uia, lux & ueritas. Ioan. 14. Ego sum lux mundi. Qui me sequitur, non ambulat in tenebris. Ioan. 8. Huius uocem sequuntur, qui oues sunt ad salutem electæ, & alienum non audiunt. Ioan. 10. Iugulantur ergo hic omnes hominum traditiones siue regulæ, ac manifestissimi erroris conuincuntur, qui secundum has ueritatis suæ conuersationem & religionem instituunt.

Propositio.

II. *Et nũc rogo te domina (non tanquam mandatum nouum scribo tibi, sed quod habuimus ab initio) ut diligamus nos mutuò, &c.* Comprehendit his propositionem siue statũ epistolæ, qui est: Rogo te, ut diligamus nos mutuò. Mox uerò per expositionem docet, qua de dilectione loquatur. Hęc est charitas, ut ambulemus secundũ præceptum eius. Et quia in religionis negotio uulgò inuisa sunt, quæ cunq; nouitatem redolent, eius suspensionem omnem declinat, cum interserit propositioni: Non tanquam mandatũ nouum scribo tibi, sed quod habuimus ab initio. Qua ratione etiã in priori epistola non semel ostendit, Christi doctrinam nullo modo nouitatis suspensione grauari debere.

Cur à charitate exordiat.

Obseruemus autem, quòd de obedientia & perseverantia in agnita ueritate dicturus, à dilectione orditur. Causa huius esse uidetur, quòd charitate siue dilectione lex tota perficitur. Rom. 13. Matth. 22. Interim tamen admonemur, Deum nõ inuitos siue coactos, sed spontaneos cultores requirere. Animum enim sibi uendicat, qui si ipsi consecratus fuerit, uoluntas hominis omnesque aliæ animi facultates à Deo alienæ esse non possunt. Huc pertinet, quòd Dauid Christi subditos siue fideles populum spontaneorum uoluntatum nominat. Psal. 110.

Dei dilectio uera quæ.

Præterea ueram dilectionem Apostolus describit, quæ descriptio multas ob causas diligenter notari debet. Gloriantur enim Dei dilectione multi, imò ab hac alienus uideri uult nemo. Sed ut fratres non sufficit uerbis diligere, nisi & rebus præstemus, quod uerba pollicentur: ita Dei dilectione frustra gloriabimur, nisi obedientiæ studio testemur, illius honorem & gloriam nobis cordi esse. Grauis ergo & memorabilis sententia est, cuius Apostolus hic meminit, dicēs: Hęc est charitas ut ambulemus secundũ præcepta eius. In obediētia igitur et obseruatione præceptorũ Dei dilectio uersatur,

versatur, à qua quicunque abhorrent, nã illi in dilectione se nimis frigidus esse docent.

Cæterum quærat aliquis, quod nam illud præceptum sit in cuius obseruatione dilectio vera *Dei præceptum præcipuum.* consistit. Hic verò ipse Ioannes consulendus erit, qui in prioris epistolæ cap. 3. ait: Hoc est præceptum eius, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & vt diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum. Vnum ergo præceptum est, sed bipertitum. Requirit enim fidem in filium Dei, qui talis agnoscendus est, qualis nomine ipso prædicatur, nimirum saluator mundi, Rex & sacerdos noster vnicus. Huic quia per fidem inserimur, & in eorum communionem cooptamur, quos ipse pro suis agnoscat, fraternam dilectione carere non possumus, vt sæpe iam dictum est. Et qui plura volet, ex loco supra citato petat. Interim agnoscamus, hoc esse vetus illud adeoque primum præceptum, cuius author ipse Deus est, & ad cuius regulam vita omnis debet institui. Veneremur ergo Dei erga nos propensam voluntatē, qui graui & multiplici præceptorū onere nos grauare noluit. Præstemus illi debitum veræ obedientiæ officium, vt pro veris filijs agnosci, & cum Iesu Christo viuere possimus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A III.

Hoc est præceptum, quemadmodum audistis ab initio, ut in eo ambuletis. Quoniã multi seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum uenisse in carne. Hic est seductor & Antichristus.

Diuus Ioannes hoc epistolio de obedientia & perseverantia in agnita veritate dicturus, nõ temere à dilectione exorsus est. Vt enim hæc Legem totam implet: ita quæcunq; propter huius obseruationem nobis aduersa accidunt, leuia reddit. Cæterum in præsentia causam hæc omnem fusius explicare incipit. Primò enim quæ de Dei præcepto dixerat, clarius repetit. Deinde præsentis periculo ob oculos posito, docet, se non frustra tantam in ipsis monendis diligentiam adhibere.

I. *Hoc est præceptum, quemadmodum audistis, ut in eo ambuletis.* Repetitione docet, de quo nam præcepto loquatur, nimirum non de nouo aliquo & hæctenus incognito, sed quod & ipsi ab initio audiuerunt, cum in fide Christi primum instituerentur, & quod ab origine mundi Deus humanæ salutis causa promulgauit. Sic verò rursus nouitatis suspitioni medetur, vt maior sit suæ doctrinæ & admonitionis autoritas.

Admonet verò locus hic, vt inquiramus, quod nam præceptum Deus ab initio proposuerit, *Præceptum fidei.* & in quo instituendi sunt, qui Christo adduci debent. Est hoc non aliud, quàm fidei præceptum (vt in præcedenti sermone dictum est) quo in filium Dei, vnicum verumque humani generis saluatorem credere docemur. Hoc enim in paradiso promulgatum fuisse legimus, quando serpenti dicitur: Ponam inimicitias inter te & mulierē, inter semen tuum & inter semen illius. Ipsum conculcabit tibi caput, & tu conculcabis ipsi calcaneum. Quia enim istis verbis de filio suo vaticinatur Deus, quem semen mulieris ideo vocat, quod absque viri congressu ex intemerata virgine natus est, eum que serpentis, id est, satanæ deuictorem & conculcatorem fore docet, vtique simul suam voluntatē primis parentibus declaratam voluit, quæ est, vt in promisso hoc saluatore spem omnem repositam haberent. Non temere ergo Ioannes hoc præceptum ab initio fuisse affirmat. Est hoc ipsum postea multiuariam instauratum illustratumq; euidentius. Huc enim promissiones patriarchis datæ pertinent. Eodem referuntur, quæ Moses de magno illo propheta dissevit, Deut. 18. Idem præceptum Dauid promulgat, dicens: Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis à via: breui exardescet furor eius. Beati omnes, qui sperant in eum. Psal. 2. De eodem ipse Christus loquitur, cum ait: Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ioan. 6. Quid verò sit in filium Dei credere, supra attigimus, & vltima Capitis tertij prioris epistolæ Homilia fusius explicatum est.

Obseruanda hic venit fidei Christianæ & doctrinæ euangelicæ dignitas atque vetustas. Est *Fidei Christiana dignitas.* hæc nostro seculo apud plerosque solius nouitatis nomine inuisa. At Christum tradit, & Christo ninitur, in quem confidere primo omnium præcepto, quod inter homines promulgatum est, iubemur. Eidem testimonium ferunt Lex & prophetæ. Ioan. 5. Luc. 24. Nouas ergo fidei & religionis leges sequuntur, qui non vni Christo Iesu omnem nostræ redemptionis & salutis gloriam acceptam ferunt.

E P I S T O L A II.

In fide ambulandum.

Deinde non oscitanter prætereundum est, quòd tam sollicitè, & ad fastidium vsque repetit, in hoc præcepto ambulandum esse. At ambulandi vox vitæ conuersationem comprehendit. Arguit igitur vanos fidei Christianæ iactatores, qui vita & moribus Christum abnegant, quem ore profitentur. Quia enim animum totum requirit Christus (qui omnium actionum fons est) eadem cum Christi regula necessariò conuenire oportet. Vide Iac. 2. cap.

I. Quoniam multi seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum uenisse in carne. Hic est seductor & Antichristus. Causas reddit sui studij & diligentiae, quam ostendit super uacaneam non esse, quia vndique exurgant seductores, qui saluti ipsorum insidientur. Quò verò facilius caueri possint, eosdem certis notis insignit, de quibus cum Cap. 2. et 4. prioris epistolæ multa dixerimus, inde petantur, quæ ad huius loci explicationem faciunt.

Seductores debent argui.

Est verò diligenter obseruandum spiritus sancti studium, quo de seductoribus nos passim in scripturis admonet. Causa eius diligentiae est, quòd vt vera doctrina fidem plantat, nosq; Deo per Christum adducit: sic falsa superstitiones & impietatem seminat, imò occidit. Quo sensu & Christus, falsos doctores, qui extra hunc salutis viam monstrant, latrones nominauit. Ioan. 10. Quia verò tantum est falsæ doctrinæ periculum, toto cælo errant, qui falsos doctores hodie nolunt argui, nec inutiliter modò laborare, sed tumultuum authores esse clamant, qui fidis admonitionibus illos produunt, & omnibus cognoscendos exhibent. Nam & lupos in ecclesia palàm grassari, & eam in ouibus stoliditatem conspicimus, vt tenuis lucris gratia, aut etiã carnis studio, se sponte in illorum fauces & vngues ingerant.

Agnoscamus ergo fidelem & paternam pro nobis Dei curam. Illius vocem in scripturis propositam audiamus & sequamur. Obseruemus ipsius præcepta, & fugiamus Antichristos, vt in cælis aliquando gaudeamus cum Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A IIII.

Prospicite uobis ipsis, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus. Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet, Qui manet in doctrina Christi, hic & patrem & filium habet.

Quemadmodum difficile est, hominem naturali vitio corruptum, veritati & saluti lucrifacere: ita nò minus laboriosum est, eundem in veritatis via retinere, eò quòd leuissima quaque occasione ad ingenium redit. Non temere ergo tanta diligentia in illis monendis & hortandis vtitur Apostolus, de quorum fide satis certus esse videbatur. Suasit autem hucusq; constantiam duobus præcipue argumentis, inter quæ primum ostendit, fidei præceptum antiquissimum esse, & proinde turpissimum fore, si hoc neglecto ad noua & incerta dogmata desisterent. Secundum pericula monstrauit ex falsis doctoribus, propter quos cura & diligenti studio opus sit. Sequuntur in præsentis loco rationes ab vtili desumptæ, quibus docet, non hic de re leuicula & nullius momenti, sed animarum salute agi. Singula ergo attentam considerationem merentur.

Perseuerantia operum est.

I. Prospicite uobis ipsis, ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus. Videtur hæc summaria rationum ab vtili propositio, quam deinde duobus membris, sibi inuicè oppositis, illustrat. Sensus est: Non sufficit aliquoufque progressum esse, nisi (vt Christus ait) in finem usque perseueremus. Qui in medio cursu deficiunt, brauium non assequuntur. Et nemo certans coronatur, nisi legitimè certauerit. 2. Tim. 2. Et Christus regno suo nò idoneos dicit, qui vbi manum aratro admouerunt, respiciunt à tergo. Luc. 9. Mementote (idem inquit) vxoris Lot, cui non profuit è Sodomis exiuisse, cum ad eadem rerum relictarum amore respiceret. Luc. 17. Erant hæc non oscitanter expendenda nostri seculi hominibus, quibus agnitam veritatem negare lusus ioculique videtur. Sed perdunt hoc ludo, quod ante lucrati fuerant. Fient nouissima illorum peiora primis. Imò satius esset, illos veritatem nunquam cognouisse. Vide Matth. 12. Item 2. Pet. 2. cap.

Argumentum præsentis loci.

Obseruemus autem, quòd salutem & beatitudinem, quæ in Christo per fidem obtingit, mercedis vocabulo appellat. Videtur hoc ijs patrocinari, qui merita humanorum operum asserunt. Sic enim argumentantur: Merces debetur operibus, nec datur ex gratia. Beatitudo merces dicitur etiam à Christo, vt Matth. 5. Ergo operibus nostris ea debetur, &c. Item à natura Contrariorum similiter concludunt, bonis operibus mercedem & præmium deberi, eò quòd malis pœnam mereamur.

mur. Sed facilis est vtriusq; argumenti solutio. Nam quoad primū, beatitudo quoad nos minimē merces est, sed Deus p̄ paterna in nos beneuolentia sic illā nominat, vt tanq̄ ingenui liberi efficacius ad bene operandū trahamur. Inter opera enim & mercedē æquiparationē esse oportet, vt illa huic ex æquo respondeant. At quæcunq; hic siue facimus siue etiā patimur, nullo modo cū gloria regni cœlorū conferri possunt. Rom. 8. Isa. 64. Adhæc beatitudo hæreditas est, quæ non operarijs seruis, sed filijs debetur. Filij Dei verò nascimur ex gratia, & vt ad eā dignitatē perueniamus, non est vel volentis vel currentis, sed miserentis Dei. Ioan. 3. Rom. 9. Quoad verò alterū argumentum, bonorū & malorum operū contrarietas siue oppositio multis nominibus falsa est. Primò enim mala opera ex nobis ipsis facimus, p̄prijs viribus atq; cōsilijs: bona verò non itē. Nam sine me (inquit Christus) nihil potestis facere. Ioan. 15. Licet ergo malis operib; p̄næ debeātur, quia nostra sunt, merces tamen bonis nulla debebitur, quia hæc in nobis bonus Dei spiritus operatur, & Deus pro sua clementia suū opus in nobis coronat. Deinde mala opera perfectē & absolutē mala sunt, & nullū peccatum tā leuiculum est, quod nō æterna dānatione mulctari mereatur, si ius suū Deus velit persequi. Deut. 27. Bonis verò operibus nunq̄ nō imperfectio & labes aliqua adheret: non quidē ex spiritu Dei, eam nobis operante, sed ex nostræ naturæ corruptione, quæ nusp̄ia non conspicitur. Quò fit, vt licet propter mala opera damnari mereamur, propter bona tamen quæ multis modis imperfecta sunt, saluari non merebimur. Et hæc quidem obiter dicta sint. Nunc ad præsentis loci tractationem reuertamur.

I I. *Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet.* P̄nam minatur horribilem & infelicitatem, qua maior excogitari nō potest. Vt enim qui Deū habent, in eodē omnibus boni consortes sunt: ita qui hoc carent, omni bono spoliati genus omne malorū tam in præsentī quā futuro seculo sustinent. Vera autē & irrefragabilis est sententiā. Nemo venit ad patrem (inquit Christus) nisi per me. Ego sum via, lux & veritas. Ioan. 14. At quomodo per Christū in patris communionē & consortium admittetur, qui eius doctrinā non obseruauerit? Nam idem ille ibidem dicit: Si quis diligit me, sermonem meū seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Non temere ergo homines *deici* vel Deo vacui dicuntur, qui Christi doctrinam vel non admittunt, vel receptam denuò abijciunt.

*Pœna deficientiū
à fide.*

Sortioſi.

I I I. *Qui manet in doctrina Christi, is & patrem & filium habet.* Opponit priori sententiæ pro suo more, contrariam, quæ cōsolationis plenissima est. Nam vt modò diximus, qui Deum habet, fontem omnis boni habet, nec ipsi quicquam eorum, quæ saluti seruiunt, deesse potest.

*Premium perfectæ
merantiū in fide.*

Comprehendit itaq; breui sententiā Ioan. quæ omnium gentium philosophi nec infinitis speculationibus peruestigare, nec hamaxiæis (vt dicunt) voluminibus cōplecti potuerunt: Rationē nimirū veræ beatitudinis cōsequendę, quæ in vna præceptorū Christi obseruatione versatur. Sūta ea simplicia & perspicua, pleneq; in scripturis tradita. Comprehendunt fidē in Christū, quæ veræ religionis colophon est, itē charitatis officia & vitæ puritatē. In horū verò obseruatione felicitatem sitā esse, & omnium seculorū exempla docent, & spiritus Christi (quē is salutis arrhabonem dedit) in fidelium animis cōprobat. Quid ergo nostri seculi calamitates miramur, quæ Deū à nobis alienatum esse docent, quando paucissimi inueniuntur, qui in Christi doctrina permanēt? Obseruemus hæc, & illius ductu ad Deū reuertamur. Sic. n. fiet, vt Deo p̄tectoꝛe hic tuti degamus inter mundi pericula, & in cœlis olim regnemus cū Christo Iesu, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A V.

Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, eum ne receperitis in domum, nec dixeritis ei Ave. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malis. Cū multa haberem uobis scribenda, nolui per chartam & atramentum. Sed spero me uenturum ad uos, et præsentem præsentibus locuturum, ut gaudium nostrum sit completum. Salutant te filij sororis tuæ electæ. Amen.

VT sincera uerbi Dei doctrina uerā Dei cognitionē & eā fidē plantat, qua Deo cōiuncti saluamur: ita falsa humanarū traditionū dogmata homines à Deo abstractos dānationis mancipia reddunt. Non temere ergo Ioan. totius scripturæ exemplū secutus, tū alibi, tum in hoc epistolio constantiā in uera fidei doctrina tantopere cōmendat, simulq; monet quid defectores maneat. Commodè uerò ijs, quæ præcesserunt, hunc locum subiicit quo falsos doctores cauere docet, & ita tandem scripto huic finem imponit.

Falsi doctores ca-
uend.

I. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, eum ne receperitis in domum, nec dixeritis ei Aue, &c. Est hæc fidelis & paterna admonitio, quam uerbis quoq; planis & perspicuis comprehendit. Falsam doctrinam nemo sciens uolensq; facile admitteret. Interim falsos doctores non perinde horrent, qui uel de fidei suæ constantia præsumptuosius & arrogantius iudicant, uel mundi amicitiam aspernari nondum didicerunt. Euenit his, quod prouerbio dicitur: Qui picem contrectat, inquinatum ab ea. Norunt enim falsi doctores uenenum suum blandiloquentia uelatum per familiaria colloquia sic inspirare simplicibus, ut raro discedant, nisi pestifero falsæ alicuius persuasionis aculeo in animis illorum relicto. Serpit enim (Paulo teste) illorum doctrina, ut Cancer morbus, qui dum minimè putatur, vim suam eousq; extendit, ut incurabilis fiat. Rectè ergo Ioannes huius mali fontem obturare studet, & falsorum doctorum commercij interdicit. Prodest autem singula uerba penitus inspexisse, & ponderasse diligentius.

Doctrina Christi.

Qui hanc doctrinam non affert. Loquitur autem de doctrina Christi, cuius dignitatè ipse Christus prædicans ait: Doctrina mea non est mea (siquidè me ut hominem consideretis) sed patris, qui misit me. Ioan. 7. Finis & scopus huius est, ut homines per Christum, unicam salutis uiam, Deo patri adducantur, & Christi merito se huic reconciliatos esse intelligant. Unde ad se omnes laborantes & oneratos Christus inuitat. Matth. 11. Eadem uerum Dei cultum docet, qui non in frigidis Ceremonijs, sed spiritu & ueritate consistit. Ioan. 4. Præcipit item de uitæ Christianæ officijs, quorum regula & amulsis est charitas innocentiae coniuncta. Quisquis ergo diuersa docuerit, & cum his pugnantia, eum sciamus, Christi doctrinam non asferre, & proinde cauere debere.

Charitas non fa-
net seductores.

Eum ne receperitis in domum, nec dixeritis ei Aue. Prohibet his omne commercium, quocumq; humanitatis & charitatis pretextu uelatum. Qui locus eos uehementer arguit, qui commercia cum hostibus Christi charitatis officio excusare student. Iubet quidem hostes nostros diligere Christus. Suos uero hostes diligere nusquam iubet. At Christi hostes sunt, quicumq; falsis doctrinis in ecclesia grassantur, & animabus, Christi sanguine redemptis, exitum struunt. De obstinatis uero hic loquimur. Scimus enim multos ignorantia peccare, qui utiq; admonendi & docendi sunt. Si qui uero uel doctrinam omnem pertinaciter respuunt, uel ueritatem edocti falsa dogmata illi præferunt, eos pro manifestis & iuratis Christi hostibus habere, & omni modo uitare decet, ne & nos cum illis perfidè colludere uideamur.

Communicare cum
falsa doctrina.

Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eis malis. Causam sui præcepti reddit, quæ multiplex produci poterat. Nam ut modò diximus, præcipua est, quòd falsis doctrinis facillè inficimur, cum naturali quodam motu nostræ rationis commentis maximè delectemur. Sed cum illis hic agit Ioannes, qui ea fidei constantia sibi præditi uidentur, ut nullum erroris periculum sibi metuendum esse existiment. Et ut hoc uobis demus (inquit) grauis tamen adhuc causa est, quæ horum commercia uitare iubet. Quicumq; enim illis dixerit Aue, illorum operibus malis communicat, id est confortem se facit errorum, quibus illi impliciti sunt, & reliquos implicare solent, sicq; nec poenas ipsis delinatas effugiet. Est uero multiplex huius dicti ratio. Primum enim constat, seductores ipsos infirmiores offendebatur, si quæ immolatijs carnibus uesci uiderent: ita hodie plurimos offendit cõstat, si quos sibi fidei & pietatis exempla proposuerant, cum ijs frequenter uersari uiderint, quorum doctrinam & religionem erroris accusari sæpius audiuerunt. Erant hæc ijs obseruanda, quibus uoluptas est in monachorum lustris conuiuari, & qui solius uentris gulaq; studio eorum sectantur amicitias quos doctrinæ Christi acerrimos hostes esse norunt. Quòd uero illi charitatem prætexunt, uanissimum est. Nec enim quisquam Apostolorum est, qui charitatem diligentius commendat & fortius uirgeat, quàm Ioannes, qui tamè idem huius præcepti author est. Sed epilogum epistolæ uideamus.

1. Cor. 8.

Epilogus.

II. Cum multa haberem uobis scribenda, nolui per chartam & atramentum. Sed spero me uenturum ad uos, & presentem presentibus locuturum, ut gaudium nostrum sit completum, &c. Est hæc prior epilogi pars, qua breuitatem sui scripti excusat. Causam uero huius exponit, quòd speret se illos breuiter coram uidere posse, quado pluribus cum ipsis agere possit. Et sanè obseruatione dignissimum est Apostoli studium, qui doctrinam salutis non tam chartis commissam esse, quàm hominum animis insidere uoluit. Illud enim nisi fiat, frustra & auditur & legitur uerbum, sicut dominus in euangelica seminantis parabola monuit. Luc. 8.

Apostoli cur ec-
clesias obierint.

Deinde ex hoc loco uidere est, qua de causa Apostoli interdum exteris ecclesijs inuiferint: non quidem, ut Circulatorum more, indulgentiarum nundinatione, aut Reliquiarum uana ostentatione pecunias emungerent: sed ut uero gaudio impleant Christianos, cuius gaudij causa erat donum aliquod spirituale, uel doctrinæ, uel admonitionis, uel consolationis, quod illis non si-

no sin-

ne singulari profectu conferebant. Sic Paulus & Barnabas ecclesias obambulasse & confirmauisse leguntur, Acto. 14. Nec alia causa Paulo fuit, propter quam Romanos inuisere cupiebat. Rom. 1. Hoc studio si flagrarent, qui hodie Episcopi dici & haberi volunt, felicius multo haberent ecclesiam.

Altera epilogi parte salutationes ponuntur, more apostolico. Quo exemplo admonemur salutandi officia, & quaecunque alia ad mutuam amicitiam & benevolentiam conciliandam faciunt, ab hominibus Christianis nequaquam aliena esse. Nec enim Stoicos vult esse dominus, quos nullus vel priuatae vel alienae rei affectus moueat. Imò si Paulum audias, ἀσπογοί & affectionibus naturalibus vacui, inter eos numerantur, quos nobis imprimis cauendos spiritus sanctus commonstrat. 2. Tim. 3.

Docuit igitur breui hoc epistolio, quaecunque ad verae felicitatis rationem faciunt, Apostolus. Proposuit hanc in obseruatione doctrinae Christi. Ostendit quid eos maneat, qui ab hac deficiunt. Simul docuit, ut tantum periculum cauere possimus. Meditemur haec nostro seculo, quando tot tamque infelicia defectionis exempla extant, & oremus Deum patrem, ut ipsius spiritu animati, perseueremus in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

Salutationes.

IN EPISTOLAM D. IOANNIS APOSTOLI III. RODOLPHI

GVALTHERI TIGVRINI HOMILIARVM SYLVAE.

H O M I L I A I.

SENIOR Caio dilecto, quem ego diligo in ueritate. Dilecte, opto te in omnibus prospere agere & ualere, sicut prospere agit anima tua. Gaudisus sum enim ualde uenientibus fratribus & testimonium reddentibus ueritati tuae, sicut tu in ueritate ambulas. Maius his gaudium non habeo, quam ut audiam filios meos in ueritate ambulare.



VT IMPIOS uerbi Dei contemptores, ac oppressores, fidelium, palam argui atque increpari oportet: ita pios & fideles cultores publice commendare cum primis utile est & conueniens. Sic enim & sponte currentibus calcar additur, & alij illorum exemplo ad similitudinem studiorum imitationem excitari solent. Obseruat utrunque in praesenti epistolio Ioannes. Scribit enim Caio (quem Corinthium fuisse ex Pauli scriptis constat, 1. Cor. 1. Rom. 16.) qui fratres, propter fidem Christi sedibus proprijs eiectos, colligebat. Eius studium magnifice laudat, & ut in eo pergit hortatur. Simul uero immites aliquos & duos, qui tam sancto studio aduersabantur, grauius reprehedit.

Argumentum epistolae.

Docet nos horum consideratio, pijs & fidelibus Christi nunquam uel benefactores uel malefactores defore. Quia enim ueritatis lucem penes se habent, fieri non potest, quin mundo existant, qui hanc propter opera sua mala ferre non potest. Ioan. 3. Hinc Paulus dixit, persecutionem nemini defuturam, qui in Christo pie uiuere instituat. 2. Tim. 3. At quia sub diuinae prouidentiae tutela & protectione agimus, nunquam etiam benefactores & nutritij, diuinitus excitati, deerunt, qualem Caium hunc fuisse legimus, quem Paulus ob singularem in pios beneficentiam totius ecclesiae hospitem uocat. Rom. 16. Possunt huc referri, quae de Abdia, prophetarum patrono & nutritio, legimus. 3. Reg. 18. Et quod discipuli in ultima Coena ingenuè fatentur, sibi nihil unquam defuisse, quando sine pera & numis à Christo emissi fuerunt, ipso nimirum illis satis liberaliter prospiciente. Luc. 22. Petant hinc consolationem, qui Christi nomine exilium & paupertatem sustinent. Non deerit illis, qui uolatilia caeli pascit, qui pecoribus pascua praeparauit, & escam submittit pullis coruorum, dum ipsum inuocant. Matt. 6. Psal. 147. Sed ad Apostoli uerba transeamus.

Pijs nec benefactores nec malefactores defunt.

Senior, Caio dilecto, quem ego diligo in ueritate. Est haec inscriptio epistolae, quae uulgari more auctorem, tum eum cui scribitur denotat. At quia de auctore, qui ut in praecedenti episto-

Inscriptio.

Q

E P I S T O L A III.

lio, ita & hic Senioris nomen sibi vsurpat, alibi diximus, nec de Caio plura dici opus est, quã quã in argumento attigimus, nihil hic nobis dicendum restat. Quid enim ex eo disci debeat, quod dilectiõni veritatem tribuit, alibi exposuimus.

Inscriptio.

I I. Dilecte, opto te in omnibus prospere agere & ualere, sicut prospere agit anima tua. Discedit nõ nihil hoc loco à communi & Apostolica benedictionis formula, cum tamen verbis mutatis idem illi precetur, quod alibi per gratiã & paciõ vocabula exprimitur. Optat enim, vt illi sit mens sana in corpore sano: quibus vniuersa hominis felicitas absoluitur. Nec negligendũ est, quod animã prosperitatem reliquã fortune quasi formam & regulam esse vult. Discimus enim, veram hominis incolumitatem in eo consistere, vt anima bene habeat. Nam vt hæc præstantior hominis pars est: ita eiusdem iactura nullis huius mundi bonis (vt Christus monet) est reparabilis. Matth. 16. At habet bene anima, si cum Deo se coniunctam & reconciliatam esse intelligat. Quod quia per solam fidem discit, absque hac veram hominis incolumitatem frustra inquiremus. Eadem verò si affuerit, in reliquis quoq; successus sequetur, quem saluti nostrã vtilem & necessarium fore intellexerit Dei prouidentia. Nam Paulo teste, Pietas tam præsentis quã futurã vitã promissiones habet. 1. Tim. 4. Huius quia perquam exigua nobis est ratio hodie, non mirum si omnibus modis miser & calamitosi esse deprehendimur. Lege Deut. 28. Ierem. 7. &c.

Vera hominis incolumitas.

Narratio.

I I I. Gaudis sum enim valde uenientibus fratribus & testimonium reddentibus ueritati tuã. &c. Exorditur à narratione, quã tota ad beneuolentiã captationem instituitur, simulq; non carere sibi multis, quibus vt in tam sancto studio constanter pergat, monetur. Vt enim animos faciliè desponderemus, si studia nostra minus syncerè æstimari videamus: ita si illa bonis & sanctis p̄bentur, improborũ calunias non grauim contẽnimus. Habent verò hic singule persone, quod obseruari debet.

Benefactores laudandi publice.

Primum fratres producuntur, qui ex Corintho profecti apud Ioannem Caij studium & pietatem prædicarunt. Est hoc charitatiõ & iustitiã officium, vt nimirum de fratribus bene sentiamus & loquamur, imprimis verò eorum laudes prædicemus, qui virtutibus suis hoc meruerunt. Et vt in Repub. magnum ad bene agendum incitamentum est, si boni laudem habeant, & vituperiũ malicita non contemnendus eiusdem rei in ecclesia fructus est. Nec postremam causam existimo, ob quam nostro seculo pietatis studium passim friget, quod calumnijs potius quã laudibus prosequimur eos, quorum labores publicã utilitati deseruiunt.

Vera hominis gloria.

Secundò Caius inspiciendus erit, vt quid in illo tantopere prædicatũ sit, videamus. Commemoratur aut Veritatis studiũ. Veritatẽ ipsum Christũ esse, sepe iã diximus. In veritate ergo ambulat, qui omnia sua ad huius præscriptionẽ instituunt, tã in religionis negotio, quã externa vitã conuersatione. Et hæc vera est ac nunquã intermoritura hominis Christiani gloria. Arguuntur ergo hic, qui inani cognitione turgentes, non in veritate, sed carnis suã concupiscentijs ambulant. Christianismũ enim exp̄gere, & Christus & Apostoli passim docent. Matth. 7. Iac. 2. Col. 3.

Christianorum gaudia.

Tertiò, Ioannes de se dicit, Maius his gaudiũ non habeo, quã vt audiã filios meos in veritate ambulare. Est hoc Christiani pectoris specimen, quod & charitatiõ & gloriã Dei studio flagrare cernitur. Gaudet enim ob fratrum salutem, quã veritatis studio & acquiritur & seruat. Gaudet item ob Dei gloriam, quã tum maximè in terris prouehitur, quando veritatis studium hominibus cordi est. Huius gaudij fructus non perit. Qui enim hic gaudent diuinã gloriã propagatione, ad eandem studia sua omnia dirigunt, tandemque in celis æterni gaudij erunt consortes. Hinc estimabis vana mundi huius gaudia, & quanta nobis sit hodie dolendi & lugendi occasio, quando multos à veritate cognita turpiter deficere, paucissimos verò in ea ambulare conspiciamus, inter eos quoque, qui huius professione gloriantur, Faxit Deus, vt zelo Dei & gloriã diuinã studio ardentibus, olim gaudeamus in aduentu Christi Iesu, cui debetur benedictio, gloria, honor & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A II.

Charissime, fideliter agis quicquid operaris in fratres & hospites: qui testimonium reddiderunt charitati tuã in conspectu ecclesiã: quos bene ages, si deduxeris dignè Deo. Pro eius enim nomine egressi sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus recipere eiusmodi, ut cooperatores simus ueritati.

Diuus

Diuus Ioannes breui hoc & sancto epistolio Cai beneficentiā, quā in fratres exercebat, prædicare, eundemq; ne in tam sancto studio ob quorundam calumnias deficiat, exhortari instituit. Ita verò hanc causam tractat, vt Cai exemplo perfectam hominis Christiani formā cōprehendat. Primò enim illi veritatē tribuit, sine cuius cognitione nihil proficitur. Deinde, cum in veritate ambulauisse testatur. Nec enim prodest nuda & inanis veritatis cognitio, nisi re ipsa præstetur, quod rectū esse nouimus. At quia inter veritatis & fidei fructus primatū habet Charitas, cuius insigne exemplum Caius præbuit, de hac præsentī loco diligentius disserit. Primò enim Caium laudat propter ea quæ hucusq; fecerat. Deinde vt eadem facere pergat, hortatur.

*Caius Christiani
hominis exemplar.*

I. *Charissime, fideliter agis quicquid operaris in fratres, &c.* Paucis illius beneficentiā prædicat, ne quicquam adulationis causa dicere videatur. Debet enim in amicorum officijs prædicandis modus adhiberi, ne dum personam nimis anxie euehimus, rem ipsam faciamus suspectam. Interim modum & rationem indicat, qua Cai in pios fratres officia cognouerit. Sunt autem in his non pauca, quæ nostræ institutioni seruiant, si non otiosè considerentur.

Primò ipsum Cai opus peculiari nota insignit, dicēs: Fideliter agis. Clariora autem sunt Græca, *πιστῶς ποιῶν*, quod perinde sonat ac si dixisset: Opus fidei facis, & quod hominē fide præditū cum primis decet. Est enim propriū fidei opus beneficētia, vt sæpe diximus. Vnde & Paulus fidē dicit per charitatē operari. Gal. 5. Quæ causa est, quòd huius studiū tā Christus q̄ Apostoli passim commendant. Ioan. 15. Matth. 23. 1. Cor. 13. &c. Patet ergo ex his, à fide alienissimos esse, quicunque charitatis affectum exuerunt, de quo in priori epistola Cap. 3. & 4. copiosè disputatum est.

*Beneficentiā
pius fidei.*

Deinde cum fratres nominauisset, in quos ille beneficentiā exercebat, iisdē hospites siue peregrinos coniungit. Vnde colligi potest, nationū discrimen et regionum interualla nō obstare, quò minus fratres sint, qui in Christo Iesu per fidem coniunguntur. Vt enim Christi regnū iuxta prophetarum oracula ad omnes gentes, vsq; ad extremos fines orbis terrarum, extenditur: ita in eodem non est Iudæus vel Græcus, non Scytha vel Barbarus. Gal. 3. Colos. 3. Nec vlla tam arcta excogitari potest fraternitas siue coniunctio, quàm ea est, quam fideles in Christo habent. Inter hos enim vnus & idem pater agnoscitur, vnus & idem spiritus habetur, vna & eadem fides est, vna & eadem expectatur hereditas, imò vnus & eiusdem corporis mēbra sunt, sub vno capite Iesu Christo, qui saluator & dominus est omnium. Vide Eph. 4. 1. Cor. 12. Arguit ergo illorum errorē locus hic, qui propter nationis discrimen eos contemnunt & odio prosequuntur, quos pro fratribus debebant agnoscere. Rectius Caius hic, qui peregrinorum curam cum primis habēdam esse putauit. Et Apostolus non temere monet, ne hospitalitatis immemores simus, quæ causa fuit, vt quidam inscij angelos, hominum forma velatos, exceperint. Heb. 13. &c.

*Christiani omnes
fratres sunt.*

Postremò, fratrum gratitudo consideranda venit, qui beneficiorum Cai non obliti fuerunt, sed eadem non sine honorifica eius mentione reliquis prædicarunt. Est hoc non postremum iustitiæ officium, ne in benefactores nostros ingrati reperiāmur. Et reuera multis nominibus infelices & miseri sunt, qui cum eo loco sint vt aliorum beneficentiā opus habeant, ea tamen animi perueritate laborant, vt accepta beneficia nec agnoscere, nec cum eorum laude prædicare norunt, à quibus ea accepere. Est autem hoc hominum genus hodie passim obuiū, & optimi ferè haberi debent, qui beneficiorum omnino obliuiscuntur, cum maxima eorum multitudo sit, qui ea vel malitiosè dissimulant, vel fratres optimè de se meritos calumnijs virulentis traducunt. Quorum tamen non tanta haberi debet ratio, vt propter eos Christianæ charitatis officia pij intermittant. Habent enim remuneratōrē fidelissimū, Christū Iesum, qui in suas rationes ascribit, quicquid in suos suo nomine confertur: & non rarò in hac vita agentibus gratiam magnam retribuit.

*Benefactoribus
gratitudo debetur.*

Facit ad huius promissionis confirmationē, quod in præsentī de præmio dicitur quod ex hospitalitate sua Caius reportauerit. Prædicarunt hanc olim fratres in conspectu ecclesiæ. Et hodie per omnem Christi ecclesiam magna omnium piorum approbatione prædicari solet. At quæ homini maior gloria poterat contingere? Expende autem hic quàm infanis studijs mundus hic occupetur, dum gloriam aliquam assequatur, & nominis sui memoriā ad posteros transmittat? Eius gratia diurnos nocturnosq; labores multi sustinent. Propter hanc bellis omnia turbantur. Huius cupidine inflammato vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis. Hęc barbara pyramidum miracula, & tot insana ædificia protulit. Eadem inter amicissimos implacabiles inimicitias excitat. At quanto minori labore & sumptu immortalē gloriam Caius hic noster sibi comparauit? O felices nos, si eadem via ad veram & immortalē gloriam aspiraremus. Faciet verò huc non parum, si quæ dominus iustis & beneficis pollicetur cōsideremus diligenter. De tali enim spiritus sanctus pronunciat: Spargit ac dat pauperibus. Iustitia eius stabit in æternum, & cornu eius altum erit cum gloria. Psal. 112. Et rursum: Frange esurienti panem tuum: afflictos, extorres, egenos domum tuam deduc-

*Beneficentiā præ
mium.*

E P I S T O L A III.

cito. Si videris nudum, vestito eum, & à carne tua ne abscondas te. Tunc erūpet velut aurora lux tua, &c. Isa. 58. Sed ad alteram huius loci partem transire tempus est.

*Commendantur
Christi præcones*

I I. *Quos bene ages, si deduxeris dignè Deo. Pro eius enim nomine egressi sunt, &c.* Hortatur Caium Apostolus, vt quod sanctè cæpit, pergat facere, & imprimis eos commendat, qui & hanc epistolam ferebant, & beneficentiæ ipsius præcones fuerant. Propositio est: Debes illos deducere vt dignum est, & qualiter deduci debent, qui Dei ministri sunt. At deducendi verbo omne, quod honestis impendi potest, officium cōprehendit, quod varium est pro personarum, temporis & loci ratione. Vt verò facilius persuadeat, argumentis vtitur, quæ obiter adduxisse sufficiebat, cum sponte officium faceret. Primum ab honesto sumitur, quia Dei cultores decet, vt fratres sibi commendatos habeant. Deinde ab ipsorum persona & vtili hortatur. Propter Dei nomen professionē hanc susceperunt, non erronei sunt & curiosi rerum alienarum inspectores. Quare sibi factum iudicabit Christus, quicquid in illos collatum fuerit. Matth. 10. Ioan. 13. Tertiò. Quia à gentibus nihil acceperunt, ne quam remoram euangelio currenti inijceret, eò magis tibi cōmendati esse debebunt. Omnium verò grauissima ratio est, quòd addit: Sic cooperatores sumus veritati, cuius prouehenda studium in Christianis quàm maximè flagrare conuenit. Et hæc vera est diuitiarum huius seculi cōmendatio, quæ & verum earundè vsum docet: vt nimirū in veritatis doctrinā insumantur. Quod qui faciunt, piorum ministrorum cooperarij fiūt, & idem olim cum illis præmiū recipiunt.

Vt gratis predicarint Apostoli.

Venit hic obseruandum, quibus studijs ac rationibus euangelium in primitiua ecclesia propagatum sit, & vt gratis prædicarint Apostoli. Non enim ideo à stipendijs debitis abstinerunt, quòd ministerium ea recipere nefas sit: sed quia apud multos non admissi fuissent aliquid petentes, alium de sumpterunt quæ victui ipsorum erant necessaria. Nec defuerunt viri pij & sancti, qui opes suas in eum vsum erogabant, è quorum numero Caium fuisse cernimus. Ita Paulus Corinthijs gratis prædicasse legitur, sed ab alijs accepto stipendio, sicuti ipse fatetur. Vide 2. Cor. 11. & 12. Phil. 4. Quia ergo & Apostoli suam operam & opulentiores suas fortunas ad verbi Dei propagationem liberè conferebant, diuinæ gratiæ incrementum deesse non potuit. Cum hoc studio si nostri seculi mores conferas, immanis ingratitude conspicietur. Non quicquam ab aliquo, siue paupere siue diuite, exigitur, cū vbiq; ferè locorum iam olim principū regumq; liberalitate ecclesijs & verbi ministerio prospectum sit. Tanta tamen tamq; pestilens est hominum cecitas, vt pauci inueniantur, qui ab alijs collata ministris non inuideant. Vt interim de illis nihil dicamus, qui ecclesiarum bona vel dolosè suffurantur, vel etiam palàm & aperta vi furripiunt. Quid ergo miramur, docendi studio tam parum proficere? Emendemur potius, & in cōmune conferamus vires & consilia nostra ad verbi Dei propagationem, & præmium immortale cum Christo Iesu reportabimus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H O M I L I A III.

Scripti ecclesiæ, sed qui inter eos primatū affectat, Diotrophes non recipit nos. Propterea si uenero, commemorabo facta illius, quæ facit, uerbis malitiosis garriens in nos. Nec his cōtentus, non solum fratres ipse non recipit, uerumetiam uolentes recipere prohibet, & ex ecclesia eijcit.

Q Vamuis Christianæ charitatis officia erga omnes homines exerceri debeant, imprimis tamen nobis commendati esse debent, qui propter Christi nomen & verbum pelluntur. Vt enim in illis ipse Christus affligitur: ita quod illis bene fit, Christus sibi factum esse æstimat. Non temere ergo Ioānes Caij hospitalitatem laudat, & illius exemplum publicè omnibus imitandum proponit. Cæterum vt Deus passim eos habet, qui pijs nominis sui cultoribus benefaciunt: ita factanæ etiam vbiq; locorum sua organa sunt, per quæ ijsdem negotium faciat & noceat. Eius rei exemplū hoc loco in Diotrophe proponitur, cuius diligens consideratio non parū prodesse poterit.

Scripti ecclesiæ, &c. Quæ illa ecclesia fuerit, non exprimitur. Sed Corinthiacam fuisse verisimile est, propter Caium, quem Corinthi habitauisse constat, nisi is forte inde pulsus aliò migrauerit: quod non videtur credibile, cum fortunis adhuc integris fuerit, vt fratribus tam liberaliter posset succurrere. Sed vtur ista se habeant, de præsentī causa Ioannes se ecclesiæ scripsisse dicit, & epistolæ argumentum fuisse videtur, quòd Caium ob liberalitatem in fratres commendauit, reliquos ad eius

ad eius imitationem exhortatus est, & æmulos ipsius tamq̃ sancti studij hostes increpuit. Quòd verò ea epistola nusquam extat, mirum non est. Noluit enim nos spiritus sanctus nimis libris grauari, sed paucis ijsq̃ sufficientibus apostolicæ doctrinæ consensum proponere, quòd facilius esset omnium, quæ ad salutis negotium spectant, inuestigatio. Alioqui credibile est, & Paulum plures adhuc, quàm extant, epistolas scripsisse, & Petrum cum alijs in scribendi officio non fuisse tam negligenter, vt binis tantum literis fideles docere & consolari voluerit. At quia paucula illa salutis rationem absolutè cõprehendunt, non est quòd amissa scrutemur: imò Dei agnoscamus erga nos paternam curam, qua cauere voluit, ne pluribus impliciti, circa salutem incertiores redderemur.

*Non omnia Apo-
stolorum scripta
extant.*

Interim non sine spiritus instinctu factum putabimus, quòd de præsentis causa toti ecclesiæ scripsit Apostolus. Vt enim ex eo apostolici pectoris industriam agnoscere licet, ita docemur, non sufficere, vt vnus & alter in ecclesia officium faciant, sed vt illorum exemplo plures alij proficiant etiam atq̃ etiã curandum est. Quem scopum si præfixum sibi habeant ministri, sentient, se officio suo nunquam ita defungi posse, quin plura adhuc ipsis agenda restent.

*De cõmuni omni-
um profectu mi-
nistri sint solliciti*

Est autem cum primis obseruatione dignum, quòd ne Ioanni quidem aduersarius defuit, etiam ex eorũ numero, qui & Christiani & inter hos primi vel antesignani haberi volebant. At quid obsecro non habuit Ioannes, quòd illi auctoritatem atq̃ beneuolentiam conciliare poterat? Poterat sanè vnum hoc pijs omnibus sufficere, quòd illum Christus singulari amore fuerat profecutus. Tamè inuenti sunt inter Christiani nominis professores, qui se illi auderēt opponere. Est hæc perpetua ecclesiæ fors, vt ij se ministris maximè opponant, quorum erat illorum studijs & laboribus succurrere. Sensit hoc mali Moses, vt Num. 16. cap. legitur. Extant & apud prophetas exèpla, quæ huc faciunt, vt 3. Reg. 22. Jerem. 28. Amos 7. &c. Et in Christo ab Iuda discipulo & quæstore prodito prælusum fuit, quid fidelibus Christi seruis in infelici hoc mundo expectandum sit. Ne minem igitur hodie falsorum fratrum insidiæ & subdolæ machinationes offendant. Habemus enim vindicem dominum, cui aliquando graues pœnas exoluent. Quòd si verò domesticis periculis instant (quòd & Christus monuit, Matth. 10.) quid ex mûdo sperabimus, qui totus in malo cõstitutus est: 1. Ioan. 5. Ioan. 16. Ceterũ videamus, quis & qualis Diotrophes ille fuerit, Caij & Ioan. aduersarius, vt ex hoc omnes iudicemus, q̃ apostolorũ doctrinæ & monitis sese opponere audent.

*Pijs nunquam de
sunt aduersarij.*

Principiò illum *φιλονομιαν*, id est, primatũ affectare vel ambire dicit. Sic verò omnis mali fontem siue radicem indicat, Ambitionem nimirum, vel immoderatum vanæ gloriæ studium. Quicunq̃ enim hoc flagrant, neminem vel æqualem sibi, nedum superiorem ferre possunt. Et vt reliquis præstantiores habeantur, noua dogmata proferunt, schisma faciunt, omnibusq̃ se opponunt acriter, quoscunq̃ virtutibus insignes viderint. Non temere ergo Christus ab Apostolis humilitatis studium tantopere requirit, & eos regni sui capaces fore negat, qui illud sectari noluerint. Vide Matth. 18. & 20. Ioan. 13. Et sanè, si nostra tempora inspiciamus, nullos acerbiores renascentis euangelij hostes inuenire licebit, quàm qui hodie quoq̃ in ecclesia primatum ambiunt, sibiq̃ solis omnem in hac potestatem vendicant.

*1. Ministrorũ ho-
stes ambitiosi sũt*

Deinde calumniandi studium Diotrephi tribuit, qui proprius ferè ambitionis fructus est. Quia enim qui tales sunt, emergere non possunt, nisi se superiores deprimant, vbi id nullis honestis rationibus fieri potest, ad calumnias & conuitia cõuerti solent. Ita lupos olim canibus hoc obieciisse apologus refert, quòd latratu suo improbo inimicitiarum contra oues causam præberent. Et hodie, quicunq̃ cum veritatis oppressione ad ecclesiarum summam gubernationem enitentur, vel in malè occupato primatus fastigio permanere cupiunt, nihil non conuitiorum comminiscuntur, quibus fideles veritatis ministros omnibus inuisos faciunt.

2. Calūniatores.

Accedit his vltimo loco, quòd non contentus propria inhumanitate, aliorum quoq̃ pijs conatibus obstitit, & per tyrannidem excõmunicare ausus est, qui ipsi minus obediebant. Eò demetiã euadit cæca ambitio, vt tandè omnibus intolerabilis fiat. Nisi enim tales pestes circa initia opprimantur, ijs viribus sese armât, vt quosuis facillè opprimere possint, qui se ipsis opponunt. Exempla hodie nimis (proh dolor) multa passim extant. Qui enim ecclesiæ procures & bonorum ecclesiæ legitimi administratores videri volunt, non contenti, quòd nec ipsi docent sibi cõmissum gregem, nec pauperibus subueniunt, insuper si quis docere conetur, & opum ecclesiæ vsum verum commonstret, eum & minis prohibent, & excommunicationis fulmine ecclesia eiiciunt, imò irreconciliabili odio ad necem vsque persequuntur.

*3. Omnib. hostes
sunt, qui bene rē
gerunt.*

Quid verò contra talem tantumq̃ hostem gessit Apostolus? Num siluit? Num patientia hic vtendum esse putauit? Nequaquam. Sed in præsentis apud Caium, singularem amicum & fratrem de illius improbitate conqueritur. Simul verò minatur, quòd corã vniuersa ecclesia eius malitiam arguere & accusare velit. Hoc ergo pastoris fidi officium est, vt ecclesiæ pestes palàm arguat, & suę

*Verbi hostes pa-
lãm arguendi.*

E P I S T O L A III.

fidei commissos ab illis cauere doceat. Hoc olim prophetas fecisse legimus, vt videre est Isa. 56. Ierem. 23. Ezech. 34. &c. In eodem officio acerrimè & Christus versatus est, perfectissimū alioqui (vt & aliarum virtutum) mansuetudinis exemplum. Matth. 15. & 23. Ioan. 2. & 10. &c. Et Apostoli non modò sui seculi impostores arguendos putarunt, verum etiā de venturis magna diligentia nos monuerunt, vt illorum scripta passim testantur. Frustra ergo hodie à verbi ministris patientia exigitur, quando non vnus Diotrephes ecclesiam turbat. Nisi enim illorum conatibus resistatur, breui omnem ecclesiæ doctrinam corruere cernemus. Fauemus ergo fidelium ministrorum laboribus quibus tales oppugnant, & in hoc simus omnes, vt simplicè doctrinæ euangelicæ regulā secuti in cælis viuamus cū Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternū. Amen.

H O M I L I A IIII.

Dilecte, ne æmuleris quod malum est, sed quod bonū est. Qui bene facit, ex Deo est: qui autem malè facit, non uidit Deum. De metriō testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa ueritate: sed & nos testimonium perhibemus, & scitis testimoniū nostrum uerum esse. Multa habebam, quæ scriberem: sed nolo per atramentum & calamum scribere tibi. Spero autem me protinus uisurum te, & præsentem coram loquemur. Pax tibi, Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

Dui Ioannis institutum est, & Caij erga fratres exules beneficentiam commendare, & illius exemplum omnibus pijs imitandum proponere. Id vt maiori cum fructu faciat, duo exempla sibi inuicem opponit. Vt enim Caium magnificè laudat: ita Diotrephidis inhumanitatem & insolentiam reprehendit, vt constet, perpetuam infamiam eos manere, qui immiti & superbo animo fratres contemnunt & negligunt. Cæterum, quia impij & præfracti sæpe diuturnis successibus uentur, quæ res pios plurimum offendit, Apostolus priusquam epistolæ finem imponat, huic etiam offendiculo medetur.

*Ne offendamur
impiorum successibus
sibi.*

I. Dilecte, ne æmuleris quod malum est, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est, &c. Comuni & generali præcepto Caium instruit, & præcepti sui rationem reddit grauem admodū. Præceptum est, Ne æmuleris malum, sed bonum. Sic uerò dicere uidetur: Scio molestum esse pijs, si quando impios feliciter agere & impunè quiduis tentare uideant. Ea enim res plurimos vexauit, quorum exempla in scripturis quoque proponuntur, vt Psal. 73. Ierem. 12. Malach. 3. &c. At Christi cultorem ea æmulatio minimè decet, quem felicitas & hæreditas in cælis æterna manet, cū impiorū fortuna planè vitrea sit & incerta, vt Dauides egregiè docuit, Psal. 37. Prodest uerò præceptum hoc diligenter expendisse, quando nostro seculo plurimi ad hunc lapidem offendunt.

*Bonū & malum
quid.*

Principiò, bonum æmulari iubet, non malum. Bonus est solus Deus, vt Christus in euangelio monuit. Matth. 19. Hinc uerò bonum dicitur, quod Dei ingenio atque uoluntati conuenit: malum autem, quodcunque ab hac discrepat. Est hæc perpetua & infallibilis boni & mali discernendi regula, quam nisi obseruemus, bonum uidebitur, quod reuera malum atque noxium est, & è contra malum dicemus, quod reipsa bonum est. Huc Dei præceptū referri debet, quo per Moysen uentat, ne faciamus quod nobis bonum uidetur, sed quod ipse fieri iussit. Num. 15.

Æmulari.

Deinde æmulandi uerbo usus est, quo ardens flagransque animi studium denotatur. Nec enim sufficit, bonum nouisse, nisi bene agendi studio incensi in ijs toti occupemur, quæ Deo pro bonis probari nouimus. Tales uerò efficit huius æmulationis studium, vt nec malum vel speciè mali patienter ferre, nec bene agendo satiari possimus. Vno igitur uerbo tepidos illos arguit Ioannes, qui cum euangelicæ doctrinæ studium & fidem in Christum profiteantur, patienter tamen ferre possunt quæ ipsius gloriæ derogant. Faciunt hoc hodie multi ex ministrorum numero, qui ut se omnibus commodos præbeant, grauissima quoque uitia magnatum vel ignaui dissimulant, vel perfidi nimis etiam excusant.

Sed & rationem huius præcepti uidere oportet, quæ bimembris est, & ex Dei natura sumitur. Qui Dei ingenium referunt, ex Deo nati sunt. Dei uerò ingenium est, bonum, sanctum & immaculatum esse. Quisquis ergo bonus & sanctus esse studuerit, ex Deo natus esse iure cætebitur.

E contra,

È contra, qui malè agendo delectantur, à Dei ingenio alienissimè sunt, & proinde Deum videri nunquam. Tanta est enim illius summi boni præstantia, vt toti in eius amorem rapiantur, quicquid eius cognitionem habent aliquam. Docet locus hic, quid de palàm flagitiosis iudicemus, qui (vt Solomon ait) gaudent cum malè fecerunt, & cum Idumæo Doeg in malitia gloriuntur. Volunt & ipsi ex Deo nati videri, sed reuera ex diabolo sunt, siquidem Apostolum, imò ipsum Christum eadem dicentem audire velimus. Ioan. 8.

I I. *Demetrio testimonium redditum est ab omnibus, &c.* Videtur Demetrij exemplum Diotri- *Caii socium Demetrius.*
phi opponere Apostolus, vt eius consideratione Caius animatus ab inceptis minus deficiat. Plurimum enim in rebus arduis momenti habet, si non solos nos esse intelligamus, quorum humeris omne onus & periculum incubat. Ostendit ergo Ioannes, Caius nõ soli hanc impostam esse provinciam, nec propter Diotrephen esse desperandum, cum Demetrium simili studio flagrantem excitarit bonus Dei spiritus, qui tantum iam profecerit, vt nemo non ipsius fidei & pietati testimonium ferat.

Sunt in his duo præcipuè obseruanda. Primum quidem, quòd tanta diligentia de Demetrij pietate testimonium fert Ioannes. Suo enim exemplo docet, ne in testimonijs ferendis leuiores simus, & vt fratrum innocentiam & famam omni studio tueamur. Deinde verò, quòd Deus passim suos habet, quos hostium suorum improbitati opponat. Et hi quidem plerunque maiori in numero sunt, quàm quisquam sperare ausit. Ita Caius Demetrius accedit. Et Elias cū se solum superare putaret ex cultorum Dei grege, audit adhuc septem millia relicta esse eorum, qui genua sua coram Baal nunquam flexerint. Debet hoc nos consolari in rebus arduis & persecutionum fluctibus. Deus etenim causæ suæ semper patronos dabit & aduocatos, & si nos officium fecerimus, laborum etiam & periculorum socios excitabit. Sic Iosepho Arimatheensi socius accedit Nicodemus, cum ille Christi corpus ad sepulturæ honorem sibi dari perijisset. Et quãdo maximè instant pericula, ex occultis discipulis quotidie prædeunt, qui prius à fide alieni videbantur. Errant ergo turpissimè, qui vt suam ignauiam excusent, alios omnes accusant, quasi solis ipsis Dei gloria cordi sit, quam tamen perfidè negligunt, & ab impijs obrui patiuntur.

I I I. *Multa habebam quæ scriberem, &c.* Est hæc epistolæ Conclusio, qua & breuitatem excusat, & salutationes pro more subiungit. Quia verò eadem dicit, quæ in præcedentis sine dixerat, inde petantur, quæ huic loco explicando seruiunt. Noluit Apostolus calamo & atramèto, sed Caij animo rem hanc omnem commendare. Studeamus & nos, vt Christianæ charitatis & beneficiæ præcepta non calamo tantum in chartis descripta, sed Dei digito animis nostris impressa habeamus. Sic enim fiet, vt tota vita Christum loquatur, nosque eius curriculum emensi, cœlorum gaudijs fruamur. Domino & saluatori nostro Iesu Christo debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

F I N I S.

Q 4

CHRISTIANO LECTORI.



QUONIAM Apostolos in scriptis suis hoc unum praeter ceteris quasiuisse constat, ut & Christi Iesu doctrinam ecclesijs simplicem ac incorruptam traderent, & fidelibus in ea constanter perseverandi authores essent: non alienum ab instituto nostro putavi, si vetustissimorum patrum traditiones siue sententias de fide Christiana, quas illi apostolicas esse crediderunt, nostris in Ioannis epistolae Homilijs subiicerem. Ex ijs enim videre licebit, quanta apud hos fuerit olim Apostolicae doctrinae autoritas, & quid illis responderi debeat, qui sub plausible patrum nomine novos fidei articulos obtrudunt, & salutis rationem monstrant, quam & Apostolos & prophetas ignorauisse, satis constat. Tu vero, Christiane Lector, omnibus his ita fruere, ut agnitam veritatem retinere, & in salutis via per Apostolos tradita constanter ingredi pergas. Vale.

D. CYPRIANVS MARTYR DE SYMBOLO lo Apostolicae fidei haec tradit.

TRadunt maiores nostri, quod post ascensionem domini, cum per aduentum spiritus sancti supra singulos quosque Apostolos igneae linguae sedissent, ut loquelis diuersis varijsque loquerentur, per quod eis nulla gens exera, nulla linguae barbaries inaccessa videretur & inuia, preceptum eis à domino datum hoc, ad praedicandum Dei verbum, ad singulas quemque proficisci regiones. Discessuri itaque ab inuicem, normam sibi prius futurae praedicationis in comune constituerunt: ne forte alij alio abducti, diuersum aliquid his, qui ad fidem Christi inuitabantur, exponerent. Omnes igitur in vno positi, & spiritu sancto repleti, breue istud futurae sibi (ut diximus) praedicationis indicium, in vnum conferendo quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam, statuunt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis ex causis appellari voluerunt. Symbolum enim Graece & indicium dici potest, & collatio: hoc est, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in vnum conferendo, quod vnusquisque sensit. Indicium vero vel signum idcirco dicitur, quia in illo tempore (sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur) multi ex circumeuntibus Iudeis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicuius, vel ventris gratia, ad praedicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum apostolicas regulas praedicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi: ne qua doli surreptio fiat, symbola distincta vnusquisque dux suis militibus tradit, quae Latine Signa vel Indicia nominantur: ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum prodat, si sit hostis vel socius. Idcirco denique haec non scribi chartulis aut membranarum, sed requiri in credentium cordibus tradiderunt: ut certum esset haec neminem ex lectione (quae interdum peruenire etiam ad infideles solet) sed ex Apostolorum traditione didicisse. Haec Cyprianus.

SYMBOLVM APOSTOLORVM, QVOD VETERES (ut Cyprianus non obscure fatetur & Irenaeus infra euidentius testatur.) Traditionis nomine intellexerunt, hoc est:

Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem caeli & terrae. Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto: natus ex Maria virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est. Descendit ad inferos. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad caelos. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: Inde ventu-

uenturus ad iudicandum viuos & mortuos. Credo in spiritum sanctum. Sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Peccatorum remissionem. Carnis huius resurrectionem, & vitam æternam. Amen.

IRENÆVS SIMILITER APOSTOLICÆ FIDEI ET DO-

ctrine summam lib. 1. Cap. 2. contra Valent. sic comprehendit.

Ecclēsia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ dispersa, ab Apostolis & ipsorum discipulis eam accepit fidem, quæ est in vnum Deum, patrem omnipotentē, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in vnum Iesum Christum, filium Dei, incarnatum pro nostra salute. Et in spiritum sanctum, qui per prophetas prædicauit dispensationis mysterium & aduentum, & ex virgine natiuitatem, & passionem, & resurrectionem ex mortuis, & in carne ad cælos ascensionem dilecti Iesu Christi domini nostri: & ipsius & cælis in gloria patris aduentum ad instauranda omnia, & resuscitandam omnem humani generis carnem, vt Christo Iesu domino nostro, & Deo & saluatori & regi iuxta voluntatem patris inuisibilis, omne genu flectatur cælestium & terrestrium ac inferorum, & omnis lingua confiteatur ipsi, & iudicium iustum in omnibus faciat: & spiritualia quidem nequitiei, & angelos transgressores ac desertores factos, & impios ac iniustos, & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: iustis verò & sanctis, & qui mandata eius seruarunt, & in dilectione eius permanserunt, partim ab initio, partim ex penitentia, vitam largitus incorruptibilitatem donet, & gloriam æternam tribuat, &c.

IDEM LIBRO III. CAP. IIII. OSTENDIT HANC IPSAM

fidem, esse traditionem illam Apostolicam, quæ fidelibus per totum orbem præscripta passim obseruetur.

Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine chartæ vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutē, & veterē traditionem diligenter custodientes: in vnū Deū credētes, fabricatorē cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christū Iesum, Dei filium. Qui propter eminentissimā erga figmentū suum dilectionem, eam quæ esset ex virgine generationē sustinuit, ipse per se hominē adunans Deo, & passus sub Pōtio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus, in gloria venturus saluator eorū, qui saluantur: & iudex eorū, qui iudicantur, & mittēs in ignem æternū transfiguratores veritatis & contemptores patris sui, & aduentus eius. Hanc fidem, qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, Barbari suat. Quantum autē ad sententiam, & consuetudinem, & cōuersationem, propter fidem per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, cōuersantes in omni iustitia & castitate & sapientia, &c.

TERTVLLIANVS DE PRÆSCRIPTIONIBVS HÆRETICORVM, fidei orthodoxæ & catholicæ Regulam exponit his uerbis:

Regula est fidei, vt iam hinc quid credamus profiteamur: illa scilicet, qua creditur, vnum omnino Deum esse, nec alium præter mūdi Creatorem: qui vniuersa de nihilo produxerit per verbum suū primò omnium emissum. Id verbū Filius eius appellatū, in nomine Dei variè visum patriarchis, in prophetis semper auditum, postremò delatū ex spiritu patris Dei & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero eius & ex ea natum, egisse Iesum Christum: exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cælorū, virtutes fecisse, sedisse ad dexteram patris, fixum cruci tertia die resurrexisse: in cælos ereptum sedere ad dexteram patris: misisse vicariam vim spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad fumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cælestium fructum: & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vatriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hęc Regula à Christo (vt probabitur) instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hereticos faciunt.

SYMBOLVM BEATI ATHANASII EPI-

scopi Alexandrini.

Qicumque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat catholicā fidem, quam nisi quis integrā inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hęc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatē in vnitatem venemur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti: sed patris & filij & spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus. Immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus. Aeternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus: sicut non tres in creati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Ita dominus pater, dominus filius, dominus spiritus sanctus. Et tamen non tres domini, sed vnus est dominus.

Quia sicut sigillatim vnamquamq; personam Deum aut dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à patre & filio, nō factus nec creatus, nec genitus, sed pcedēs. Vnus ergo pater, nō tres patres. Vnus filius, nō tres filij. Vnus spiritus sanctus, nō tres spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius nec posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Ita vt per omnia (sicut iam dictum est) & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda sit. Qui vult ergo saluus esse, ita de trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem quoque domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia dominus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus: & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, nō duo tamē, sed vnus est Christus. Vnus autē, nō cōuersione diuinitatis in carnē, sed assūptione humanitatis in Deū. Vnus omnino, nō cōfusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nā sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita deus & homo, vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos: sedet ad dextram Dei patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerūt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignē æternū.

Hęc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, saluus esse nō poterit.

SYMBOLVM B. DAMASI EPISCOPI ROMANI.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem: & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, Dei filium: & in spiritum sanctum. Deum, non tres Deos: sed patrem, filium & spiritum sanctum, vnum Deum colimus & confitemur: non sic vnum Deum, quasi solitariū, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed patrem esse, qui genuit: & filium esse, qui genitus sit: spiritum verò sanctum non genitum neq; ingenitum, non creatum neq; factum, sed de patre filioq; procedentē, patri & filio coæternum & coæqualem & cooperatorem: quia scriptum est: Verbo domini cœli firmati sunt, id est à filio Dei, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et alibi: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ideoq; in nomine patris & filij & spiritus sancti vnū confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est patri, Pater: & propriū nomen est filio, Filius: & propriū nomen spiritui sancto, Spiritus sanctus. In hac trinitate vnū Deum colimus, quia ex vno patre quod est, vnus cū patre naturæ est, vnus substantiæ & vnus potestatis: Pater filium genuit, non voluntate nec necessitate, sed natura. Filius vltimo tempore ad nos saluandos & ad implendas scripturas descendit à patre, qui nunquā desijt esse cū patre. Et cōceptus est de spiritu sancto, & natus ex virgine: carnem & animam & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem, nec amisit quod erat, sed cepit esse quod non erat: ita tamen, vt perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est, operatur vt Deus: & qui operatur vt Deus, vt homo moritur: & qui vt homo moritur, vt Deus resurgit. Qui deuictio mortis imperio, cum ea carne, qua natus & passus & mortuus fuerat & resurrexit, ascendit ad patrem, sedetq; ad dextram eius in gloria, quam semper habuit & habet. In huius morte & sanguine credimus emūdatos nos, & ab eo resuscitandos die nouissimo in hac carne, qua nūc viuimus. Et habemus spem, nos cōsecuturos præmiū boni meriti, aut pœnā pro peccatis æterni supplicij. Hęc lege, hęc crede, hęc retine, huic fidei animam tuam subiuga, & vitam consequeris & præmiū à Christo:

D. CYRILLVS INCARNATIONIS IESV CHRISTI
et uniuersum nostræ fidei salutis mysterium dilucide tractat in Ioan. lib. 10. cap. 39.

Age, ad vtilitatem legentium breuiter incarnationis vnigeniti causam, & recessus sui ad patrem grandem vtilitatem perstringamus. Homo igitur factus est, vt ab interitu, quem prius maledictio intulerat, nos liberaret. Et quoniam nulla diuinæ naturæ ad peccatum inclinatio est, omnes nos per ipsam carnem assumpsit. In ipso enim omnes sumus ea ratione, qua homo est. Assumpsit igitur nos, vt terrena hæc umbra, id est, carnis passiones & peccati legem, quæ in membra hominum irruperat, extingueret: adde, & naturam nostram sanctificaret, & dux ad pietatem & optimæ disciplinæ viuendi humano generi fieret. Et hæc quidem homo factus effecit. Sed non solum voluit ab interitu & à peccato nos liberare, verum etiam ad ipsos cœlos reducere, ac summi boni participes facere, in angelorum consortio numeratos: & quemadmodum per resurrectionem suam mortem destruxit, sic coram ipso patre collocaret. Ea rectè intelligens Paulus, dicit: Non enim in sancta manu facta introiuit Christus, in exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Audis, quia cum sit semper cum patre propter identitatem substantiæ, non pro seipso, sed pro nobis patri apparet. Ita cum ipse sit primitiæ generis nostri, quando in cœlum cum carne ascendit, coram patre (vt modò dixi) nos constituit. Et sicut quàmuis secundum naturam vita sit, mortuus tamen propter nos fuit. Ita etiam si patrem semper videat ipse, ab eo quæ videatur, nunc tamen, id est, posteaquam homo factus est, apparuisse illi, nõ propter se, sed propter nos vt homo dicitur. Quasi ergo deficere hoc dispensationi videbatur, vt in ipsos etiã cœlos ascenderemus in Christo primo, vt in primitiis. Præcursor enim ille ascendit, vt Paulus dicit, & sic in quantum homo, Pontifex & intercedens pro nobis, & paracletus & propitiatio pro peccatis nostris: in quantum verò Deus & dominus, natura cum patre simul sedet, quæ tamen gloria etiam ad nos transit secundum Paulum, qui de patre scribit, quia & conresuscitauit, & confedere nos fecit in cœlestibus in Christo. Cum ergo omnia, quæ in terris vt ab homine facienda fuerunt, perfecit, restabat vt iam ad patrem ascenderet. Idcirco ait: Expedi vobis vt ego vadã. Nam nisi abiero, paracletus non veniet ad vos. Opus enim erat participes nos naturæ suæ fieri, & in nouam inauditamque vitam transformari: quod aliter quàm participatione spiritus sancti fieri non poterat. Commodissima verò aduentus spiritus opportunitas post Christi ad cœlos reditum fuit. Oportebat autem spiritum venire, vt illum habentes libere clamemus, Abba pater, & ad virtutem redacti, tam aduersus diabolum quàm aduersus persecutiones hominũ fortes efficeremur. Quòd autem præsentia spiritus ad nouam vitam omnes, in quibus habitat, transformantur, non est difficile è scripturis ostendere. Dicit enim Samuel ad Saulem: Et infiliet in te spiritus domini, & conuerteris in alium virum. Et Paulus: Nos verò (inquit) omnes reuelata facie gloriam Domini spectantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu. Vides quia ad aliam, sicuti vult spiritus, imaginem nos vt domini reformat, nempe qui facile à terrenis ad cœlestia nostros transponit animos. Quod in discipulis factum fuisse inuenimus: per spiritum sanè ad eam fortitudinem ab humana ignauia reducti sunt, vt nec vlla pericula timerent, & Christo inseparabiliter inhærent. Expediebat igitur verè discipulis (vt saluator dicit) in cœlum ipsum abire. Tempus enim iam aduentus spiritus erat.

A 1750777

ocw 68023729

INSTITUTIONIS UNIVERSITATIS CHILICENSIS

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs or sections.]

